

AA0004048534



REESE LIBRARY  
OF THE  
UNIVERSITY OF CALIFORNIA.

Received *Mar. 27* 1893

Accessions No. *50754.* Class No. *122*

PA  
6105  
V24  
V.77

**Southern Branch  
of the  
University of California  
Los Angeles**

Form L 1

PA  
6105  
V24  
V.77

This book is DUE on the last

Form L-9-15m-8,'26

Digitized by the Internet Archive  
in 2008 with funding from  
Microsoft Corporation



THE HISTORY OF THE

REIGN OF

CHARLES THE FIRST

1625-1649

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

LIBRI QUI SUPERSUNT.

VOL. XI.

1917 11 11

100

24

1000

1000

100



T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

LIBRI QUI SUPERSUNT,

EX EDITIONE G. A. RUPERTI

CUM SUPPLEMENTIS

NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

INDICE LOCUPLETISSIMO

ET

GLOSSARIO LIVIANO

ACCURATE RECENSITI.

75398

VOLUMEN UNDECIMUM.

T

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1828.



ABSTRACTS OF THE  
HONORABLE MEMBERS

50754

rini, Eudosesque, et cum Suardonibus Nuithones a Tacito memorantur. Quorum Reudignos et Avionas in aquilonari et maritima Saxonie plaga collocat Andreas Althamerus, cujus diligentiam tota hac descriptione plurimum sequor, (Cluverium enim, qui hæc copiosissime est executus, adipisci non licuit) ubi nunc Megaloburgensis ducatus nominatur.

17. Anglorum autem veterem habitationem inter Saxonas Vitarumque gentem fuisse Beda tradidit, inde migrasse in Britanniam. Sed hos arguit Vecta insula, cui vocabulum hoc impositum est ab his incolis. Pro Vitis alii scriptores Jutas ponunt, notius nomen. Quidam putant habitasse Anglos ad mare Germanicum et Albim fluvium eas partes, quas hodie Luneburgensis atque Brunovicensis ditiones occupant. Ceterum peninsula inter Sliam et Flensburgum, Balthici maris sinus, incorrupta adhuc appellatione, veteris Angliæ situm commonstrat. Ceteris quos memoravimus, per Germanici maris littora versus orientem a Pomerania in Prussiam, a conjectura potius quam notitia sedes assignantur. Nam ætate Strabonis Germania Transalbiana<sup>4</sup> prorsus erat incognita: cum Tacitus scriberet, is quoque fluvius adiri ab Romanis nequibat. Plinius autem Varinos Vandalorum fecit partem.

18. Paulo certiora sunt, quæ de gentibus ad Danubium scriptores prisca tradiderunt. Ex his Hermundurorum terra, Albis ortu notata, et vicinia Semnonum Cattorumque, quibuscum de fluvio Sala magno prælio decertarunt, minus ignoratur; Misniam et Bohemiam partem fuisse iudiciis illis declarantibus. Juxta Hermunduros Narisci, deinde Marcomanni et Quadi agebant. Nariscos Voytlandiam superioremque Palatinatum habuisse putant, eum Transdanubiana Boiariæ portione. Nec absolum est, ab his esse vocabulum regioni quam Nordgaviam vocant, cum ab incolarum vulgo 'Narica' nominetur.

19. Moraviam Marcomannis fuisse patriam, priusquam in Bohemiam immigrarent, vix dubitatur. His ferme

<sup>4</sup> Ita, suadente Drak. pro *Transalbina* in ed. Crev. et *Transalpina* in ed. Cler. et aliis.

conjungi Quadorum natio solet, ad Danubium flumē colens. Moraviæ Silesiæque partem, deinde Austriam obtinuisse, non inepta conjectura existimatur. Superest orientalis Germaniæ portio, qua Pannoniam Sarmatasque respiciebat. Ex his Marsigni Buriique Suevico sermone habituque testabantur originem: Gothinos Gallica, Osos Pannonica lingua, teste Tacito, coarguebat non esse Germanos, et quia tributa patiebantur. Omnes eæ gentes terga Marcomannorum Quadorumque claudebant, inter hos et Sarmatas intercepti; ut Silesiæ Moraviæque partem habitasse appareat; Buriis etiam ad Vistulam fluvium pertinentibus.

20. At post hos Lygiorum multæ civitates ad Danubium, qua nunc Austriæ Hungariæque trans amnem partes incoluntur, late tenuerunt. Arios, Helveconas, Manimos, Elysios, Naharvalos vetus ætas appellavit, sequens oblita est. Gothorum sedes, quos et Guttones scribunt, succinum ostendit, quod tantum Prutenico littore legitur. Hos Vandalis ascripsit Plinius. Rugiorum insula sedes antiquas ejus populi, nomine nihildum mutato, satis demonstrat. His quia finitimi fuerunt Lemovii. Pomeraniæ cultores fuisse non immerito quis arbitretur. Extremos Suevorum in ipso oceano statuit Suionas Tacitus, Sitonumque gentes: quorum illi nomen atque potentiam antiquam hodieque retinent: sermone etiam, quia penetrare eo Romani aliique externi non potuerunt, propius accedente ad veterem, ut ex antiquissimis monumentis Germanicæ linguæ certo cognoscitur.

21. Sionas Norvegiam possedisse argumento est, quod Suionibus similes continuique tradantur; ac apud eos videatur ætate Taciti regnasse soror Hasmundi, minor annis fratre, sed audacia superior. Nec multo post Stiela et Rusla virgines cum Trondo fratre diutissime de regno certaverunt. Qua tamen re distingui a Suionibus non debuerunt. Nam et apud illos antiquitus utriusque sexui præstans virtus affuit; et modo virginis regnum fuit, qualem æquari sibi magnitudine animi, rerumque gestarum gloria, et imperandi artibus, nemo vel maximorum regum indignetur. Neque enim animis, uti corporibus, differentia

Krantz.  
Norveg.  
1. 27.

sexus inest : neque pars ea quæ servire in singulis hominibus debet, ubi de imperio in quam plurimos agitur, respicienda est : ut, nisi culpam istam Tacitus aliis meritis redemisset, notandus eo nomine haud perfunctorie fuerit, quod qui mulieris imperio regantur, eos etiam a servitute descivisse judicavit, homo Neronis atque Othones et Domitianos passus, quorum mollitie atque flagitiis pleraque pars vel abjectissimarum fœminarum erubesceret.

22. Sed ad descriptionem Germaniæ redeo. Super sunt enim ad dextrum Suevici maris littus Æstyorum gentes, quorum hodie durat apud Finnonos appellatio, et per Livoniam sermo usurpatur. Antiquitus in Prussiam usque pertingebant ; argumento succini, quod soli omnium ea ætate legebant, glesum appellantes, quo nomine vitrum Germani vocamus.

Tac. Germ.  
45. Plin.  
XXXVII. 3.

23. Bastarnas fuisse Germanos, sed mixto Sarmatis sanguine, veteres auctores prodiderunt. Horum Peucini ex insulæ, quam habitabant, nomine vocantur : Roxani magis pertinebant ad aquilonem, inter Tanaim et Borysthenem pascere soliti. At Venedos Fennoque, licet quædam ex Germanicis moribus traxissent, Sarmatis potius ascribendos crediderim, maximo certissimoque linguæ argumento, quæ nulla parte Germanicæ est similis. Hellosios veterum in Gotlandia putant habitasse : Oxionas in Livonici sinus insula ponit vocabulum Oxiliæ, (nunc Æsiliam frequentius vocant,) et quod ovis avium vescebantur : inde a quibusdam Oones appellati : quæ nota nostris etiam temporibus durat. Nam avium innumera-  
bilibium agmina sub Maium mensem iis locis fœtificant : earum dispoliant incolæ nidos, ovaque sale condita ad diuturniorem victum recondunt.

Plin. IV. 13.  
Mela III. 6.

24. Hactenus Cornelii Taciti maxime secuti ductum, Germaniam ex obscuro vetustatis situ eruimus. Restat ut de moribus earum gentium pauca referantur. In universum æstimanti liquet, cœli terrarumque genio Germanos ad feritatem et arma inclinari debuisse. Tanta enim erat antiquitus partium istarum asperitas, ut maximo mihi argumento sit tam incredibilis facta mutatio, præter cognitos siderum cursus, certo quodam, sed nos fallente, motu

Liv. Epit.  
Cæs. de B.  
Gall. VI. 23.

naturæ partes invicem conjungi aut discedere. Sed ista subtiliorem indagationem desiderant.

Cæs. de B. Gall. I. et VI. Appian. Celt. Tac. Germ. 4. 25. Ceterum Germanis corporum magnitudo roborque, et copiosus sanguis pugarum aviditatem et vulnerum contemptum attulit. Valida et ingentia membra, truces et cærulei oculi, rutilæ comæ, communis olim omnibus habitus, nunc quoque manent, ubi minus peregrini sanguinis immixtum est. Nam hæc nostra Germania, maxime quæ Rheno est propinquior, peragrata Romanis exercitibus, insessa coloniis, conjugii innexa, quantum a cognatione priorum, tantum a similitudine recessit. Sed et pacis artibus cultior, morumque longe meliore temperamento agit.

Cæs. de B. Gall. VI. 23. Tac. Germ. 6. et Hist. IV. 61. Dio, XXXVIII. Appian. Celt. Nam pristina Germanorum feritas latrocinia, dum extra fines cujusque civitatis fierent, in laude ponebat: eadem, uti mos barbaris ratione non multum, superstitione plurimum moveri, mulierum vaticiniis incendebatur aut interquiescebat: nec sumi prælia, nisi his annuentibus, in morem verterat.

Tac. Hist. II. 35. et Dio, I. X. Tac. Germ. 5. Herod. VI. 26. Mortem extimescebant minus, quod se redituros ad vitam existimabant. Illud etiam e natura regionis, quæ multis passim lacubus fluminibusque finditur, profectum auctores mirantur, quod rapidissimos annuum vortices tranare Germani cum armis potuerunt. Pecuniæ antiquitus spretores, mox avidissimi facti, postquam Romanorum commerciis utilitatem ejus intellexerunt. Alia multa quæ de moribus eorum Tacitus retulit, procuranda

Plin. VII. 16. Belgica vicinus illis notusque, (et quæ accurato opere Philippus Cluverius,) propterea quod omnium manibus auctoris eximii opera teruntur, prætereo.

Cæs. de B. Gall. I. Dio, XXXVIII. Plut. Cæs. Cæs. 27. Cum hujusmodi gentibus tum primum sub nomine Germanorum dimicaturus populus Romanus, qui domi, quique militiæ erat,<sup>b</sup> haud tralatitia cura sese affligebat. In castris multi erant adolescentes nobiles, per amicitiam secuti Cæsarem, et quia mollem sub eo quæstuosamque militiam speraverant: quibus ille tribunatus præfecturasque dederat. Hi partim per varias causas commeatum

<sup>b</sup> Qui domi, quique militiæ erat] Romanorum qui domi erant. Cæsar, Dio, Plutarchus, nullam Neque profecto satis opportune hic mentionem faciunt eorum hic advocantur. Crer.

petebant a Cæsare : partim pudore prohibiti, tamen non dissimulabant metum, fatigue instantis acerbitatem soli, aut inter familiares deflebant, ‘ quod immanissimis gentibus, quibus nulla resisti vi humana posset, objicerentur.’ Ergo et alia indecore fiebant, et timorem incitabat militum, quod passim etiam in principiis testamenta scribebantur. Flor. III. 10.

28. Cæsar, trepidatione exercitus cognita, alienum a presenti statu putavit, in concionem eum advocari, priusquam ductores confirmarentur. Igitur consilio convocato, omnibusque adhibitis centurionibus, ‘ nullam esse causam timendi’ docet, ‘ ne Ariovistus solvat amicitiam tam diligenter quæsitam et cupide initam. Quod si maxime ille insaniat, non ideo despondendos animos, tanquam ob rem novam et atrocem, esse. Cimbros et Teutonos clade sua satis docuisse, nec invictam esse Germanorum ferociam, nec valde difficilem vinci. Sperare se non deterioribus usurum militibus, quam Marius habuisset: nec ipsos multo inferiorem cognituros imperatorem. Etiam Spartaci bello deletas Germanorum maximas copias a ducibus non maximis esse. Cum his ipsis hostibus per eos annos saepe Helvetios pugnasse: eosque non in suo tantum, sed etiam in illorum solo vicisse. Quorsum igitur timeant ab aliis expertos, cum haud magno negotio superiores victoribus eorum fuerint?’ Liv. Epit. Dio. Cæs. Plut. Cæs.

29. ‘ Quod autem quidam timori tegendo difficultates itinerum, et angustias frumentariæ rei obtendant; id ipsos arroganter facere, qui suum jus esse putent de his rebus consulendi, quæ totæ imperatoris officio continentur. Igitur illa sibi curæ et fuisse, et fore. Neque putare vera retulisse, qui milites propter timorem, ubi castra moveri jussisset, signa deserturos esse renuntiarent. Non ita se virtutis felicitatisque suæ, ac præterea innocentiae pœnitere, ut, quod malis atque avaris ducibus aliquando accidisset, id sibi metuendum a militibus suis existimaret. Atque ut statim periculum faceret animorum, quod antea in dies aliquot fuisset dilaturus, eadem nocte de quarta vigilia profecturum. De-

sererent sane quorum in animos potentior formido, quam Romani nominis et sacramenti memoria esset: sibi abunde fore si decima sequatur legio, de qua non dubitaret, quamque prætoriam esset cohortem habiturus.’

Plut. Dio.  
Cæs.

30. Hæ oratione mirifica commutatio animorum facta: et cum in vulgus militum quæ erant dicta a Cæsare emanassent, pars laudibus imperatoris alacriores redditi sunt: ceteri ad æmulationem ejusdem decoris incitati. Statim et deinde legio per tribunos militum gratias egit, ‘quod bene de se judicasset imperator:’ et reliquæ satisfacere studuerunt, ‘neque dubitasse unquam, aut timuisse; neque de summa belli suum, sed imperatoris esse judicium existimavisse.’

Dio.  
Front. iv.  
5. 11.  
Cæs. Plut.

Cæs.

31. Ita Cæsar eodem, quod prædixerat, tempore castris motis, cum nullo die iter intermisisset, septimo copias Ariovisti non longius passuum quatuor et viginti millibus<sup>e</sup> abesse intellexit. Ariovistus etiam celeri Cæsaris accessu, quem suum adventum vix præstolaturum putaverat, nonnihil commotus est. Idcirco, legatis missis, ‘quod antea petatum a Cæsare colloquium esset, ejus nunc venisse opportunitatem’ ostendit, ‘propius inter se congressis, et remota suspitione periculi.’ Convenit, ut in diem quintum colloquerentur.

Plut.

Dio. Cæs.  
Appian.  
ap. Fulv.  
Ursin.

Cæs.

32. Interea cum ultro citroque legati conveirent, Ariovistus negabat se venturum ad colloquium esse, si pedites Cæsar adduxisset. Cæsar quod neque tolli colloquium volebat, neque suam salutem Gallis equitibus credere, jussit eos præbere militibus e legione decima equos, quibus militibus quam maxime confidebat. Unde nec absurde quidam decumanorum, ‘plus quam pollicitus esset, facere Cæsarem’ dixit: ‘pollicitum in cohortis prætoriae loco decimam legionem habiturum, ad equum rescribere.’ Congressi sunt in conspicuo tumulo, quem patens undique planities ambibat. Equitatus utrimque ad passus ducentos abstetit: dein ad colloquium adducti sunt. Cum Cæsar imperare quidlibet, Ariovistus con-

Dio.

<sup>e</sup> *Passuum quatuor et viginti millibus*] Octo leucis nostratibus. Cæc.



cedere nihil vellet, et interim Germani tela conjicere in Cæs. Cæsarianos inciperent, diremtum sine fructu colloquium est.

33. Biduo post redintegrari Ariovistus colloquium postulat, aut aliquem ex legatis Cæsaris ad se mitti. Cæsar suos objicere periculo nolens, C. Valerium Procillum ex principibus Gallorum, unaque M. Mettium mittit, qui hospitio Ariovisti usus fuerat. Eos Germanus speculatum venire causatus, in catenas coniecit, statimque cum exercitu propius accessit ad Cæsarem: mox, præteritis ejus castris, ad duo millia passuum ultra consedit, quo commeatum impediret, qui ab Æduis Sequanisque supportabatur.

34. Ex eo die dies continuos quinque Cæsar, eductis in aciem copiis, potestatem pugnandi fecit. Ariovistus equestri prælio contentus concurrere, peditatum intra castra continebat. Eo genere pugnae potiores erant Germani, cum ad sex millia haberent equitum, quos lecti vir a viro totidem mira velocitate pedites comitabantur, sic exerciti, ut, quoties esset properandum, jubis equorum sublevati cursum adæquarent; de cetero pugnantibus equitibus pro munimento essent, ad quod se reciperent, aut ipsi ultro subvenirent laborantibus. Igitur Cæsar, ne diutius commeatu intercluderetur, circiter passus sexcentos longius quam Germanorum stativa erant, castris delegit locum, eumque, frustra prohibentibus Germanis, communivit: ac duas ibi legiones cum parte auxiliorum reliquit, quatuor reliquas in castra majora reduxit.

35. Ariovistus, cum ex more Cæsaris productæ in aciem copiae circiter meridiem in castra revertissent, partem suorum minora castra oppugnatum misit. Multum utrimque sanguinis fusum. Germani, re infecta, sub occasum solis recesserunt. Cæsar, quæsita ex captivis causa, propter quam de summa rerum Ariovistus decernere fugeret, eam esse intellexit, quod matres fami-

Dio, Cæs.

Frontin.

11. 1. 16.

Clemens

Stromat. 1.

Plut.

36. Eo magis Cæsar incitatus est, ut quam maturime contenderet, suo tempore usurus, si quidem vera mulieres dicerent; aut saltem facilius debellaturus impeditum religione hostem, et de victoria desperare jussum. Igitur, acie instructa, cum ad castra hostium succederet, irritati ignominia Germani processerunt et ipsi, nationatim distributis copiis. Præter Suevos ex quibus ipse erat, Marcomannos in exercitu Ariovistus habebat, et Triboccos, et Vangiones, Nemetasque, ac Harudes, et Sedusios, ignobiliora reliquis nomina, et vix certarum sedium, nisi quod Harudes ad lacum Acronium, quibus locis condita Constantia est, habitasse putant; Sedusios, aut, ut legi volunt, Sepusios, ad fines Nemetum in ripa Rheni.

Ortel.  
Thesaur. et  
Cellar.  
Geogr.  
Ant. 11. 5.  
Cæs.

37. Cæsar a dextro cornu, quod ibi imbecilliorum esse hostem senserat, commissa pugna, tanta Germanorum alacritate exceptus est, ut spatium pila in hostes conjiciendi militibus non daretur. Abjectis pilis, res acerrime gladio geritur: et cum, phalange facta, Germani testudine se tegerent, multi Romanorum super ipsa scuta salierunt, manibusque ea revellentes, desuper intulerunt vulnera. Interim ab altero cornu Romanus urgebatur: quam tum rem conspicatus P. Crassus, qui equitatu præerat, tertiam aciem subsidio misit. Hæc res plenam Romanis victoriam dedit. Ariovisto cum equitibus Rhenum versus fugiente, pedites, qui consequi non poterant, densatis agminibus restiterunt. Eos cum sine magno labore ac periculo militum cædi non posse Cæsar videret, emitti jussit, ratus futurum quod evenit, ut in fuga sparsi facilius opprimerentur.

Dio. Flor.  
Oros. vi. 7.  
Cæs.

38. Ariovistus, naviculam ad ripam deligatam nactus, transmisit amnem. Simili ratione, aut nando evasere perpauci: ceteros Romani equites consecuti interemerunt. Ne mulierum quidem infantiumque cædibus temperatum est: duæ conjuges Ariovisti occisæ cum una filiarum, altera pervenit in potestatem hostis. Cecidisse Germanorum octoginta millia feruntur. Cum maxima victoriæ tantæ lætitia esset, laud minus gaudium Cæsari fuit, C. Valerius Procillus Marcusque Mettius recepti. Valerius ter, se præsentem, sortibus de se consultatum narrabat, utrum statim igni combureretur: sortium beneficio super-

Plut.  
Appian.  
Celt.  
Cæs.

esse. Clades Ariovisti cum Suevis, qui ad Rhenum venerant, terrorem fecisset, Ubiis animos; domum revertentes illos Ubi insecuti, magnam multitudinem ceciderunt. Cæsar duobus ingentibus bellis eadem æstate confectis, aliquanto maturius solito exercitum in hyberna deduxit, Labienoque his præposito, in Cisalpinam Galliam ad conventus agendos profectus est.

39. Tanta Cæsaris felicitas cum adversariorum odia metunq̄ue acrius stimulet, reducendi Ciceronis consilio magnis studiis cœperunt incumbere. L. Domitius Ahenobarbus professas cum Cæsare inimicitias gerebat. Ab hoc et C. Memmio prætoribus relatum ad patres de superioris anni actis fuerat, priusquam in provinciam Cæsar iret: et cum ille, cognitione senatui delata, nec a senatu suscepta, profectus esset, statim quæstorem ejus in consularu legibus in præjudicium Cæsaris interrogandum curaverunt. Vatini quoque dicta dies, quo legato Cæsar utebatur. Sed et ipsum Cæsarem L. Antistius tribunus plebis postulavit. Cæsar, appellato collegio, ‘quod reipublicæ causa aberat,’ ne reus fieret obtinuit. Vatinius cum eadem exceptione posset uti, maluit in ipso judicio pæne deteriora scelera facere, quam quorum causa erat accusatus. Nam ubi dies venit, nominatim appellato P. Clodio ne causam diceret, illoque adjuvante, in tribunal sui quæstoris ascendit, eumque vi deturbavit, dissipavit subsellia, urnas disjecit. Sic in fugam conjectus est prætor, accusatores ejus vix e manibus Vatiniatorum erepti.

40. Horum intemperie stimulati, quicumque aut Ciceronis, aut omnino quietis atque legum cupidi erant, illum sibi virum omni conatu restituendum in priorem locum esse statuerunt. Sed deerat qui referret ad senatum, quamvis adeo pronum, ut nullis de rebus ante consuli vellet. Sed consules cum essent inter inimicos Ciceronis, ‘cupere se’ dicebant, ‘sed lege impediri.’ Nam id caput legis Clodius in curiæ poste fixerat, ‘ne quis ad senatum referret, ne quis decerneret, ne disputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret, ne scribendo adesset.’ Idcirco Domitius prætor ‘se’ dixit ‘relaturum, si consules nollent.’

41. Nihil tamen perfici eo anno potuit, quanquam

Suet. Cæs.  
c. 23. et  
Ner. c. 3.

Cic. in  
Vat. c. 14.  
Suet. Cæs.

Cic. in  
Vat. c. 14.

Cic. pro  
Sext. c. 31  
et in Pis.  
c. 13.  
Plut. Cic.  
Cic. in Pis.  
c. 13. et  
post red. in  
Sen. c. 2. et  
pro Domo,  
c. 26.  
Cic. ad  
Att. lit. 15.  
et post red.  
in Sen. c. 4.

Cic. pro Sext. c. 31. et 32. et ad Q. Fratr. 1. 2. præterea studiosissimi Ciceronis homines in magistratibus agerent, tribuni octo, P. Nigidius, L. Lentulus prætores: eratque inexplicabilis in Urbe consternatio, cum senatus propensissimam voluntatem consules per causam legis morarentur; plebs et facta improbaret Clodii, et eundem quo faceret quotidie plura adjuvaret. Is populi sensus maxime in theatro et spectaculis erumpebat. Eoque Clodius toto suo tribunatu spectando abstinuit; licet multi eo tempore magnifici ludi, et super omnes a M. Scauro apparatusissimi ederentur.

42. Ille enim ædilitio munere (noscenda enim hæc quoque est insania, quo minus ruinam libertatis admiremur) theatrum tantummodo ad temporarium usum fecit, triplici scena: ima pars e marmore fuit, media e vitro, summa tabulis inauratis. Columnas ea structura habebat trecentas sexaginta duodequadragenum pedum; c signa ænea inter columnas tria millia. Cavea ipsa cepit hominum LXXX. millia: duplum nempe ejus quod Pompeianum theatrum, sub eadem tempora structum. Sicyone olim præstantissimi pictores fuerunt: eorum opera omnia, quotquot in publico servabantur, propter æs alienum civitatis addicta, ad ornamentum theatri sui transtulit Romanam Scaurus: choragiumque antea translatis cultum, exquisito genere vestis induxit: tanta quidem Attalicæ vestis<sup>5</sup> copia, tabularumque pictarum, et ceteri apparatus, ut in Tusculanam villam reportatis quæ superfuerant, incensa ab iratis servis villa, conflagraret sestertium millies.<sup>d</sup>

43. Iisdem ludis ab hujus magnificentia cæpisse certamen athletarum dicitur, antea insuetum Romæ. Idem Euripum fecit temporarium ludis suis, et in eo hippo-

5 Vestis add. Crev. ex Plin.

<sup>c</sup> Columnas . . . trecentas sexaginta duodequadragenum pedum] Non omnes illæ columnæ erant duodequadragenum pedum, sed imæ tantum eademque maximæ. Id patet ex Plinio ipso, l. xxxvi. capp. 2. et 15. Ceterum ante has voces *duplum nempe*, inserui-

mus, auctore eodem Plinio, male omissum eorum hominum numerum quos cavea theatri capiebat. Crev.

<sup>d</sup> Sestertium millies] Hæc summa maris argenti æstimati potest 390625. Crev.

tantum et quinque crocodilos ostendit,<sup>6</sup> animalia nunquam antehac Romæ visa; postea perquisita tam intemperanter, ut hippopotami defecerint in Ægypto, ad hanc vitandam molestiam, pro sagacitate naturæ suæ, migrasse crediti in Blemmyas. Circensibus pantheras varias centum quinquaginta universas primus ostendit; itemque ossa longitudine pedum quadraginta, altitudine costarum majore quam sit elephantis Indicis, spinæ crassitudine sesquipedali: quæ belluæ fuisse dicebantur, quam ad oppidum Judææ Joppen (inde exportaverat Scaurus) liberator Andromedæ Perseus interfecisset. Non igitur mirum, si per hunc furorem in æs alienum grande se immersit stultissimus adolescens, non sufficientibus opibus, quas pater, diu princeps civitatis, et sub justitiæ larva minime in rapiendo segnis, quasque mater Metella, mariti Syllæ proscriptionibus ditata, amplissimas reliquerant.

44. Eodem anno, novum et inusitatum antea, designatorum consulum provinciæ ornatae sunt. P. Lentulus, Q. Metellus erant: alter amicissimus Ciceroni, alter, deposita quam cum eo gesserat similitudine, non vehementer adversus. Igitur octo tribuni plebis A. D. iv. Kalendas Novembres promulgaverunt de reditu Ciceronis legem, eaque de re postea retulerunt ad senatum. Ibi Lentulus, nihil territus lege Clodia, sententiam libere dixit; sed Pisone et Gabinio repugnantibus nihil effectum, donec novi consules magistratum iniverunt. Cujus ipso principio, Kalendis Januariis,\* agente consule P. Lentulo, sententiæ de reditu Ciceronis in senatu, præsentis etiam et approbante Pompeio, dictæ sunt. Sed et Q. Nepos consul susceptas cum Cicerone inimicitias patribus conscriptis et temporibus reipublicæ dixit esse remissurum. Varia tamen ludificatione senatus impedita est auctoritas.

45. Ideirco Q. Fabricius tribunus plebis, rogatione proposita, cum populo ante diem viii. Kalendas Februarias agere statuit. Sed id quoque vanum inceptum Clo-

Themist.  
Or. x.  
Ammian.  
Marcell.

xxxii.  
Plin. viii.  
17.  
Plin. viii.  
5. et Solin.  
c. 37.

Ascon. in  
Scanr.

Plin.  
xxxvi. 15.

Cic. ad  
Att. iii. 24.

Cic. pro  
Sext. c. 33.  
et ad Fam.  
v. 4.

Cic. ad  
Att. iii. 23.  
et post red.  
in Sen. c. 2.  
et 3. pro  
Sext. c. 32.  
33. et 34.

Cic. pro  
Sext. c. 35.

6 Deerat ante Crev. τὸ ostendit.

\* A. U. C. 695. A. C. 57.

dianorum efficiebat audacia, qui multa de nocte curiam, forum, comitium armati occupaverant. Ab his Fabricius repellitur, itemque collega ejus M. Cispus: cædes in foro editur maxima.<sup>7</sup> Q. Cicero, qui nuper ex provincia Asia decesserat, cum ad supplicandum pro salute fratris venisset, pulsus a rostris, inter cadavera latuit, ut opinione mortis mortem evitaret.

Plut. Cic.

Cic. pro  
Sext.

46. Idemque non multo post P. Sextio tribuno plebis in templo Castoris accidit. Cujus tamen periculum contrariæ factionis tribuno Quintio propemodum exitiosum fuit. Nam Clodiani furoris satellites, quod occisum a se tribunalum putabant, hunc licet suarum partium ad necem quæsiverunt, ut similis facinoris suspitione adversarios onerarent. Nec ante hic timere mortem desiit, quam rescitum est, Sextium vivere.<sup>8</sup> Studiosissimus Ciceronis hic

Cic. pro  
Sext. c. 33.

Cic. ad  
Att. III. 23.  
et post red.  
in Sen. c. 8.

Sextius erat, qui et designatus iter suscepit ad Cæsarem, ut illum induceret ad causam, aut saltem a voluntate resistendi abduceret: et, inito magistratu, rogationem scripsit, et suis copiis, clientelis, vitæ etiam periculo amicam constantissime juvit.

Liv. Epit.

Cic. pro  
Sext. c. 39.  
et seq. et  
pro Mil.  
c. 13.

Cic. de  
Har. Resp.  
c. 21.

Dio,  
XXXIX.

47. Præminebat tamen T. Annii Milonis studium, qui Clodium modis omnibus acerrime vexatum, postremo lege Plotia de vi reum fecit. Sed elusum id iudicium est edictis magistratum qui Clodio favebant. Consul Metellus, nondum satis placatus Ciceroni, ad hæc propinquus Clodio, itemque frater Appius prætor, unusque de collegio tribunorum vetabant iudiciorum fieri mentionem priusquam quæstores crearentur, apud quos sortitionem iudicium fieri oportebat. Hoc ideo fiebat, ut inter hæc moram petere Clodius ædilitatem posset: et magistratum adeptus, quod factitatum ab aliis fuerat, iudicium effugeret.

Cic. pro  
Sext.  
Dio.

48. Igitur Milo, sublata iudicia cernens, et auctoritate senatus accusatione se prohiberi; cæpit et ipse gladiatores, aliamque secum sentientium turbam, circumducere. Unde quotidianæ propemodum inter factiones pugnæ, cædesque tota Urbe fiebant. Domus etiam L. Cæcilii

Cic. pro  
Mil. c. 11.

<sup>7</sup> Maxime legebatur olim. Ex Cic. mutavit Crev.

<sup>8</sup> Nec ante hæc . . . Sextium venire in edd. ante Crev. exhibetur.

prætoris, et postea domus Milonis atque Ciceronis a Clodianis sunt oppugnatae. Inter has inflammata Q. Ciceronis.<sup>e</sup>

49. Cum Milone Pompeius sentiebat, adeoque spe consulatus excitasse illum putabatur, ut reducendo Cicerone de Clodio se vindicaret. Idem, coacto ingenti agmine, cum rogationem suam Milo perlaturus esset, Clodianis fugatis, forum ei liberum præstitit: ut ejusdem hominis intentissima cura Cicero restitueretur, cujus prodicione eversus profligatusque fuerat. Jam impar consensui tot potentium Nepos, impugnare Ciceronem desierat; et, P. Lentulo referente, Pompeioque sententiam de scripto dicente, senatus decreverat reditum. Eo facilius accepta rogatio est, ut quicquam unquam tanto consensu populi rogatum negent.

50. Eodem tempore senatus decrevit, 'ut civitatibus quæ in Ciceronem officiosæ fuissent, itemque privatis, qui ex municipiis salutis ejus causa convenerant,<sup>9</sup> gratiæ agerentur: atque domus ejus et villæ publico sumtu reficerentur: solo, quod Libertati dedicaverat Clodius, religione per sententiam pontificum liberato.' Extat adhuc disertissimi viri pro domo sua oratio. Ex qua et aliis sub eisdem annos habitis, multum luminis illorum temporum historiæ aspergitur. Dixit pro eadem domo M. Calidius, qui tum præturam gerebat. Postridie quam apud pontifices Cicero dixerat, Kalendis Octobribus senatuscon-

9 *Conveniant* edd. ante Crev.

pro Sext. c. 42. et 44. pro Cal. c. 32. ad

Att. iv. 3. Dio.

Appian.

Civ. 11.

Plut.

Pomp. et

Cic.

Vell. II. 45.

Dio.

Cic. pro

Sext. c. 62.

Cic. pro

Sext. c. 61.

Plut. Cic.

Cic. pro

Dom. c. 32.

et pro Sext.

c. 62. et

post red. in

Sen. c. 10.

et 11.

Plut. Cic.

Cic. pro

Dom. et in

Pis. c. 22.

Quintil. x.

1. Cic. post

red. in Sen.

c. 9.

Cic. ad

Att. iv. 2.

<sup>e</sup> *Domus etiam L. Cæcili prætoris, et postea domus Milonis atque Ciceronis a Clodianis sunt oppugnatae. Inter has inflammata Q. Ciceronis* Quo tempore domus L. Cæcili prætoris oppugnata sit, non definit clare Cicero. Sed cum Asconius in Milonianam doceat, quod infra c. 52. narratur, ludis Apollinaribus, quos ille prætor faciebat, seditionem motam fuisse, in idem tempus satis verisimiliter rejicienda videtur domus ejus oppugnatio.

Certe constat ex Cic. ad Att. iv. 3. domum Milonis oppugnata, domum Q. Ciceronis inflammata post M. Tullii reditum fuisse. Quod hic dicitur de domo ipsius Ciceronis oppugnata, in idem quoque tempus differri profecto debet. Vid. infra, c. 84. Nam nunc quidem oppugnari domus Ciceronis non poterat, quæ nulla erat, utpote statim post domini fugam eversa et incensa. Crev.

sultum factum est, 'placere domum ei restitui.' Ei senatusconsulto tribunus plebis Sex. Atilius Serranus Gavianus intercessit: sed consensu senatus, et Cn. Oppii Cornicini soceri ad pedes ejus procumbentis precibus victus, remisit.

Plut.  
Appian.  
Cic. post  
red. in Sen.  
c. 15.  
Plut.  
Cic. ad  
Att. iv. 1.  
et in Pis.  
c. 22.  
Vell. ii. 45.  
Appian.  
Plut.  
Dio.

51. Sic post menses ferme sedecim, quam fuerat Urbe expulsus, Cicero rediit, tanto favore hominum, ut, cum ipse 'humeris Italiae se reportatum' diceret, rem minuere potius aliquanto, quam augere videretur. Cum ad Urbem accederet, tanta gratulantium obviamque prodeuntium multitudo fuit, ut vix totus dies illis officiis sufficeret. Fuit inter illos et M. Crassus inimicus antea, sed tum in gratiam filii magno studio redeunti se offerens. Sic inter hos reconciliata, magis tamen in speciem, quam vere et penitus, est gratia: diciturque in illum et Cæsarem scripsisse librum de consiliis suis Cicero, refertum in hos probris, ideoque nec ab auctore editum.

Cic. ad  
Att. iv. 1.  
et pro  
Dom. c. 7.  
et 10.  
Ascon. in  
Milon.

52. Cum Pompeio meliori fide reversus est in gratiam, et ne poenitere eum suæ voluntatis posset, statim beneficium reddidit, senatu inducto, ut ei per quinquennium annonæ cura, Sex. Clodio improbo et audacissimo homini erepta, mandaretur. Ingenti enim Urbem premente fame, plebs insanis tumultibus fremebat. Et primum Apollinaribus ludis, quos L. Cæcilius Rufus prætor faciebat, tanta infimæ multitudinis concursatio fuit, ut omnes qui, spectandi gratia, conederant, theatro pellerentur. Deinde in Capitolium, cum ibi senatus haberetur, concursus factus, incendium templo, necem senatui minitantium. Inter eam consternationem auctor patribus Cicero fuit, Pompeio curam illam decernendi. Proconsulare imperium per Italiam omnesque terras, quale prius piratico bello tenerat, datum.

Cic.  
  
Plut.  
Pomp. et  
Dio.

Cic. ad  
Att. iv. 1.  
  
Plut.  
Pomp. et  
Apoph.  
Rom.

53. Pompeius, accepta curatione, legatos postulavit quindecim, et in his principem Ciceronem. Quibus passim per provincias dimissis, in Siciliam, Sardiniam, et Africam ipse navigavit. Inde cum onustis navibus reversurus, inter contationem gubernatorum, qui tempestatem timebant, primus consensu navigio solvere jussit, nobilissima voce edita, 'navigare necessum esse, vivere



non esse necessum.' Absente Pompeio, cum nihilominus ferveret Milonis atque Clodii contentio, civitasque et senatus in partes scinderentur,<sup>10</sup> referente P. Rutilio Lupo, qui recens tribunatum inierat, frequentiore curia, quam mense Decembri sub dies festos putari potuisset, de judiciis agitatum est. Marcellinus consul designatus sententiam dixit, 'Uti prætor urbanus ipse sortiretur iudices: iudicum sortitione facta, comitia haberentur.' Id cum probaretur, C. Cato, C. Cassius tribuni comitia prius habenda contenderunt. Hæc sententia vicit: et comitia, non sine maximis certaminibus obnuuntiante Milone, perfecta, Clodiusque ædilis curulis factus est.

54. Dum hæc in Urbe fiunt, C. Cæsar gravissimum in Gallia bellum habuit. Belgarum populi, Remis exceptis, omnes conjuraverant, incredibili hominum multitudine armata: quippe Bellovacos millia sexaginta pollicitos Cæsar ipse prodidit, quinquaginta Suessiones, totidemque Nervios: at Ambianos, Caletes, Velocasses, et Veromanduos dena millia: quindecim Atrebates, quinque et viginti Morinos, septem Menapios, et Atuaticos undeviginti.<sup>f</sup> Præterea Condrusos, Eburones, Cæraesos, Pæmanos, qui uno nomine Germani appellabantur, armatorum præbuisse millia circiter quadraginta: ita ut<sup>g</sup> non injuria de fide auctoris dubitaverit quidam Galliæ regum, quod ex universo regno tantam hominum bello utilium multitudinem (trecentis enim millibus plures fiunt) cogi posse minime arbitraretur, quanquam refertum habitatoribus esset. Sed olim, ut arbitror, quia pacis artes minus frequentabantur, uberior militum copia fuit: nunc eo res deducta est, ut magnæ eruditionis cum insigui patriarum

Cic. ad Q. Fratr. 11. 1.

Cic. ad Att. 1v. 3. Dio.

Cæs. de B. G. 11. Dio. Plut. Cæs. Oros. vi. 7. Liv. Epit. Appian. Celt. Cæs.

Pasq. Recherches de la France, t. 3.

<sup>10</sup> Scindebantur edd. ante Crev.

<sup>11</sup> Ut ita legebatur ante Crev.

<sup>f</sup> Septem Menapios, et Atuaticos undeviginti] Vulgatæ Cæsaris editiones novem millia Menapios, Atuaticos undetriginta pollicitos esse volunt. Crev.

<sup>g</sup> Ita ut non injuria de fide auctoris dubitaverit quidam Galliæ regum] Vellemus sane Freinshemius hunc Galliæ nostræ regem nominasset, qui ex universo

regno trecenta bellatorum millia cogi posse negabat. Profecto, Ludovico Magno imperante, cum totius Europæ adversus se conjuratæ vires una Gallia sustineret, et in Italia, ad Rhenum, ad Mosam, in Hispania numerosos aleret exercitus, plures quadringentis hominum millibus sæpe sub armis fuerunt. Crev.

rerum peritia Gallus scribere non dubitarit, ' citius ducenta millia scribarum,<sup>b</sup> quam triginta millia militum reperiri hodie in Gallia posse.'

Dio.  
Caes.

55. Causa bellandi præcipua fuit, quod Belgæ, successibus Cæsaris territi, nec ambitionis ignari, ad se quoque perventura arma imperiumque Romanum sentiebant. Ad hoc a quibusdam Celticorum Gallorum, diversis de causis incitabantur. Initium armorum a populatione agrorum ortum, in Remos effundente se Belgarum ira, quorum etiam oppidum Bibrax acriter ab his oppugnatum est. Sed quia haud longius quam ad octo millia passuum castra Cæsaris aberant, et inde subsidia Remis mittebantur, relicto Bibracte, Belgæ protinus ad castra Romana contenderunt.

56. Axona flumen per extremos Remorum fines labitur, ad quod Cæsar eo tempore conederat, castris diligenter munitis, quod propter multitudinem hostium et virtutis eximiae famam, non statuerat prælium præterquam ex commodo suo committere. Sed postquam in transitu fluminis impeditos didicit, (nam ut Q. Titurium legatum, cum sex cohortibus in altera ripa relictis, opprimerent; aut, si hoc non possent, Remorum vastarent agros, partem suorum transducere conabantur,) cum omni equitatu ac levi armatura pontem transgressus, multos occidit; alios per suorum corpora transire conantes, multitudine telorum repulit; aliquem numerum, qui jam transmiserat, equitatu circumvenit.

57. Hostes sibi sua consilia parum feliciter succedere experti, ad hoc audito concitatos a Cæsare Æduos Bellovacorum fines hostiliter intrasse, secunda vigilia, nullo certo ordine neque imperio, ad sua proficisci instituerunt: sic inter se pacti, ut qui eorum primi a Cæsare petiti essent, ad horum defensionem universi concurrerent. Cæsar, dis-

<sup>b</sup> *Citius ducenta millia scribarum*] Parum aut eleganter aut clare vertit Gallica Stephani Pasquier verba Freinsheimius. Itaque hic ea apponere libet: *Nos rois léveroient plutôt deux cents mille (hommes) suivant l'état de la plume, que trente mille hommes*

*de guerre.* Ceterum ejus rei penes auctorem volumus fidem esse, qui licet Gallici novimus amantissimus, et sive ingenii amenitate, sive judicii sanitate commendatus, hic tamen dictum noluit perdere. *Crer.*

cessu hostium per speculatores cognito, milites tamen, quod in re inexpectata metuebat insidias, castris continuit. Prima deinde luce misit, qui hostes moraretur, univsum equitatum cum Q. Pedio, L. Aurunculeio Cotta legatis. Labienum cum legionibus tribus subsequi jussit. Cum hostium ea ratio esset, ut novissimi se converterent, et impressionem Romanorum sustinerent, ceteri interim contente fugerent; illos superveniens Labienus disjecit, et fugientibus immissus eques ingentem stragem edidit. Nec moratus Cæsar, quin postridie statim in Suessionas duce-  
ret. Ii se statim, neque multo post Bellovaci dederunt. Cæsar utrumque populum, Suessionas Remis, Bellovacos Æduis deprecantibus, conservavit. Mox Ambianis receptis, ad fines Nerviorum perventum.

58. Hi neque miserant ad Cæsarem legatos, et ferocissimi Belgarum omnium habebantur, institutis virtutem roborantibus, cujus vigorem, prohibitis in fines ingredi mercatoribus, vinoque et peregrinis deliciis præcluso aditu, tuebantur. Vetus genti adversus finitimorum incursiones præsidium in sylvarum munimentis erat, quas arte quadam ita implicatis arboribus, rubisque et sentibus inter eas serendis densaverant, ut non modo pedibus inaccessæ atque inviæ, sed ne visu quidem penetrabiles essent.

59. Ex his veluti lustris subito Nerviorum et Veromanduorum ac Atrebatum, quibus eadem Nervii persuaserant, sexaginta millia proruperunt, impetuque in Cæsarianos castra metantes facto, cruentam ediderunt pugnam. Tanta enim fortitudo et celeritas hominum fuit, ut obiectum Cæsaris equitatum momento funderent, flumen interpositum (Sabis erat, Sambram vocant hodie) superarent, et in adversum collem, ubi castra Cæsaris erant, eniterentur. Ibi cum maximum discrimen esset, septimæque et duodecimæ legionum centuriones propemodum omnes cecidissent, Cæsar, ut nutantem exercitum confirmaret, raptò e manu militis sento, in primam aciem provolat, præliumque restituit: donec duæ legiones, quæ impedimentis relictæ præsidio fuerant, et ab Labieno, qui castra

Plut.  
Flor. III. 10.  
Val. Max.  
III. 2. 19.  
Plut.  
Cæs.

*Delph. et Var. Clas.*

*Livius.*

11 X



interim hostium ceperat, missa <sup>12</sup> decima, succurrere laborantibus potuerunt. Horum superventu mutata fortuna est, hostiumque totus ferme exercitus pugnando deletus.

60. Hoc prælio facto, majores natu Nerviorum, quos cum pueris atque mulieribus in loca paludibus invia miserant, Cæsari se dediderunt. Horum legati in exponenda civitatis calamitate dixerunt, ‘de sexaginta millibus armatorum non amplius quingentos superesse, et tres admodum senatores de quadringentis.’ Cæsar misertus suis eos finibus oppidisque jussit uti: finitimisque imperavit ne quam facerent populi Romani dedititiis injuriam.

61. Atuatici, Cimbrorum Teutonorumque progenies, ex iis orti qui a properantibus in Italiam relictis cum impedimentis in Gallia fuerant, cum ad auxilium Nerviorum serius moti essent, eorum cladis nuntio accepto, retulerunt se domum, desertisque ceteris oppidis atque castellis omnibus, in unum, quod omnium natura munitissimum erat, se incluserunt: accedentesque Romanos crebris excursionibus morati, ad vallum duodecim pedum, circuitu quindecim millium, crebraque castella excitanda Cæsarem compulerunt. Postquam ea facta sunt, et procul ædificari turrim viderunt, ridicula res ignavis visa: increparuntque de muro, ‘quorsum homines inepti tanta opera molirentur? Anne sperarent tantillis corporibus’ (nam præ magnitudine sua staturam Romanorum despiciebant Galli) ‘tantam molem in muros posse attollere?’ Sed ubi moveri turrim, simulque armatos in ea stantes viderunt, exterriti velut miraculo, miserunt legatos, ‘existimare se non nisi Deorum ope bellare Romanos, qui tantæ altitudinis opera tam celeriter promoveant: itaque se sueque illorum fidei permittere: unum deprecari, ne arma tradere cogantur, sine his prædæ vicinis populis futuri, quibus hæcenus dominari consuevissent.’

62. Cæsar omnino tradi arma jubebat: ‘se, quod in Nervii fecisset, imperaturum finitimis, ut injuriam ac vim ab his abstineant.’ His in oppidum nuntiatis, tanta vis armorum in fossam dejecta est, ut propemodum summam

<sup>12</sup> Vox *missa* abest ab edd. ante Crev.

muri atque aggeris altitudinem adaequaret: portisque patefactis, Romani milites in oppidum recepti sunt. Ast ubi Cæsar sub noctem milites egredi, portasque claudi jussit, ne quam injuriam oppidani acciperent; illi de tertia vigilia correptis armis quæ celaverant, aut subito compararant, munitiones Romanorum adorti sunt. Sed quia Cæsar adversus omnem casum mature providerat, celeriter concursum e castellis, et post acrem pugnam Atuatici repulsi sunt, quatuor ferme amissis hominum millibus. Postridie refractis portis, nemine ultra defendente, captum oppidum atque subhiastatum est. Quinquaginta tria millia capitum numerum sectores ad Cæsarem retulerunt.

63. Sic omni pacata Gallia (nam sub idem tempus legatus Cæsaris P. Crassus, Venetos, Osismios, Curiosolitas, ceterosque ad oceanum populos in ditionem populi Romani redegerat) tanta fuit Cæsaris gloria, tantusque omnium circa terror, ut etiam a Transrhenanis gentibus legati mitterentur: quibus ille ad initium æstatis proximæ jussis occurrere, legiones in hyberna deduxit, ipse in Italiam est profectus. His rebus in Urbem nuntiatis, decreto senatus supplicatio in dies quindecim, ob res a Cæsare in Gallia gestas, fuit. Qui numerus nulli antea decretus unquam fuerat. Sed ferocissimæ maximæque gentes erant domitæ, ut honorem mereretur Cæsar. Præterea summa ejus erat in senatu potentia, apud populum favor, ut res per se amplissimæ, quia ab hoc erant gestæ, majores etiam gratioresque haberentur.

Cic. de  
Prov. Cons.  
c. 11.  
Cæs.  
Plut. Cæs.

64. Eadem ætate qua hæc sunt gesta, Ser. Galba enim legione duodecima et parte equitatus, in Nantuates, Veragros, Sedunosque missus a Cæsare, prosperis aliquot factis præliis, pacem petentibus dedit. Gentes illæ a finibus Allobrogum, et lacu Lemano, et flumine Rhodano, ad summas Alpes colebant; cupiebatque pacatas Cæsar, quo tutius per Alpes minusque sumtuosum mercatoribus iter foret, a quibus illi populi magna portoria exigebant.

Cæs. de B.  
Gall. III.  
Oros. VI. 8.  
Cæs.

65. Igitur Galba de sua legione duas cohortes in Nantuatibus, octo in vico Veragrorum Octoduro in hybernis collocat: alteram oppidi partem, nam torrens medium

dividebat, suis cohortibus occupat, in alteram commigrare jubet oppidanos. Ibi Veragri Sedunique, collecti ad triginta hominum millia, subito quæ Octoduri erant hyberna oppugnare cœperunt: donec nullo nisi in virtute reliquo præsidio, auctoribus Sextio primipilari, et Voluseno tribuno, eruptio facta, et amplius tertia pars hostium concisa est. Galba, incenso vico, incolumem legionem per Nantuates in Allobrogum fines deduxit, ibique reliquam partem hyemis exegit.

Liv. Epit. 66. Per eadem tempora M. Cato, lege Clodia ad redigendam in provinciæ formam Cyprum missus, reductis Appian. Civ. II. Byzantinorum prius exulibus, in insulam venit, morte Plut. Cat. Ptolemæi vacuam, qui neque paratus ad resistendum, Dio. neque regno amisso vivere sustinens, veneno epoto perierat. Vell. II. 45. Pollicitus erat præmissus a Catone Canidius, popul. p. 684. sacerdotium Plut. Veneris Paphiæ concessurum esse: verum ille mortem Val. Max. potiorum eo ludibrio habuit, stulta tamen avaritia conservatis opibus. IX. 4. Cum enim aliquando, ut vicissim prædonibus suis ægre faceret, omni pecunia in naves imposita, Appian. provectus in altum esset, eo consilio ut secum omnia mergeret, non sustinuit perdere propter quæ se periturum Val. Max. intelligebat. A Cypriis Cato promte acceptus est, mitior. Dio. orem sub jure Romano, quam in servitute regia habuissent, sortem sperantibus. Plut. Ideirco Catoni nihil fuit reliquum, quam ut ordinaret provinciam, et pecuniam regiam, et quod ejus ex instrumento Ptolemæi vendito redigi potuit, reportaret. Plin. Vendidit enim omnia, una solummodo NAXIV. S. VII. 30. excepta Zenonis statua, non propter æris aut artis excellentiam, sed in honorem philosophiæ.

Plut. Cat. 67. Hæc cum ab illo integerima fide acta essent, summa longe major, quam sperare quisquam potuisset, redacta est. Paulo minus septem millia talentorum<sup>1</sup> navibus impositum est: ita distribuyente adversus naufragiorum pericula Catone, ut singulis vasis, qualia ad condendam pecuniam multa magnitudine æquali paraverat, corticem

<sup>1</sup> Septem millia talentorum] Marcarum argenti nostrates 656250. *Crev.*

suberis longo funiculo alligaret, ut, si forte mersum navigium esset, locum amissæ pecuniæ cortex indicaret. Ita præter Asiam Cycladasque et Epirum vectus, tantum ubique abstinentiæ præstitit, ut in locis amœnissimis, omnique genere deliciarum famosis, tantarum opum compos, ab omni non lucro tantum, sed etiam Venere abstineret.

68. Cum primum Tiberim liburnis subiret, consules, senatus, sacerdotes, tota ferme civitas obviam effusa est, turpi confessione avaritiæ, qua sine si fuisset, ob unius tribuni plebis furiosas iras, vivus vidensque rex amicus, neque ullius in rem Romanam injuriæ reus, neque rebus ut solet repetitis, causa incognita, non esset cum bonis omnibus publicatus. Huic tanto dedecori publico qui ministerium, quanquam invitus, præbuerat Cato, tam diligens commissi custos fuit, ut ad occursum senatus et ceterorum non ante exscenderet, neque inhiheret cursum, quam ad locum perventum est, ubi erat exponenda pecunia. Inde translata per forum admirationem excitavit spectantium: nec erat res triumpho absimilis, frequentia et gaudio celebrantium; et plus inferebat ærario, quam factum ex ullo triumpho fuerat.<sup>k</sup>

69. Actæ ob hæc Catoni in senatu gratiæ, consulibusque referentibus prætura illi, et jus spectandi ludos prætextato extra ordinem data. Ea cum decreta magnam Catoni gloriam conferre viderentur, majorem spreta illi atque repudiata dederunt. Quippe extraordinariis potestatibus semper adversus, quod in aliis non probabat, ejus in se conspici exemplum non patiebatur. Cum Clodio mox contentionem habuit ob servos regios, quorum numerum ex Cypro adduxerat. Eos, quod ex sua lege adducti essent, Clodianos appellandos ille dicebat. Cato nec id concessit, neque Porcios a suo nomine vocari, quod nonnullis placebat, voluit. Cyprii nominati sunt.

70. Ab hoc initio Clodius acta vellicare Catonis insti-

<sup>k</sup> Plus inferebat ærario, quam factum ex ullo triumpho fuerat] Sic quidem Florus, elate pro suo more. Et apud Plutarchum quoque Cato gloriatur sese plus intulisse ærario, quam Pompeius

fecisset. Sed tamen viginti milia talentorum eodem teste Plutarcho in Pompeii triumpho translata sunt. Vid. supra, ciii. 50. *Crex.*

Val. Max.  
iv. 3. 2.

Plut. Vell.

Strabo.

Cic. pro  
Dom. c. 8.

Flor. iii. 9.

Sex. Ruf.  
c. 13.

Marcellin.

xiv. 27.

Cic. pro  
Sext. 28. et

29.

Vell. ii. 45.

Plut.

Flor. Plut.

Dio.

Val. Max.  
iv. 1.

Cic. pro  
Dom. c. 9.

Dio.

tuit, et rationes acceptæ pecuniæ postulare. Nec erat ulla contra clarissimam viri notissimamque integritatem suspicio : sed quia commentarii, quos diligentissime confecerat, naufragio erant amissi, calumniæ color aliquis dabatur. Hanc ad instruendam accusationem conferre operas Cæsar dicebatur, epistolas ad Clodium ea de re missitendo. Inter alia criminabantur dimissam velut a recusante præturam, cum ipse fuisset relationis consulibus auctor ; deinde rem obtineri non posse sentiens, sponte a se omissam simulasset.

Liv. Epit.  
Dio.  
Plul. Cat. 71. Priusquam in Cyprum Cato navigaret, rex Ægypti Ptolemæus, suorum injurias fugiens, Romam properabat. Cum Rhodum venisset, ubi tum adhuc Cato agebat, misit ad illum, et uti ad se accederet petiit: Cato vicissim ad se venire jussit si vellet, in valetudine curanda occupatus. Id cum factum esset ab rege, nec prodiit obviam, nec assurrexit venienti, sed translatitie salutatum considerare jussit. Unde regem magnus invasit stupor, in tanta vilitate cultus tantum supercilium admirantem. Sed ubi ille reprehendere consilium cœpit certa commutantis cum incertissimis, et, ommissa patria, Romanorum principum avaritiæ se permittentis, quos vix tota in argentum conversa satiare Ægyptus posset; jussitque reverti, et redire in gratiam cum civibus, comitem ad hoc et adiutorem se offerens; libertate atque prudentia hominis perspecta, ut consilium ejus sequeretur motus est: deinde iterum revocatus a familiaribus Romam contendit. Sed, ubi primum ad unius e magistratibus domum accessit, intellecto fastu Romano, recordatus est Catonis, deflevitque imprudentiam suam, per quam vinci se passus esset ad contemnendum non tam hominis sapientis consilium, quam Dei cujusdam prædictionem.

Plut. Pomp. 72. Impulsum a Theophañe Mitylenæo Ptolemæum, uti ob causas non maximas Ægyptum desereret, Timagenes scripsit, novas quærente imperiorum et opum occasiones Pompeio suo: auxitque suspicionem Pompeius hospitio regem excipiens. Neque amici ejus ac familiares voluntatem hominis obscuram esse passi sunt. Ceterum causæ propter quas discesserit ex Ægypto Ptolemæus,

Dio.  
Cic. ad  
Fam. 1. 1.  
Dio.



non aliae traduntur, quam quod, magna in Romanos profusa pecunia, ut socius et amicus appellaretur, eam extorquere a popularibus non poterat: ultro rem iuculantibus, repetique iubentibus ab omni memoria subjectam Ægyptiis Cyprum, aut amicitiae illud inane nomen abjicere.

73. Sane etiam ob morum infamiam exosus contemtusque erat, super alia indecora regibus tibiæ ita studiosus, ut palam in regia certamina institueret, et inter certantes ipse esset: unde et nomen ei Auletes hæsit. Alexandrini, nondum cognito regis itinere, cum morte sublatum existimarent, Berenicen regnare jusserunt, Ptolemæi filiam, de tribus natu maximam, et solam ex legitimo matrimonio natam. Aderant et filii duo, sed propter imbecillitatem ætatis posthabebantur.

74. Igitur ut reginæ maritum quærerent, Menelaum, et Lamponem, et Callinaudrum mittunt, Antiocho delaturos conditionem, qui non ita pridem Syriæ regno exciderat, et propter matrem Selenen Ægypti regnum ad se putabat pertinere. Sed mors illius eum vanam hanc quidem expectationem effecisset, tamen ex eadem domo matrimonium petendum rati, Seleucum quemdam accessunt, qui se stirpe Syriacorum regum editum ferebat.<sup>1</sup> Sed cum esset moribus sordidis et illiberalibus, Cybiosactes<sup>m</sup> (quasi sacramentarium diceeres) ab Alexandrinis appellatus, paucos intra dies periit; cum Alexandri Magni oculum aureum, substituto vitreo, rapuisset, neque quicquam ante studium pecuniæ poneret; jussu reginæ, quæ perferre sordes ejusmodi non poterat, strangulatus.

75. Comperto deinde Romæ Ptolemæum degere, legatos et ipsi centum miserunt, qui ad crimina responderent regis, et ultro ipsum accusarent. Sed ex eo numero plerique in itinere, pars in ipsa urbe Ptolemæi dolis occisi sunt: cum ille, multis Romanorum pecunia corruptis,

<sup>1</sup> *Seleucum quemdam . . . qui se stirpe Syriacorum regum editum ferebat*] Videtur ille fuisse frater Antiochi Asiatici, qui modo memoratus est. Ita censet Grævius in not. ad Cic. Verr. iv. 27. *Crev.*

<sup>m</sup> *Cybiosactes*] Παρὰ τὸ σάπτειν

τὰ κύβια. Cybia pro quodam sacramenti genere usurpantur a Plinio l. ix. 15. Σάπτειν est onus jumento imponere, ut faciunt mercium vectores et camelitæ. Hæc fere Casaubonus ad Strabonem. *Crev.*

Strab. xvii. p. 796.

Dio.

Porph. ap. Euseb. p. 226. Strabo.

Porph. ap. Euseb. p. 227.

Cic. in Verr. iv. 27. Porphy. Dio. Strab.

Casaubon. ad Strab. Strabo, xvii. p. 794.

Dio.

insidias locis omnibus posuisset. Hæc omnia tam et aperte et impune committebantur, uti, si M. Favonius Catonianæ libertatis æmulus tacuisset, nemo relaturus de tanto scelere fuerit. Illo accusante peregrinam temeritatem, domesticam avaritiam, species aliqua pristini pudoris, neque diuturna, incessit, ut princeps legationis Dio, haud incelebris academicæ sapientiæ professor, vocaretur in senatum, de rebus illis interrogandus.

Strabo,  
xvii. p. 796.  
Dio.

76. Hoc adeo sine cura veri et honesti factum, ut paulo post ipse etiam Dio occideretur, tantumque pecunia regis posset, ut, donec ipse Romæ fuit, nulla sit instituta de tantis criminibus quæstio. Desperabundus tamen de negotii eventu, concessit Ephesum, ut ibi velut in religiosissimo loco, tutius minusque contra dignitatem regiam degeret. Inter hæc, ut magistratum tribuni inierunt, C. Cato turbulentus adolescens, et audax, nec imparatus ad dicendum, concionibus assiduis invidiam et Ptolemæo, qui jam profectus ex Urbe erat, et P. Lentulo consuli paranti jam iter, concitare, secundo quidem populi rumore, cœpit.

Fenestel.  
Ann. xxii.  
ap. Non.

Dio.

77. Igitur Ptolemæus, cum illo anno promovisset nihil, sequenti, quo Cn. Cornelius P. F. Lentulus Marcellinus, L. Marcius L. F. Philippus magistratum gesserunt, per legatos atque literas enixe instituit agere, uti tandem reduceretur.\* Huic ejus desiderio multa obstant: æmulatio maxime principum, quod idem negotium Cn. Pompeius, et P. Spinther, cui ex consulatu Cilicia cum Cypro provincia evenerat, ambibant. Et utrisque adversabatur magna pars senatus, per legatos reduci regem convenientius publicis an suis rationibus rata.

Cic. ad  
Fam. i. 1.  
et ad Q.  
Fratr. ii. 2.  
Cic. ad  
Fam. i. 7.  
Plut. Dio.  
Cic. ad  
Fam. i. 1.  
Dio.

78. Accesserunt et aliæ a religione triciæ, quod ob statuam Jovis in Albano monte fulmine tactam decemviri<sup>n</sup> adire libros jussi, Sibyllæ carmen invenerant, cujus hæc sententia fuit: ‘Cum ad vos rex Ægypti opem petens venerit, neque denegate amicitiam, neque cum multitudine auxilium ferte: sin vero, labores vos et pericula manent.’

\* A. U. C. 696. A. C. 56.  
<sup>n</sup> Decemviri] Immo quindecim-  
viri. Tot enim tunc temporis  
erant illi sacerdotes, aucto, ut

videatur, a Sylla illorum numero.  
Vid. quartam epist. Cælii ad  
Ciceronem, et ibi Manutium.  
Cæc.

Hac de re cum esset a C. Catone tribuno plebis relatum, carmen ita congruere presentibus, tanquam sub eadem tempora scriptum esset, admirati patres, fecerunt senatusconsultum, ‘ Regem Alexandrinum cum exercitu reduci, periculosum reipublicæ videri.’ Cum varia de Sibyllino carmine existimatio esset, neque deessent qui obtreccatione et invidia aliquorum inductam esse fictam religionem crederent, C. Cato veritus ne res omnino supprimeretur, advocatos in concionem decemviros oraculum cœgit exponere. Idque recusantibus summa contentione populi extortum, eo cupidius instantis, quo magis hoc non licere sacerdotes testabantur. Nam ad eam diem Sibyllinum carmen nullum populo recitari consueverat, nisi senatus decrevisset.

79. His rebus intellectis, Ptolemæus optavit a Pompeio reduci, codicillosque sub nomine regis passim per forum et in curia sparsos populo A. Plautius tribunus recitavit. Dicebanturque ab amicis Pompeii similes in senatu sententiæ. Sed veriti patres ne potentia viri, hac imposita curatione, in immensum auferetur, per honestam causam restiterunt, ‘ non esse vitam hominis necessarij tot exponendam casibus, præsertim cum illius incolumitate res tota frumentaria niteretur.’ De ceteris quoque nihil convenit. P. Lentulo multi dabant negotium, sed sine exercitu: Crassus tres legatos decernebat, ita ut non excluderetur Pompeius. Volebat enim etiam ex iis qui cum imperio essent. Id plures abnuebant, ex privatis ceusentes legi oportere. Unus consularium P. Servilius omnino negabat reducendum: et in eam sententiam, cum intercessum esset, perscripta est senatus auctoritas. Paulo post tribuni plebis promulgarunt, Cato de imperio Lentulo abrogando; Caninius Gallus de Ptolemæo, uti cum Cn. Pompeius Magnus cum duobus lictoribus reduceret.

30. Cum his rebus nimium sollicitaretur Urbis quies, Clodii furiosis actionibus plane præcipitata et extincta est. Is, adilitate imita, Milonem vicissim de vi postulabat, turbam ab eo coactam gladiatoresque insimulans, et alia quæ ipse prior, et proposito deteriore fecerat. Hæc

Cic. ad Q. Frat. II. 2.

Cic. ad Fam. I. 4.

Dio.

Cic. ad Fam. I. 1. Plut. Pomp.

Dio. Cic. Dio.

Cic. ad Fam. I. 1. et 2.

Cic. ad Q. Frat. II. 3. Plut. et Dio.

Cic. pro Sext. c. 41. Dio.

non tam spe opprimendi Milonis agebat, quam cupiditate exagitandi suos adversarios, a quibus ille defendebatur.

81. In Pompeium præcipue convicia et maledicta congesturus, quibus illum sciebat acerrime pungi, sic cum sua turba comparaverat, ut, quoties aliquo crimine aut probro prolato, 'quis eo teneretur,' interrogaret, 'Pompeius' acclamaretur. Igitur A. D. VIII. Idus Februarias, cum pro Milone Pompeius perorasset, surgensque ad dicendum Clodius clamore adversariorum impediretur, interrogabat suos in clamore ipso, 'quis esset, qui plebem fame necaret?' Respondebant operæ, 'Pompeius.' 'Quis Alexandriam ire cuperet?' Respondebant, 'Pompeius.' 'Quem ire vellent?' Respondebant, 'Crassum.' Nam et Crassus aderat, haud satis æquus Miloni. Denique interrogante Clodio, 'quis esset, qui vir virum quæreret? Qui caput uno digito scalperet?' et si quæ alia proterviæ hominis occurrerent, 'Pompeius' nominabatur. Et hac viri contumelia delectabantur ejus adversarii: Catonemque tribunum inimicum Pompeii suscitabant: pecuniam Clodio dabant, quo esset ad vexandum illum instructor. Igitur in concione populi a Clodio, in senatu a Catone acerbe jactabatur: ingentemque percipiebat dolorem, qui nec facere talia, nec ferre didicisset.

82. Inter hæc in Albano parvum templum<sup>o</sup> Junonis, qualia ex argento aut alia materia fiebant, mensæ impositum, ab oriente ad septemtrionem conversum est: lupus in Urbem intravit: in cælo fax a meridie ad boream visa ferri: cives aliquot Romani, Deorumque simulacra fulmine percussa: et in agro Latiniensi strepitus cum fremitu armorum sub terra auditus est.

83. Ob hæc prodigia consulti haruspices, cum 'Urbem lustrandam, Jovi, Saturno, Telluri, Diis cælestibus postulationes esse,'<sup>p</sup> respondissent, addiderunt, 'irasci Deos

Cic. ad  
Fam. I. 5.  
et ad Q.  
Fratr. II. 3.

Plut.

Cic. de  
Har. Resp.  
c. 24.

Cic. ad  
Q. Fratr.

Plut.

Dio.

Act.  
Apost. XIX.  
24. Dio.

Cic. de  
Har. Resp.  
c. 10.  
Jul. Obseq.  
Cic.

<sup>o</sup> *Parvum templum*] Latini uno verbo vocant adiculam. *Crev.*

<sup>p</sup> *Jovi, Saturno ... postulationes esse*] Jovem, Saturnum ... ali-

quid postulare, ut eorum pax obtineatur. Vid. Grævium in nota ad hunc Ciceronis locum. *Crev.*

ob fidem et jusjurandum neglectum, oratores contra jus et fas interfectos, ludos minus diligenter factos, sacrificia vetusta occultaque minus diligenter facta pollutaque, loca sacra et religiosa occupata et profanata. Ob hæc periculum esse, ne per optimatum discordiam dissensionemque, patribus principibusque cædes, pericula creentur, auxilioque deminuti deficient. Qua re ad unum imperium provinciæ redeant, exercitusque pulsus deminutioque accedat. Ne occultis consiliis respublica lædatur: ne deterioribus repulsisque honos augeatur.’

84. Hac Clodius occasione arrepta graviter ad populum traducendi Ciceronis, ‘ob hunc iram Deorum gravem atque formidabilem incumbere’ inculcabat: ‘hunc enim

in area, quæ consecrata Libertati esset, ædificare.’ Nec mora, pergit ad ædes illius cum multitudine, et disturbare opus, domumque iterum a fundamentis diruere instituit.

Sed, Milone cum armatis occurrente, non sine multorum cæde, domus Ciceronis servata est. Cicero, ut hanc injuriam ulcisceretur, assumpto Milone ac tribunis quibusdam, ascendit in Capitolium, avulsasque tabulas Clodianæ legis, quas ille de Ciceronis exilio fixerat, domum deportabat; nisi eas cum Caio fratre, qui tum prætor erat, accurrens Clodius vi recuperasset.

85. Postridie in senatu, cum ‘de haruspicum responso’ consules ex senatusconsulto retulissent, vehementem orationem Cicero habuit, omnium eorum quæ arguerentur a Diis, aut unum, aut principem reum Clodium agens. ‘Ab illo corruptis iudiciis, fidem jusjurandumque sublatum: ab illo et conjuratis, sociorum legatos interfectos; Megalesia servorum incredibili multitudine immissa polluta; vetusta occultaque Bonæ Deæ sacra violata esse. Loca autem religiosa non a se, cujus ædes a pontificibus religione liberatæ, ex auctoritate senatus, publica pecunia ædificarentur, sed a L. Pisone, a Sex. Serrano, ab ipso denique Clodio possideri. Dissensionem porro, cujus mentionem fecerint haruspices, non ab alia Furia facem majorem atque horribiliorem admotam fuisse.’

86. Cum ita vetus inter hos odium vehementiore motu recruidisset, Ciceroque absentiam inimici speculatus, tabulas Clodianarum legum ex Capitolio sublatas detulisset

Dio.

Cic. de Har. Resp. c. 5. Dio.

Ascon. in Milon. Dio.

Cic. de Har. Resp.

Dio.

Plut. Cat. et Cic. Dio.

domum; nihil postea tam grave aut contumeliosum dictu factuque fuit, quod non alter in alterum conaretur. Sed in senatu, cum de tabulis detractis Clodius quereretur; Cicero tribunatum Clodii totum tolleret, quod contra auspicia esset adoptatus, tribunum plebis fuisse negans; exsurgens Cato 'nihil a Clodio recte atque ordine in tribunatu gestum esse' pronuntiavit. 'Ceterum, si acta ejus rescindantur, etiam quæ ipse in Cyprico negotio egisset rescindi, cum ex ejus tribuni lege missus in Cyprum esset, qui legibus tribunus esse non potuisset. Justum immo tribunum fuisse, qui exisset de patriciis lege curiata, priusquam tribunatum petisset adeptusque esset.' Ex ea causa refrixit paulisper inter Catonem atque Ciceronem prior dilectio: non ad manifesta tamen odia, sed ut per aliquod tempus mutua consuetudo intermitteretur.

Cic. pro  
Dom. c. 15.  
Plut.

Cic. de  
Har. Resp.  
c. 24.

Cic. ad Q.  
Fratr. II. 5.  
Plut. Pomp.  
Dio.

Cic. ad  
Q. Fratr.  
Dio.

Cic. de  
Prov. Cons.  
c. 11. et in  
Pis. c. 16.

Cic. ad  
Q. Fratr.  
Cic. ad  
Fam. I. 9.

Cic. de  
Leg. Agr.  
II. 29.

Cic. ad  
Q. Fratr.  
II. 1.

Cic. ad  
Fam. Dio.

87. His principum discordiis cum tota civitas et plebs involveretur, erat etiam alioquin exulcerato animo propter caritatem annonæ, quæ licet cura Pompeii sustineretur, tamen ob sterilitatem agrorum, et inopiam frugum, nondum sane laxaverat. In causa erat potissimum nummaria rei difficultas, quod factionibus potentium decretæ nuper Cæsari, Pisonique, et Gabinio maximæ pecuniæ ararium exhausserunt.

88. Idecirco Nonis Aprilibus difficilior acriorque de tota re disceptatio fuit. Et, cum, decreto ad frumentum coëmundum quadringentis,<sup>11 9</sup> publica paupertas de variis rebus admonuisset, factum est senatusconsultum in sententiam Ciceronis, 'uti de agro Campano frequenti senatu Idibus Maiis referretur;' qui revocari eum ad jus publicum gravissima oratione jusserat, 'eo uno omnium certissimo vectigali, subsidium belli, horreum legionum, solatium annonæ contineri' demonstrans. Eandem causam P. Rutilius Lupus tribunus plebis urgebat. Qui priore jam anno, simul inisset tribunatum, de agro Campano accurate in senatu egerat.

89. Nihil ea re moveri tunc adhuc Pompeius videba-

11 *Quadringentis* edd. ante Crev.

<sup>9</sup> *Quadringentis*] Marcis argenti 156250. Crev.

tur, jam suspecta habens incrementa Cæsaris, et, ut infida est potentiae societas, suarum rerum anxius. Idcirco quas ipse extulerat auxeratque Cæsaris opes, tanta securitate, ut in decernendis supplicationibus amplio rem ei honorem tribueret, quam ipse accepisset; eas, animadverso errore, citra suam invidiam minui vehementer cupiebat. Urebat hominem principi loco propemodum a juventute assuetum, suam magnitudinem apud populum vilesce re ipsa assuetudine videudi: Cæsarem, ut nova gratiora sunt veteribus, cum rebus gestis magnificum, tum ultra gestorum amplitudinem in admiratione et amore hominum esse: præterea tantum ei in senatu quæsitum auctoritatis esse, ut per illum consequeretur, quæ ne per populum quidem sine seditione assecuturus putabatur. Nam et stipendium ei decretum erat ex ærario; et decem legati, quod nonnisi confecta provincia solet: et ne lege Sempronia ei succederetur.

Cic. de  
Prov. Cons.,  
c. 11.  
Dio.

Cic. ad  
Fam. 1. 7,  
et de Prov.  
Cons. c. 11.  
Dio.  
Cic. ad  
Fam. 1. 7,

90. Atque hæc omnia non quidem palam repugnante Pompeio fiebant, sed tamen per cuniculos conante spem eludere Cæsaris. Cum consulibus enim egit, ne de rebus iis ex literis Cæsaris referrent; utque successor ipsi etiam ante tempus Vatinia lege comprehensum mitteretur. Nec deerant inimici Cæsari, satis potentes ad impediendum, si concordessent. Nunc invicem obtrectantes suspectantesque, pars prætermisit occasionem oppugnandi; ceteri pauci rem susceptam perficere nequiverunt.

Dio.

91. Igitur Pompeius unam retinendae potentiae rationem optimam ratus, si cum M. Crasso consilia conjunctiora haberet, hominem eadem omnia agitantem animo facile permovit: communiterque ambobus placuit, petendum consulatum, et obtinendas provincias esse, quo novis gerendis rebus refricarent in animis hominum veteris gloriae admirationem, iisdemque modis, quibus augeri Cæsarem videbant, se suasque opes tuerentur.

92. Cum hæc ita placuissent, reliquumque negotium esset, ut Cæsari petitionem consulatus probarent, quod eo renitente nulla spes adipiscendi supererat; ipsi ad eum proficisci per quamlibet causam statuerunt. Neque erat difficile, cum hoc instituto Cæsar uteretur, ut, quoties per

Plut. Crass.

Cæs., passim

Sueton. bella poterat, præberet se adituris, in magno negotio ha-  
Cæs. c. 23. bens obligare semper annuos magistratus, neque pati alios  
et 26.

Plut. Cæs. pervenire ad honorem, quam qui suas rationes defensuri  
et Pomp. essent. Quod ut obtineret, nullum largitionis aut officio-  
rum genus in quenquam prætermisit: neque vulgatius ea  
tempestate quicquam erat, quam in petendis magistratibus  
emi suffragia tribuum ea pecunia, quam pro candidatis  
suis Cæsar pronuntiandam curavisset.

Cæs. III. 7. 93. Ille igitur sub initium hyemis profectus in Illyri-  
cum fuerat, quod eas quoque nationes adire, et regiones

Plut. cognoscere volebat, sicut ipse scribit: major tamen, quam  
tacet, itineris causa fuit, cum suæ factionis hominibus de  
republica colloquendi cupiditas, ut illam per suos con-  
juratos domi moderaretur; foris exercitus provinciasque  
manu obtineret. Sed ante omnes Pompeium Crassum-  
que cupiebat, in eadem consilia quæ inter se illi conce-  
perant, diversam ob utilitatem, pronus. Namque L. Do-  
mitius palam minatus fuerat, 'consulem se contra Cæ-  
sarem effecturum, quod prætor nequivisset:' isque in an-  
num sequentem erat petiturus. Igitur Cæsar cum his  
egit, ut consulatum detrudendi Domitii causa ambo pete-  
rent; eumque adepti, sibi prorogarent imperium in aliud  
quinquennium.

Sueton. 94. Prior ad eum Crassus Ravennam; inde Pompeius  
Cæs. c. 24. Lucam, mense Aprili profecturus in Africam, venit. Eo-  
dem et Q. Nepos, Hispaniam sortitus ex consulatu, et  
Ap. Claudius in Sardiniam ex prætura proficiscens, mul-  
tisque alii summi viri confluerant: adeo quidem cupide,  
ut uno tempore senatores amplius ducenti, lictores centum  
et viginti apud Cæsarem conspicerentur. Ab illo maxime  
conventu extingui libertas Urbis, vis senatus populique  
procumbere, omnisque unum in Cæsarem, non jam incli-  
nare, sed ruere potentia cæpit. Idecirco neque Idibus

Plut. Cras. et Cæs. et Pompei et  
Cat. 94. Prior ad eum Crassus Ravennam; inde Pompeius  
Lucam, mense Aprili profecturus in Africam, venit. Eo-  
dem et Q. Nepos, Hispaniam sortitus ex consulatu, et  
Ap. Claudius in Sardiniam ex prætura proficiscens, mul-  
tisque alii summi viri confluerant: adeo quidem cupide,  
ut uno tempore senatores amplius ducenti, lictores centum  
et viginti apud Cæsarem conspicerentur. Ab illo maxime  
conventu extingui libertas Urbis, vis senatus populique  
procumbere, omnisque unum in Cæsarem, non jam incli-  
nare, sed ruere potentia cæpit. Idecirco neque Idibus

Cic. ad Fam. I. 9. Lucam, mense Aprili profecturus in Africam, venit. Eo-  
dem et Q. Nepos, Hispaniam sortitus ex consulatu, et  
Plut. Ap. Claudius in Sardiniam ex prætura proficiscens, mul-  
Cæs. &c. tisque alii summi viri confluerant: adeo quidem cupide,  
ut uno tempore senatores amplius ducenti, lictores centum  
et viginti apud Cæsarem conspicerentur. Ab illo maxime  
conventu extingui libertas Urbis, vis senatus populique  
procumbere, omnisque unum in Cæsarem, non jam incli-  
nare, sed ruere potentia cæpit. Idecirco neque Idibus

Appian. Appian. Civ. II. ut uno tempore senatores amplius ducenti, lictores centum  
et viginti apud Cæsarem conspicerentur. Ab illo maxime  
conventu extingui libertas Urbis, vis senatus populique  
procumbere, omnisque unum in Cæsarem, non jam incli-  
nare, sed ruere potentia cæpit. Idecirco neque Idibus

Cic. ad Q. Fratr. II. 8. Mais, uti prædictum fuerat, de agro Campano actum,  
neque omnino quicquam, quod Cæsari adversum vide-  
retur. Atque ille effectis, quæ voluerat, confirmataque  
supra modum potentia, cum rebellasse quidam populi  
nuntiarentur, ad componendos motus in Galliam rediit.

Cæs. III. supra modum potentia, cum rebellasse quidam populi  
nuntiarentur, ad componendos motus in Galliam rediit.

Dio. 95. Maritimæ civitates missos a P. Crasso ad frumen-



tum accipiendum equites Romanos retinuerant, per quos sperabant suos se obsides recuperare posse. Principes potentiae audaciaeque Veneti erant, ad oceanum colens populus. Cum his Osismii, Curiosolitae, Lexobii, Nannetes, et aliae nationes arma junxerant: a Menapiis etiam ad Rhenum colentibus, et ex opposita Venetis Britannia auxiliares manus parabantur.

Oros. vi. 8.  
Flor. iii. 10.  
Caes.

96. Caesar cum multa hostium oppida magno labore, modico operae pretio cepisset, commutandam sibi gerendi belli rationem, et classe confligendum iudicavit. Etenim in promontoriis linguisque sita pleraque oppida erant, per angusto aditu, et, accedente aestu, quod bis accidit horarum duodecim spatio, impenetrabili. Ne navibus quidem adiri tuto poterant,<sup>12</sup> quas relabens aestus inter aspera et vadosa loca destituebat. Igitur quoties summo militum conatu opera acta, et mare aggeribus exclusum erat; obsessi, desperato teneri locum posse, rem significabant suis. Illi magno repente numero navium adhibito, quod facere sine periculo poterant, quia naves ad locorum patientiam erant aedificatae, homines omnes cum copiis atque armis in aliud oppidum deportabant, quo si admovere Caesar exercitum vellet, eadem de integro difficultates omnes superandae erant.

97. His gestis cum major pars aestatis praeterisset, tandem cum classe, quam Caesar in Ligeri fluvio aedificandam curaverat, D. Brutus adolescens advenit. Exiverunt contra circiter ducentae viginti hostium naves, praelioque commisso rebus omnibus inferiores Romani, praeterquam quod virtus militum et celeritas navium aderat, falces praecutatas longuriis affixas adhibuerunt, et funes quibus antennae ad malos destinatae erant, amputarunt. Id cum esset factum, et vela armamentaue Gallicarum navium, in quibus omnis spes fuerat, inutilia fierent, plurimae naves expugnatae: quod subita malacia et tranquillitas maris etiam fugae facultatem praeciderat. Hanc pugnam deditione gentis secuta. Senatus omnis necatus: ceteri sub corona venditi sunt.

<sup>12</sup> *Poterat* edd. ante Crev.

98. Per eadem tempora res ab legatis Cæsaris pari fortuna in aliis Galliarum partibus gestæ. P. Crassum cum duodecim legionariis cohortibus, et magno numero equitatus in Aquitaniam miserat, ne ex his nationibus auxilia ad rebelles Gallos venirent. Is, pugna cum Sontiatibus victor, oppidum eorum totamque gentem in deditionem accepit. Inde maximas Aquitanorum Cantabrorumque copias, quamvis militiæ duces haberent peritissimos, qui sub Sertorio diu meruerant, ita cecidit, ut ex quinquaginta millium numero vix quarta pars superesset. Ex victoria pleramque Aquitaniam redegit ad Cæsaris obsequium. Paucae civitates tempore anni, quod hyems instabat, et quia erant ab hoste remotissimæ, legatos obsidesque mittere neglexerunt. Ab alia parte Q. Titurius Sabinus, quem Cæsar, tribus legionibus datis, in Unellos, Curiosolitas, Lexobiosque proficisci jusserat, ut illas gentes distineret, cum simulatione timoris eo adduxisset hostem ut ad castra oppugnanda succederet, subita eruptione profligavit. Civitates omnes statim se Titurio dediderunt. Ea Gallorum erant ingenia, ut ad suscipienda bella prompti, ad toleranda molles impatientissimique mortalium essent. His ita gestis, cum etiam Morinorum Menapiorumque in sylvas recedentium agmina Cæsar insecutus, tempestatibus ulterius procedere vetaretur; exercitus in Aulercos, Lexobiosque, et reliquas civitates quæ nuper in armis fuerant, ad hybernandum deductus est.

# SUPPLEMENTUM

LIBRI CV.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

---

1. **BELLORUM** ea conditio cum esset, ut tamen interdum post gravia et atrocia damna pace aut induciis interquiescerent, aut saltem hyeme remitterentur; in Urbe, non conditionibus, non tempore leniente iras, sine intermissione certabatur. Nova et ingens contentio ex eo surrexerat, quod Cn. Pompeius, M. Crassus, quos ullius bonæ rei causa cum Cæsare fuisse nemo credebat, consulatum petitori dicebantur: quæ res haud dubie ad opprimendam libertatem pertinebat. Et occultabant illi consilium suum, quia in eo negotio, quod cum re insolens, tum tempore alienum erat, (non enim erant legitimis diebus professi,) metuebant ne validius oppugnarentur. Plut. Cras. et Cæs. et Pomp. et Cat.

2. Nam Cn. Lentulus Marcellinus egregium præstabat consulem: et quia ille comitia erat habiturus, nec alioquin imbecillis erat, haud immerito timebatur. Jam M. Cato per affinitatem consulis L. Philippi, cujus filiam Marciam duxerat, auctoritatem prope consularem obtinebat. Idcirco parum confisi viribus, hoc agebant ut dolo rem obtinerent. Id adeo putabant processurum, si toto illo anno comitia impedirentur. Sic enim necessario decurreretur ad interregnum, ipsisque spatium dabatur, quo petere secundum leges et consequi magistratum possent. Vell. 12. 46. Dio, xxxix. Cic. ad Q. Fratr. 11. 6. Dio. Plut. Cat.

3. Idoneus audacia et adversus senatum odio C. Cato tribunus plebis ad hoc ministerium videbatur, quem multa de Cæsare ferre parantem consul aliique principes impediebant. Facile hic transductus in partes palam concionabatur, comitia haberi non siturum, si sibi cum populo agendi exempti dies essent. Propter hæc et ex his orta certamina, cum senatus vestem mutasset, neque tamen Cato quicquam remitteret; Marcellinus consul luculentam ad populum orationem de præsentibus habuit, reipublicæ deplorans statum, quæ non ab aliis, quam per quos defendi eam verum esset, acrius premeretur. Mœsti astabant patres, positisque dignitatis insignibus, illacrymantes atque gementes, haud minorem tacendo commiserationem hominum, quam dicendo consul, excitabant. Neque ulli tum contradicendi animus aut fiducia fuit: tam et graves querelarum causas habere consulem, et concionem faventem, apparebat. Quippe cum nimiam Cn. Pompeii potentiam accusaret, universus ei populus clara voce assensus est. Atque ille, 'Acclamate,' inquit, 'Quirites, acclamate dum licet: mox enim impune facere non licebit.'

Val. Max.  
vi. 2.

Dio.

Cic. ad Q.  
Fratr. ii. 9.  
Dio.

4. His actis, cum reversi in curiam essent, P. Clodius, servato vestitu, in concionem populi progressus, consulem et ceteros acerrime insectatus est: cum Pompeio gratiam redintegrans, cujus auxilio legationem liberam, quam captabat, se credebat assequi posse. Cum eam rem permoleste senatus ferret, abrupto sermone, perrexit in curiam Clodius, ut ibi quoque adversariis conviciaretur. Sed repulsus a quibusdam senatoribus, cinctus ab equitum globo, perisset inter manus, nisi plebs appellata cum facibus accurrisset, incendium curiæ minitans, si quid acerbius Clodio accidisset. Ea vis et tum servavit Clodium, et senatum ad ceterum certamen effecit molliorem. Pompeio postea non difficile fuit venire in curiam, et decernentibus quæ nollet ipse resistere.

Cic. ad  
Att. iv. 9.  
et 15.

5. Unica spes Marcellino suberat, quod semper vultum ac sermonem ad modestiam componere Pompeius studuerat, fronte quam mente verecundior, futurum ut interrogatus publice, 'verene consulatum petere constituisset,'

non auderet confiteri. Sed ille in senatu, consule et **L. Plut. Crass.**  
**Domitio** candidato interrogantibus, 'fortassis petiturum' et **Pomp.**  
 respondit, 'fortassis destitutum a petitione:' et, instan-  
 tibus illis, adjecit, 'honorum civium causa non esse cur Dio.  
 petat; esse, quo resistat malis.' Simul interrogatus **Cras-** **Plut.**  
**sus** fuerat. Ille 'se facturum' dixit, 'quod ex usu  
 reipublicæ fuisset visum.'

6. **Crassi** responsum moderatius, **Pompeii** superbum et  
 incivile cum existimaretur; **Marcellinus** invectus suo  
 more in **Pompeium** est, per hæc tempora eum et in curia, **Cic. ad**  
 et ad populum aspere tractare suetus. Respondit **Pom-** **Q. Fratr.**  
**peius**, 'malam sibi a **Marcellino** referri gratiam, qui suo **11. 6.**  
 beneficio factus ex elingui facundus esset; et, antea **Plut. Pomp.**  
 jejunus ac famelicus, nunc quotidie vomeret.' At **Mar-**  
**cellinus**, hoc velut ultimo conatu edito, in posterum abs- **Dio.**  
 tinuit curia, majorque cum eo pars patrum; adeo ut  
 nunquam ad numerum reliqua ejus anni parte convenirent.  
 Ceteri neque vestem senatoriam resumere volebant, neque  
 ullis adesse solennibus. Itaque nec in **Albanum montem** **Cicero.**  
 iverunt, cum feriæ **Latinæ** instaurentur. Sic absunto, **Dio.**  
 quod reliquum ex eo anno fuerat, cum, circumacto con-  
 sulum imperio, interreges creati cœpissent, **Pompeius** cum  
**Crasso** consulatum aperte petere decrevit.

7. Hos præter propriam potentiam amici **Cæsaris** ad- **Plut.**  
 juvabant, ad quos ille scripserat: sed et milites plurimos **Pomp. et**  
 cum **P. Crasso M. F.** per causam commeatuum in **Urbem** **Crass. et**  
 idem **Cæsar** miserat. His rebus deterriti ceteri candidati **Cat.**  
 mature cesserunt. **L. Domitium** sororis suæ maritum **M.** **Dio.**  
**Cato** confirmavit, 'ne susceptam de libertate verius, **Appian.**  
 quam consulatu contentionem metu defugeret.' Neque **Dio. Plut.**  
 deerat multorum favor, 'quid ita **Pompeius Crassusque**  
 iterum, quid una peterent,' mirantium: 'neminem igitur  
 præterea dignum eo magistratu in civitate esse, qui cum  
 alterutro horum declarari possit?' Igitur adversaria fac-  
 tio, cum timeret inclinationem plebis, ad vim conversa,  
**Domitio** ante lucem in **Campum** eunti posuit insidias:  
 puerque præluens ei cum quibusdam aliis occisus est.  
**Retinebat** tamen **Domitium Cato**, ipse quoque vulnere  
 in dextrum cubitum accepto saucius. Sed cum omne

illorum agmen diffugisset, timens Domitius ægre domum rediit; Pompeius Crassusque, repugnante jam nemine, facti.

Cic. pro  
Sext. et  
de Prov.  
Cons. et in  
Pis.

8. Inter hæc L. Piso Macedoniam, A. Gabinius Syriam cum finitimis provinciis adversa uterque fama tulerant. Piso per avaritiam<sup>r</sup> accolis Macedoniae Thracibus ac Dardanis pacem magna summa vendiderat. Ea ipsa res in bellum egit barbaros, ut replerent bellica præda domos, quas pretio quietis exhausserant. Igitur non vexata solum et spoliata Macedonia est, sed etiam exercitus Romanus, vi hostium, aut imperatoris injuria, fame, morbo consumptus.

9. Thessalia et Achaia, sicut ab hoste longius aberant, cladibus intactæ, pacis injurias sentiebant, magnam vim pecuniæ Pisoni pendere coactæ. Gravius adhuc Byzantini vexabantur, quos ob merita Mithridatici belli senatus populusque Romanus nuper liberaverat. Missæ tamen eo cohortes in hyberna sunt, contra leges senatusqueconsulta exercita jurisdictio: avaritia, vis, ac libido fœdissime grassata. Nam et statuæ Urbisque ornamenta multa abrepta sunt; et cædes factæ: et virgines nobilissimæ, cum ad stuprum raperentur, in puteos abjectis corporibus voluntaria morte interierunt. Neque mitius Agriani Dolopesque et Ætolia vexata.

Cic. de  
Prov. Cons.  
c. 4. et pro  
Sext. c. 33.  
c. 43.

10. In Syria Gabinius adversis rebus nocebat reipublicæ; prosperis consulebat sibi. Primo adventu parte equitatus, deinde cohortibus aliquot amissis, cum reliqua felicius procederent, bella non ex necessitate aut bono publico sumebat, sed inferebat quibuslibet etiam pacatissimis, quorum opes spem optimæ prædæ rapacissimo eidem profusissimoque mortalium facerent.

Joseph.  
Antiq. xiv.  
10. et de  
B. Jud. i.  
6.

11. In Judæos tamen, cum Alexandro Aristobuli filio rebellantes, expeditione suscepta, non instrenuum imperatorem egit. Cum enim Alexander, exercitu collecto,

<sup>r</sup> *Piso per avaritiam*] Quicquid hic de Pisoni narratur, ex variis orationum Ciceronis locis collectum est: quos quia sigillatim notare si voluissemus, ora libri

nimum oneraretur, id facere supercedimus, et ad ipsas orationes remittere satis habuimus. *Cre.*

muros Hierosolymitanos eversos a Pompeio instaurare cœpisset, deinde ab hoc instituto repulsus Macharuntem et alia quædam castella communiret, Gabinius, præmisso M. Antonio, quem equitatui præfecerat, cum legionibus subsecutus, haud procul Hierosolymis signa cum Judæis contulit. Ibi cum tria millia interfecta hostium, capta totidem essent; reliqui cum duce suo Alexandrium confugerunt, castris ante ipsa munimenta positis. In hos, quia veniam delictorum oblatam a Gabinio aspernabantur, iterum factus impetus, et, plerisque cæsis, ceteri intra muros compulsi sunt. Hoc prælio M. Antonii virtus clara<sup>1</sup> extitit, multique hostium ipsius manu interfecti. Nec diu postea restitit Alexander. Quo in deditionem accepto, Gabinius castella quæ nominavimus, et præterea Hyrcanium, ne res novantibus receptui essent, diruit: contra dirutas olim urbes restituit multas, Scythopolin, Samariam, Anthedonem, Azotum, Raphiam, Dora, Marissam, Apolloniam, Jamniam, Gamala, Gazam, et alias præterea nonn paucas. Judæam deinde ita composuit, ut reducto Hierosolymam Hyrcano sacerdotium redderet; gentem optimates regerent, quinque conventibus institutis.

Plut. Ant.  
c. 3.  
Joseph.

12. Ob has res cum missis in Urbem literis supplicationem petisset, Idibus Maiis frequenti senatu denegata est: quod præter T. Albucium acciderat nemini. Eam Gabinius ignominiam Ciceronis inimici opera putaretur accepisse, nisi per absentiam Ciceronis id esset actum. Publicanorum potentissima factio plurimum ei nocuisse videtur, cui se in provincia perquam iniquum adversumque exhibuerat.

Cic. ad  
Q. Fratr.  
II. 8.  
Cic. de  
Prov. Cons.  
c. 7.  
Cic. ad Q.  
Fratr.  
Cic. de  
Prov. Cons.  
c. 5.

13. Cum deinde Cn. Pompeius Cn. F. Sex. N. Magnus, M. Licinius P. F. M. N. Crassus, altero collegio consulatum inissent,\* ante omnia ceterorum magistratum comitia curæ habuerunt: intentis in hoc animis, ne quisquam, nisi qui de factione illorum esset, crearetur. Præ-

<sup>1</sup> Vox clara abest ab edd. ante Crev.

\* A. U. C. 697. A. C. 55.

Dio. cípue referre arbitrabantur Catonem repelli, qui providus  
 Plut. Cat. futuri præturam petebat, ut auctoritatem magistratus vel-  
 ut arcem defendendæ libertatis obtineret. Igitur multa  
 præter morem et honestum commenti sunt, quo tam gra-  
 vem futurum adversarium amolirentur. Jam primum per  
 infrequentiam senatusconsultum faciendum curaverunt,  
 Cic. ad Q. ‘ uti prætores, qui creati essent, extemplo inirent :’ quan-  
 Fratr. 11. quam sententiæ dictæ erant, ‘ prætores ita creati placere,  
 9. ut dies sexaginta privati essent.’ Cum ita providissent  
 Plut. ne ambitus iudicio esset ante magistratum initum locus,  
 amicos suos clientesque commendarunt populo, tam in-  
 verecunde, ut ipsi palam præberent pecunias, ipsi præes-  
 sent suffragiis.

14. Ne sic quidem plus largitio et fraus consulum,  
 quam virtus atque existimatio Catonis potuit; fiebatque  
 haud dubie prætor, ni Pompeius ceteras tribus auctori-  
 tem prærogativæ secuturas metuens, turpi mendacio comi-  
 tia dissolvisset, tanquam audito tonitru obnuntians: nec  
 enim Jove tonante cum populo agi licebat. Iterum deinde  
 mercedem augentes, atque saniore populi parte vi pulsa,  
 cum Cato, ut erat legum servantissimus, suarum partium  
 studiosos vim vi opponere vetaret; effectum est, ut pro  
 Liv. Epit. Catone P. Vatinius renuntiaretur, quanquam nuper re-  
 Val. Max. v. 11. 5. pulsam in petitione ædilitatis tulerat.

Vat. 15. et 16. 15. Hoc ubi factum est, ferunt partem populi talium  
 Plut. suffragiorum sibi consciam, fugæ simili discessu disparu-  
 Dio. isse: ad ceteros dante concionem tribuno (sive C. Ateius  
 Capito, sive P. Aquillius Gallus fuit: ceteri enim consu-  
 Plut. lum erant assecleæ) verba fecisse Catonem, non præsentia  
 modo uti se haberent elare docentem, sed etiam vaticina-  
 nantem de futuris: Pompeio Crassoque haud leviter per-  
 strictis, ‘ qui rempublicam et consulatum ita gerere con-  
 stituissent, ut timendus eis prætor Cato fuerit.’ Domum  
 inde digredientem major hominum multitudo deduxit,  
 Dio. quam eos simul omnes qui erant prætores declarati.  
 Appian. Civ. 11. Ædilium mox comitia turbulentiora fuerunt. Cæles ibi  
 Val. Max. facta, tamque propinquus periculo Pompeius fuit, ut  
 1v. 6. vestis ejus multo sanguine respergeretur. Is aspectus,



cum, remissa domum veste, alia postularetur, Juliam Plut.Pomp. Pompeii conjugem tum prægnantem ita perterruit, ut, abortu facto, gravem in morbum incideret. Valde enim amabat virum, isque ei in amore respondebat. Unde Plut. Cras. c. 28. mox criminati sunt inimici, ‘provinciam obtinere per Dio. Plut. legatos, ipsum sedere ad Urbem, ut fomenta præberet Cat. seditionibus, et Juliae suæ deliciis homo uxorius fru- Vell. 11.48. eretur.’ Plut.Pomp.

16. Comitibus magistratum, uti voluerant consules, perfectis, ipsi nullius rei cupiditatem præferentes, in speciem quiescebant. At C. Trebonius tribunus plebis suum nomen rogationi commodabat, qua consulibus provinciae in Dio. Liv. Epit. Vell. 11.46. quinquennium Syria et Hispania (nam et Hispaniam Appian. Aquitanici belli vicinia commoverat) destinabantur: ad- Plut. jiciebatur, uti copias civium sociorumque conscriberent, Pomp. et quantas e republica et fide sua ducerent: belli etiam et Dio. pacis arbitrium cum finitimis regibus atque nationibus penes ipsos esset.

17. Hæc ab initio non aliis modo, sed etiam amicis Cæsaris parum placebant, quod jam pleraque pars temporis, quo imperium ejus finiebatur, transierat, ne a Pompeio Crassoque tantam potentiam adeptis opprimeretur: donec hi nova pactione, de prorogando Cæsari imperio ferendum curaturos, astrinxerunt fidem. Ita quiescentibus Cæsarianis, reliquo populo obnoxio aut desperante, nemo magnopere Treboniæ legi præter Catonem atque Plut. Cat. Favonium repugnabat, duobus tribunis plebis hos adju- Dio. vantibus.

18. Sed adversus tantarum factionum opes parum roboris in tam paucis erat: legemque dissuadere volentibus ne tempus quidem idoneum concessum est. Unicam horam Favonio dederat Trebonius, vix ad querendum de temporis angustia sufficiens spatium. Duas Cato cum accepisset, frustra de negotio dicturum intelligens, multa monendo prædicendoque tempus eximebat: donec interpellatus, et, quia nihilo secius pergebat dicere, de rostris detractus est. Cum sic etiam ex inferiore loco vociferanti Plut. et populus auscultaret, iterum missus a tribuno viator foro Dio. eum eduxit. Nec quievit ille quominus statim revertere-

retur, et populum ad præstandam sibi secundum mores et leges audientiam inclamaret.

19. Id cum sæpius esset factum, æstuans dolore et cura Trebonius abduci eum in carcerem jussit. Sed populus sequebatur, auresque præbebat inter eundem de legis incommodis disserenti. Unde metus incessit Trebonium, missumque fieri Catonem jussit. Sic ea dies exempta est, ut nemini tribunorum verba ad populum facere vacaret. Obtinebat enim, ut de legibus privati primum qui vellent, deinde magistratus dicerent, ne, si priores hi essent auditi, auctoritatem horum privati sequerentur.

20. Idcirco P. Gallus, ne postridie foro excluderetur, in curia pernoctare statuit, tutissimum hunc receptum ratus et commodissimum una cum luce in concionem prodituro. Sed C. Trebonius, omnibus oclulis curiæ januis, præsidioque armatorum opposito, totam ibi noctem et sequentis diei partem magnam otiosum consumere coëgit: Ateium cum Catone et Favonio et horum amicis alia multitudo, præoccupato de multa nocte loco, concione prohibuerant. Illi tamen omnia conati, Favonius et Ninnius, clam reperto aditu, Cato et Ateius aliorum humeris sublatis, obnuntiaverunt. Ceterum vis adversariorum validior fuit. Summotis his a foro, pulsatisque, atque etiam interfectis aliorum haud paucis, cum etiam

Plut. Crass. sub fin. Dio. L. Annali senatori Crassus ipse faciem pugno contudisset, per vim perlata lex est.

21. Ecce autem populo jam incipiente dilabi, recurrit in forum Ateius, collegam Gallum manu ducens, qui e curia in concionem venerat, ibique fuerat vulneratus. Id ostendens multitudini Ateius, reique convenientem orationem orsus, magnopere plebem commovebat; cum, re nuntiata, consules, nec enim procul inde magna stipati manu aberant, repulerunt tribunos; vocataque statim concione, etiam de provinciis Caesaris in quinquennium ei prorogandis pertulerunt legem. Ibi quoque repugnatum est ab iisdem: et Cato non jam ad populum, sed ad Pompeium sermone converso, ' ipsum non intelligere quæ faceret ' testabatur: ' nunc enim non in ceterorum magis

Appian. Vell.

Plut. Cat.

capita, quam suos ipsius humeros Cæsarem attollere : cum eo deinceps onere, cum mox gravius ipsius culpa esset factum quam ut ferendo amolendove esse possit, in rem publicam procubiturum. Tum demum, ubi præter penitentiam nihil sit futurum reliqui, Catonis cogniturum consilia; qui non minus tuta et salubria, quam justa et honesta suasisset.\*

22. Atque id vaticinium paulo post comprobavit eventus. Tum vero Pompeius inflatus magnitudine sua, neque commutationem fortunæ timens, cum Crasso provincias, tanquam oppressæ captæque reipublicæ spolia, dividebat. Sortem adhiberi placuerat : ea Syriam Crasso, Africam omnem et Hispanias<sup>s</sup> cum legionibus quatuor, Pompeio dedit.

Plut.  
Pomp. et  
Crass.  
Appian.  
Dio.

23. His ita confectis, ad emendandos civitatis mores egregii auctores se contulerunt. Nihil erat civitatis iudiciis corruptius, nihilque frequentius, quam ut atrocissimorum criminum manifesti per gratiam aut pecuniam absolverentur. Præcipue erat invidiosum, quod, accepta a Ptolemæo rege pecunia, multi occidendos curaverant legatos Alexandrinos, aut eos qui eo crimine postulati frequenter fuerant, sibi timentes eripiebant. Etiam P. Ascitius, qui conscius et adiutor occidendi Dionis fuisse credebatur, iudicio erat liberatus. Aurelia lege cautum erat, 'ut ex tribus ordinibus iudices legerentur :'<sup>s</sup> id mutari non placuit : modus legendorum immutatus, latumque

Dio, p. 61.

Cic. pro  
Cæel. c. 10.

Ascon. in  
Pis.

'ut amplissimo ex censu lecti e centuriis iudicarent trecenti sexaginta viri.' Paupertatem plerisque fuisse ad accipienda munera prætextum videbant : sed nec fallebat eos, non fore innocentes qui per scelera ad divitias pervenissent. Sed in ea morum fœditate nihil aliud fieri poterat, ipsique auctores legis tales erant, ut severis incorruptisque iudicibus sibi nihil opus esse existimarent.

Vell. II. 76.  
Plut. Pomp.

Dio, p. 67.

\* *Africam omnem et Hispanias*] Ita quidem memorant Plutarchus et Appianus. Sed non sine causa dubitat Pighius, sive Schottus, Annal. Rom. ad annum quo L. Domitius cum Ap. Claudio consulatum gessit, an

Africam Pompeius imperio obtinuerit. Certe in tota sequentium annorum historia frequenter occurrit mentio legatorum Pompeii in Hispaniis : in Africa non item. *Cret.*

Nec enim crimina aut accusatores vel Magno Pompeio deerant, si judicia rite et libere exercerentur.

Val. Max.  
vi. 2. 4.

24. Neque dissimulatum hoc a Cn. Pisone, qui Manilium Crispum accusans, cum evidentemente reum a Pompeio videret eripi, juvenili temeritate multa crimina præpotenti defensori objecit. Ad hæc cum Pompeius dixisset, 'Cur igitur me quoque non accusas?' Respondit: 'Da prædes reipublicæ, te, si postulatus fueris, civile bellum non excitaturum: etiam de tuo prius, quam de Manilii capite in consilium iudices mittam.' Laudanda tamen est in his

Val. Max.  
vi. 2. 4. 8.

Pompeii moderatio, qui etiam infimorum hominum convicia civiliter tulit, in quibus et Helvium Manciam Formianum, libertini filium, importunissimum senem, et a juventute magnorum virorum inimicitias rabiosa dicacitate provocare solitum.

Cic. de  
Or. ii. 65.  
et 66.  
Quint. vi. 3.

25. Talis Pompeius tum erat, cum legibus constitueret civitatem: ex quibus quæ de parricidiis fuit, hodie quoque vim aliquam obtinet; ceteræ exoleverunt. Nam et de ambitu tulerat, aucta largitionum pœna, quas nemo fecerat impudentius. Sumtuaria cum esset promulgata, celeriter concidit, Hortensio speciosis nominibus tuente luxum, consulesque ipsos laudante, 'quod cultu sumtuque magnifici et lauti, vitam convenientem majestati principis populi, suæque ipsorum dignitati ac opibus degerent.'

Plin. ix.  
54.

26. Et pervaserat ea tempestate in omnes ferme intolerabilis luxus, multique civitatis principes mira sumtuum insania notabantur. Philippi, Hortensii, Luculli, decora et ornamenta senatus, luxu diffiuebant: quos ob insanum in has ineptias studium 'piscinarios' vocare Cicero solebat, 'negligi præ his rempublicam' arguens, 'dum illi principes digito cælum putant<sup>2</sup> attingere, si nulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant.'

Cic. ad  
Att. i. 19.  
et ii. 1.

Macrob.  
Sat. ii. 15.

27. Eratque inveteratum hoc malum, et lege Cornelia sumtibus magis quam luxui detractum, permissis ciborum deliciis, et minore tantum rebus venalibus imposito pretio. Æmiliam deinde legem Lepidi consulis, primo pravitas auctoris, postea calamitas enervavit: Antiam a Restione

<sup>2</sup> *Putent* habent edd. quæd. ante Crev. et mox *multi* pro *nulli*. In ed. Cler. invenitur *nulli* post *multi*.

perlatam, cum esset optima, solus servavit qui tulerat, in ceteris rationem et metum vincente consuetudine. Igitur post hæc experimenta morbum remedio validiorem esse prudentes judicabant: et cum severam aliquis in senatu orationem habuisset, reprehensus ab alio est, ‘quod divitiis Crasso, luxuria Lucullo similis, tanquam Cato loqueretur.’ Etiam consules, ne invidere aliis dicerentur, quod ipsi usurparant, ommissa lege, plane diversis negotiis dederunt operam.

28. Jam ille temperantiæ et frugalitatis magister theatrum suum absolverat, idque post hominum memoriam apparatissimis magnificentissimisque ludis volebat dedicari. Antiquitus stans populus spectare erat solitus: deinde scena gradusque subitarii, finito spectaculo tollendi, struebantur. Primus Pompeius mansuram theatri sedem posuit, admirabili opere, nisi quod admirabilius est, sumtum a Demetrio subministratum fuisse, liberto Pompeii; sed qui nimio illius favore factus fuerat patrono ditor. Theatro circumjecta haud minoris impensæ alia ædificia erant: inter quæ templum Veneris Victricis<sup>a</sup> eminebat. Id astruxisse creditur, ne severior aliquando censura opus suum tolleret, sicuti patrum memoria factum, auctore Nasica, noverat. Igitur et, ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupavit, ‘cui subjecimus,’ inquit, ‘gradus spectaculorum.’

29. Ceterum id templum tertio demum ejus consulatu perfectum atque dedicatum est.<sup>b</sup> Maximum enim opus erat, et ad hoc toto, qua patebat, imperio ornamenta conquisita: inter quæ memorantur effigies variarum gentium, itemque certorum hominum, qui mirabili aliqua fortuna ad famam pervenerunt, ob id magnorum artificum inge-

<sup>a</sup> *Templum Veneris Victricis*] De hoc templo Plutarchus mentionem facit ubi narrat somnium Pompeii ante pugnam Pharsalicam. *Crev.*

<sup>b</sup> *Ceterum id templum tertio demum ejus consulatu perfectum atque dedicatum est*] Ultimam operi manum tum demum imposi-

tam esse patet ex Gellio. Sed testimonia Plutarchi, Dionis, Tertulliani, Phnii, Asconii, Ciceronis ipsius, nullum dubitandi locum relinquunt, quin secundo consulatu suo Pompeius theatrum templumque dedicaverit. *Crev.*

Plut. Luc. c. 83.

Dio.

Cic. in Pis. c. 27. et ibi Asc. Tac. xiv. Ann. 20.

Cassiod. Var. iv. 51.

Dio.

Senec. de Tranq. An. c. 8.

Plut.

Pomp. c. 86. Tertull. de Spectac.

A. Gell.

x. 1.

Suet. Ner. c. 46.

Plin. vii. 3.

Dio. Plut. niis diligentius elaboratæ. Sed hoc tempore spectacula  
musica, ludique gymnici scenicique sunt editi, et Circen-  
ses, cum ejusmodi venationibus, ut spatio quinque dierum  
Cic. ad  
Fam. VII. I. leones quingenti occiderentur.

Dio. Plut. 30. Elephantorum extremus dies fuit, plus miseratio-  
Cic. nis, quam delectationis, habens. Quippe pugnare in  
Sen. de  
Brev. Vit. circo duodeviginti, commissis more prælii noxiis homini-  
c. 13. bus, et præterea jaculatoribus Gætulis. Cum aliquot es-  
Plut. sent vulnerati, tentaverunt eruptionem universi, non sine  
Plin. VII. metu populi : sed clathros ferreos, qui erant circumdati,  
7.

Dio. Plin. non potuerunt perfringere. Tum vero, porrecta in cælum  
proboscide, tam miserabili habitu sonoque veluti complora-  
tionem ediderunt, ut dolore ardens populus consurgeret,

Dio. Pompeioque dira omnia imprecaretur. Pervaserat opi-  
nio, proximum humanis sensibus animal poscere vindic-  
tam Deos, ob violatum jusjurandum, quo decepti in  
Cic. Africa naves conscendissent, non aliter facturi. 'Esse  
profecto belluæ illi cum humano genere societatem : eam-  
que sermonem horum intelligere.'

31. Sane ab his, quæ veteres tradiderunt, non abhor-  
rent testimonia plurimorum, qui, postquam Indiæ Africæ-  
que interiora penitus sunt cognita,<sup>3</sup> maxima belluarum  
istarum armenta viderunt. Ceterum amœnissimi vir in-  
genii Justus Lipsius, in Epistolis, elephantorum admiran-  
da diligenter suaviterque descripsit.

Dio. 32. At populus Romanus non tam Pompeii munificen-  
tia delinitus, quam offensus delectu, quem consules insti-  
tuerant agere, Catonem, et qui cum eo senserant, efferre  
laudibus ; ceteros incusare modis pessimis cœpit. Unde,  
resumpta fiducia, tribuni duo judicium minari amicis con-  
sulum, criminibus in ipsos consules expetituris. Tum con-  
sules ad invidiam tribunorum vestem mutarunt : idemque  
a parte senatus, quæ consulum sectam sequebatur, factita-  
tum. Cito tamen resumpta est : tam sine causa, quam po-  
sita modo fuerat.

Plut. 33. Sed dispar consulibus sicut apparatus et consilium,  
Pomp. et sic etiam animus erat. Pompeius, qui ad Urbem manere  
Crasso. malebat, vel uxoris gratia, vel ut res Hispanas per lega-

3 Iterum . . . cognita: edd. ante Crev.

tos, urbanas præsens in potestate haberet, levius ferebat Dio. tribunorum voces, consules Urbe egredi passuros negantim: atque ultro struebat morandi causas, imposita rei frumentariæ curatione obtentui sumta. Crassus dies noctesque nil nisi Parthicum bellum, Bactrosque et Indos, et ultimi Orientis opes effræni cupiditate cogitabat. Nichil horum lege quæ de imperio consulum erat lata, diserte jussum fuerat: sed in omnem sententiam interpretari verba legum non erat his arduum, quibus facile fuerat curare, ut, qua ipsi conceptione verborum voluissent, leges rogarentur. Crassi amentiam Caesar, incertum quo consilio, augebat, propositum ejus dilaudans, et quidlibet pollicitus. Ideirco et ipse arma opposuit tribunorum actionibus, et cum illi adversus vim invalidi, ad invidiam et detestationes se contulissent, oravit collegam, ut, quo die paludatus profecturus erat, adesset, seque prosequeretur.

34. Maxima erat in foro collecta turba mortalium, ita preparatis animis, ut exeuntem Crassum convicio et jurgiis retinerent. Sed ubi Pompeium ante illum incedere composito vultu viderunt, ejus honori gratiæque datum, ut cum silentio decederent de via. Unus Ateius, qui et vota in Capitolio nuncupanti<sup>4</sup> obnuntiaverat, manere jubebat, Deos hominesque testatus, ‘illam contra fœderatos populos expeditionem lugubrem et ignominiosam populo Romano fore.’ Cum nihilo secius videret pergere Crassum, viatore misso duci eum in vincula jussit. Ubi id quoque, tribunis aliis intercedentibus, irritum fuit, præcurrit ad portam, foculoque ibi posito, vetustas et arcanas devotiones peregit: quarum nunquam vanas fuisse imprecationes superstitionis antiquitas credidit, sed devotis pariter devoentibusque calamitosas. Unde vulgo reprehendebatur Ateius, quod eum cui propter rempublicam factus erat inimicus, diris in rempublicam casuris consecrasset.

35. Crassus Brundisium profectus, cum inde non expectato cursu transmitteret, multas naves tempestatibus amisit: deditque diras metuentibus occasionem sermo-

<sup>4</sup> *Nuncianti* legitur in edd. ante Crev.

num : ‘jam omen atque initium adesse calamitatis, quæ devotum caput certa atque inevitabilis maneret.’ Nam et  
 Cic. de Div. 11. 40. fortuita in præsigium trahebantur ; quod, imponente exercitum Crasso, quidam in portu caricas Cauno advectas  
 Plin. xv. 19. vendens <sup>5</sup> Cauneas proclamaverat : quasi disertis verbis monente Crassum sollicito numine, ‘caveret ire.’

36. Causam festinandi haud postremam A. Gabinii præbuerat insolentia, qui legato Crassi tradere exercitum, quantumvis finito imperii tempore, spreverat. In bien-  
 Dio. Cic. in Pis. et de Prov. Cons. nium ille Syriam in consulatu, L. Piso collega Macedoniam lege Clodia acceperant : eratque in ordinandis provinciis decretum, ut successores utriusque mitterentur. Et  
 Dio. Piso quidem jam decesserat, redieratque in Urbem : Gabinus ultra tempus retinebat imperium eadem improbitate, qua ultra præfinitum legibus modum exercuerat.

37. Erat tum latrociniis infesta Syria : sed plus a pro-  
 Joseph. Ant. xiv. 11. et de B. Jud. 1. 6. consule patiebatur injuriarum, qui non aliam ob causam infestius videbatur prædones persequi, quam ne qua pars spoli-  
 Plut. Ant. c. 3. Joseph. orum ab aliis interciperetur. Elapsus e custodia, Romaque profugus Aristobulus, qui apud Judæos regnaverat, cum Antigono filio redierat in Palæstinam, et confluentibus ad eum quibus præsentia parum placebant, Alexandrium nuper a Romanis dirutum instaurare cœperat. Gabinus, his auditis, partem equitatus Antonio præfecto misit, Sisenna et Servilio cum cohortibus subsequi jussis. Horum metu Aristobulus Macharuntem versus instituit cedere ; octo millium agmen trahens, quod aliam inermium turbam,<sup>6</sup> plus in ea impedimenti, quam auxilii, fore ratus, dimiserat. Sed Romani priusquam ad castellum pervenire posset assecuti, manus conserere coactum verterunt in fugam. Cum ad millia quinque cecidissent, Aristobulus cum mille admodum viris per obiectam hostium aciem eruptione facta, Macharuntem ; reliqui in collem quendam perfugerunt. Castellum biduo expugnatum : Aristobulus cum filio captus, ad Gabinium, et ab hoc Romam remissus est. Senatus Aristobulum in

<sup>5</sup> Verba intermedia *Cauno advectas*, cum antea desiderentur, ex Cic. add. Crev.

<sup>6</sup> Ita pro *turham* ex Joseph. reposuit Crev.



vincula dedit: filios dimisit, quia Gabinius ita cum matre eorum pepigisse scripserat, cum se et quæ tenebat in fidem Romanam dederet.

38. Judæis ad hunc fere modum pacatis, expeditionem Gabinius in Arabas Nabatæos adornabat. Hi enim toto illo biennio, quo L. Marcius Philippus primum, deinde Cn. Lentulus Marcellinus, prætorio imperio rexerant Syriam, vicina incursantes, colorem P. Clodio præbuerant, ut consularem cum Macedonia provinciam Syriam faceret, et illam L. Pisoni, hanc A. Gabinio, præmium prodiiti Ciceronis, cum exercitu et pecunia daret.

39. Forte per idem tempus Arsacidarum domus, discordiis atque parricidiis vexata, haud longo intervallo duo reges, Phraatem atque Mithridatem, amiserat. Phraates scelere filiorum interfectus erat: nec ipsis inter se plus pietatis et concordiae. Orodes, qui patri successerat, Mithridatem Media, quam ille tenebat, expulit. Mithridates cum Orsane nobilissimo Parthorum ad Gabinium profectus, venalem ducem muneribus et pollicitationibus magnis induxit, ut, omissis Arabibus, in Parthos arma converteret.

40. Jam ad Euphratem Gabinius cum exercitu venerat, cum Ptolemæus occurrit, literas a Pompeio afferens. Gabinius et litteris movebatur, quod auctore Pompeio faceret, impune facturum sperans; et, cum Ptolemæus talentorum decem millia<sup>c</sup> promitteret, magnitudine mercedis. Sed quia provinciæ finibus egredi, bellumque injussu populi gerere legibus vetabatur, magnaue asseveratione nuper ex Sibyllinis libris erat decretum, 'ne exercitus in Ægyptum duceretur,' trepidabat. Re in consilio proposita, cum plerique tutiora suaderent, M. Antonius auctor suscipiendæ expeditionis fuit; juvenili audacia, et quod Ptolemæo cupiebat gratificari. Gabinius igitur, negotio ita decreto, majoris prædæ spem secutus, cum et ipsi et militibus multa statim dilargiretur Ægyptius, plura promitteret; rebus Mithridatis insuper habitis, in Ægyptum properavit, dum adhuc idoneo defensore regnum careret.

<sup>c</sup> *Talentorum decem millia*] *Marcas argenti nostrates 937500. Crev.*

- Supra, 41. Nam, occiso Cybiosacte, cum Alexandrini mari-  
 CIV. 74. tum reginæ suæ Philippum Grypi et Tryphænæ filium e  
 Porph. ap. Syria evocassent; deinde Archelaum, filium Archelai,  
 Euseb. p. 227. sed qui se Mithridate ferebat genitum: Gabinus quid  
 Strabo, ageret suspicatus, Philippum ire prohibuerat; Arche-  
 xvii. p. 796. laum, expeditionis Parthicæ comitem, in custodiam dede-  
 et xii. rat. Sed ille paulo post elapsus, ignaro Gabinio, an dis-  
 p. 558. simulante conscientiam, incertum: nisi quod hominis mo-  
 Porph. Dio. res fidem astruunt tradentibus, metu ne pauciora Ptole-  
 Strabo, mæus daret, si citra negotium esset restitutus, simul ac-  
 xvii. ceptis ab Archelao magnis muneribus, Gabinium sponte  
 Dio. passum ut in Ægyptum ille perveniret.
- Joseph. 42. Archelao dimisso, Gabinus cum Judæis pecunias  
 armaque et frumentum imperasset, per eorum regionem  
 Heg. I. 21. ad Pelusium et Ægypti claustra processit. Magno illi  
 Joseph. tum usui Antipater<sup>7</sup> fuisse traditur, Herodis pater, cum  
 ad cetera pleraque strenuus administer, tum ad aperiendas  
 itineris difficultates unicus. Cum enim haud minus via-  
 Plut. Ant. rum impedita, quam belli adversa timerentur, (quippe per  
 altum sabulum et sitientes arenas, sub quibus crebri ser-  
 pentes occultabantur, Serbonitis circumeunda palus erat,  
 Typhonis formidata nomine, cujus esse spiramenta dice-  
 bantur) Antipater Judæos Ægyptiorum milites auctori-  
 tate sua permovit, ut aditus quos custodiebant, seque ipsos  
 Joseph. traderent Romanis. Ita, nemine arma opponente, M.  
 Dio. Plut. Antonius, qui præmissus cum equitatu fuerat, non modo  
 occupavit angustias, sed etiam Pelusium, amplam urbem  
 præsidioque munitam, recepit. Ea res saluti fuit Pelu-  
 siotis, quibus et Romani pepercerunt, et cum sævire Pto-  
 lemæus vellet, non est ab Antonio situs.
43. At postquam Gabinus supervenit, rebus Pelusii  
 Dio. constitutis, bipartito exercitu Alexandriam petentibus  
 Plut. Ægyptii occurrerunt. Acriter aliquamdiu certatum est:  
 mox quia M. Antonius necopinato terga hostium inva-  
 serat, victoria penes Romanos fuit. Crebra deinde et  
 magna certamina variis commissa locis: donec duobus  
 Dio. magnis præliis, quorum alterum in flumine classibus de-  
 pugnatum est, Alexandrinorum temeritas comprimeretur.

7 Ante Crev. præpositum invenitur τῶν Antipater verbum sed.

Erat enim id ei populo ingenium, ut projectus ad audendum, seditionibus continuis ad vilitatem corporis, et spernenda pericula exercitus, nihil non promptissime susciperet: idem mutabilis et laboris moræque impatiens, ubi primus impetus deferbuisset, qualibet conditione redimebat tam contemptam antea pacem. Narrant eductas ex urbe copias, cum vallo et fossa cingere castra juberentur, succlamasse universas, ut id opus pecunia publica locaretur. Igitur et Alexandriam Gabinus, et totum Ægypti regnum paucis mensibus cepit, cum magnam eorum hominum multitudinem cum Archelao rege occidisset. Corpus tamen Archelai requisitum ab Antonio propter jus hospitii, et regio sumtu funeratum est.

Val. Max.  
ix.1.6.ext.

Cic. in  
Pis. c. 21.  
Appian.  
Liv. Epit.  
Joseph.  
Dio. Strab.  
xii. p. 558.  
Plut.  
Diod. i. p.  
53.

44. Libet Alexandrinæ temeritatis, cum fœda superstitione conjunctæ, documentum hoc tempore editum in re haud satis per se memorabili, exponere. Nondum erat certum, quo animo accepturus ista populus Romanus esset, nec ab senatu amicus adhuc appellatus Ptolemæus erat,<sup>d</sup> cum a Gabiniano milite forte felis occisa immensam populi turbam conceivit. Nihil tum erat Ptolemæo, atque ipsis etiam Alexandrinis antiquius, quam ne quis Romanus offenderetur; et animal non voluntate militis, sed casu interfectum esse constabat. Attamen neque Romanorum terror, neque hospitii necessitudo, ne missi quidem a sollicito rege magistratus compescere populum poterunt, quominus a furentibus miser discerneretur.

45. Porro Ptolemæus, recuperato regno, ante omnia filiam Berenicen, deinde splendidissimum quemque supplicio affecit: multos per iram et odium; plerosque divitiarum causa, quibus ad mercedem Gabinio præstandam indigebat. Interea Judæus Alexander, recuperato per vim principatu, Romanis quotquot adipisci potuerat oc-

Dio.  
Strabo,  
xvii.p.796.  
Porph. ap.  
Euseb. p.  
226.  
Dio.  
Joseph.

<sup>d</sup> Nec ab senatu amicus adhuc appellatus Ptolemæus erat] Ita Diodorus. Sed Ptolemæus socius et amicus populi Romani appellatus erat, consule Cæsare: supra civ. 41. Unde sequitur ad anteriora tempora pertinere exemplum hoc furiosæ Ægyptiorum superstitionis. Nec vero

Diodorus aut a Gabiniano milite, sed a Romano quodam occisam esse felem memorat; aut ullam mentionem facit exercitus Romani tunc in Ægypto versantis: cum studiose colligat ea omnia quæ furorem hunc Ægyptiacæ plebis metu coercere debuissent. *Crev.*

Dio. cisis reliquos in monte Garizeno obsidebat. Nec obviam ire Sisenna poterat, cui admodum adolescenti Syriam pater Gabinus commiserat, nec usum rerum, nec auctoritatem rebus tantis parem habenti. Idcirco Gabinus raptim ex Ægypto reductis copiis, Alexandrum triginta millibus hominum stipatum offendit; quanquam præmissus ad populares Antipater, haud paucos a defectione retraxisset. Ad Itabyrium montem ingenti prælio concursus est: decem millia Judæorum cæsa.

Joseph.

46. Gabinium, rebus Hierosolymitanis ex Antipatri voluntate constitutis, ne victoriam consummaret, Arabicum bellum avertit. Id quoque feliciter ab eo gestum est, fuis prælio Nabatæis; neque confectum, quod jam Crassus aderat, provinciam et exercitum a Gabinio accepturus. Cupiebat et Parthos exules: sed illos sive pecunia accepta, sive Crasso invidens, clam dimisit Gabinus, fuga subductos ementitus.

Dio.

47. Restituto hunc ad modum Ptolemæo, cum Romam rem fama pertulisset, quod Gabinus ad senatum scribere metuebat; indignatio dolorque civitatis in immensum exarsit. Sprete haud dubie religiones, neglectæ leges, conculcata senatus, conculcata populi Romani auctoritas erat: eaque provinciæ etiam et equitum Romanorum querelis aggravabantur. Syri spoliatos se a latronibus, spoliatos a proconsule; publicani jus sibi non dictum, pactiones rescissas, vectigales multos liberatos, iisque rebus rationes suas remque familiarem afflictam eversamque esse, quiritabantur. Gabinus enim, ut Judæis atque Syris se vendicaret, a quibus multas accipiebat pecunias, ita se durum publicanis præbuerat, ut, quo in oppido ipse esset, aut quo veniret, ibi publicanum, aut publicani servum esse non pateretur. Inter fremitus plurimorum judicia et pœnas legum poscentium, Ciceronis maxime tonitrua audiebantur. Is in rempublicam studio, adversus inimicum ira, cum nihil eorum quæ ad irritandos animos pertinebant intactum omitteret, præcipue institit, 'ut Sibyllini libri denuo inspicerentur, et ex iis carmen de regis Alexandrini restitutione rursus ederetur.' Adjunctum enim ibi sperabat aliquid de pœna sprete religionis esse.

Cic. in  
Pis. c. 21.

Dio et  
Cic. de  
Prov. Cons.  
c. 5.

Dio.

Ceterum Pompeius Crassusque consules, alter auctor reducendi regis, Crassus accepta a Gabinio pecunia, (tum enim adhuc in Urbe erat,) nihil decerni sinebant. Res in annum sequentem extracta.

48. Interea C. Cæsar Usipetes Tencterosque Rhenum transgressos in Gallia vicit. Causa illis transeundi fuit, quod pluribus annis bello Suevorum exagitati, patrios fines ultra tueri non poterant. Igitur cum per varias Germaniæ partes vagati, postremo ad Rhenum amnem pervenissent, qua Menapiorum gens utramque ripam ædificiis vicisque obtinebat; non sunt admissi a Menapiis, qui, retractis in Gallicam ripam suis omnibus, transitum annis custodiebant.

Plut. Cæs.  
Oros. vi. 8.  
Liv. Epit.  
Dio. Flor.  
iii. 10.  
Cæs. de B.  
Gall. iv.

49. Germani, simulato discessu, quod tridui spatio iter confecerant, una nocte cum equitibus remensi, quemadmodum speraverant, Menapios ad pristinas sedes reversos oppresserunt. Navibus deinde captivis transvecti, cum colentes in altera ripa inscii omnium essent, tota regione occupata, per reliquam hyemis partem ibi substiterunt. Mox a quibusdam Galliæ civitatibus clandestinis nuntiis exciti, in fines Eburonum et Condrusorum, qui tum in clientela Trevirorum erant, processerunt. Cæsar, postquam de his rebus certior factus est, timens ne Gallos pro mutabilitate animorum hæc occasio in rebellionem ageret, exercitu coacto, iter ad ea loca facere cœpit.

50. In eo itinere legati Germanorum occurrerunt, neque deprecantes bellum, et amicitiam malle professi, modo daret agrum Cæsar, aut tenere quem occupasset pateretur. Addiderunt, 'sese unis Suevis concedere, quibus ne Dii quidem immortales pares esse possint: reliquum quidem in terris esse neminem, quem non superare possent.' Cæsar ad hæc negavit, 'pacem sibi cum his esse posse, donec sint in Gallia: si velint in fines Ubiorum concedere, acturum se cum Ubiis, ut eos recipiant, eorumque opera contra aggressores Suevos utantur.' Ipse cum exercitu progreditur. Cum jam hand amplius passuum duodecim millia inter utrosque interessent, legati reverterunt. Horum oratio eo pertinebat, 'ut tridui sibi spatium daretur, intra quod tempus de voluntate

Appian.  
ap. Fulv.  
Ursin. Cæs.

Ubiorem cognoscerent. Ubiis annuentibus, oblata a Cæsare conditione usuros.’

51. Quæ deinde sequuntur, sic habent ambiguum æstimationem culpæ, ut perfidiam potius Cæsaris quam Germanorum fuisse sit verosimilius. Nam, sicut ipse fatetur, responsum dedit legatis, ‘se non amplius millia quatuor eo die processurum. Petere ut postridie adsint quam frequentissimi, quo de postulatis eorum cognosceret: misurum ad præfectos, qui cum equitatu omni processerant, ne interea prælium inciperent.’ Miseritne, et dicto audientes præfecti fuerint, aut utrorum culpa commissum sit prælium, cum minime liqueat; vix est credibile Germanos, qui omnem equitatum suum, præter octingentos, superioribus diebus trans Mosam prædatum miserant, pugnam equestrem facturos fuisse contra quinque millia, nisi coacti atque lacessiti fuissent. Eventus is fuit, ut a tanto paucioribus Romani fæda fuga usque ad conspectum castrorum suorum repellerentur.

52. Postridie Germanorum principes majoresque natu omnes, uti convenerat, ad Cæsarem uno agmine venerunt. Ille his comprehendi hostiliter jussis, statim educit suos, Germanosque nihil tale cogitantes improvisus aggressor ad internecionem cædit. Quantus armatorum numerus perierit, non traditur. Caputum quadringenta triginta millia fuisse Cæsar scripsit, multitudine puerorum mulierumque computata.

53. Cæsar perquam fragili defensione factum hoc tuetur. ‘Germanorum principes per simulationem ad sua castra venisse; nihil aliud acturos, quam ut tempus obtinerent, intra quod equitatus suus reverti posset. Se neque audiendos putasse, qui per dolum, petita pace, bellum ultro intulissent; et summæ dementiæ judicasse, expectare donec hostium auferentur copiæ.’ Sane causam suam ne Romanorum quidem optimis probavit: adeoque Tanusius Geminus historiarum scriptor a M. Catone dictam tradit sententiam, quo tempore ex literis Cæsaris supplicationes decernebantur, ‘dedendum illum hostibus esse, ob legationis violatæ nefas.’ Suetonius addit, aliquando a senatu decretum fuisse, ‘ut ad explorandum

Sueton.  
Cæs. 9.  
Plut.  
Cæs. et  
Crass. sub  
fin.  
Sueton.  
Cæs. 24.

statum Galliarum legati mitterentur; quod infestas ac feras gentes a Cæsare lacessi, parum e republica videretur.<sup>7</sup>

54. Interim equites Tencterorum et Usipetum, audita Cæs. suorum clade, per alias vias ad Rhenum venerunt, eoque transmisso, sunt a Sigambriis recepti: eodem pauci eorum qui prælio interfuerant, ex fuga penetrarunt. Eos cum Cæsar dedi postulare, Sigambrii populi Romani imperium Rheno finire responderunt: 'si ipse nollet in Galliam venire Germanos, vicissim et sibi juris aut potestatis nihil arrogare debere in Germania.' Inde causas sibi struens Cæsar, per quas Rhenum transmitteret (cupiebat enim Sueton. Cæs. c. 25. Dio. Cæs. nemini Romanorum tentatæ rei gloriam adipisci) lubens audivit Ubiorum oratores, qui adversus Suevos implorabant opes Cæsaris, Rhenumque trajecturo magnam navium copiam pollicebantur. Cæsar ponte transgredi maluit. Quo intra dies decem effecto, traduxit exercitum, et proximam Germaniæ partem vastare cœpit. Sed ubi se Sigambri in loca impedita receperunt, Suevique, missis quaquaversum nuntiis, cogere exercitum nuntiabantur, Cæsar satis et ad laudem et ad utilitatem profectum arbitratus, reduxit in Galliam copias pontemque rescidit, dies omnino duodeviginti trans Rhenum commoratus.

55. Inde, cum exigua pars æstatis superesset, etiam in Vell. II. 46. et 47. Strab. IV. p. 199. et 200. Sueton. Tac. Agric. c. 13. Cæs. Dio. Britanniam navigandi cepit impetum: ut insulam ne vicinis quidem cognitam adiret, quod nemo adhuc Romanorum fecerat. Tempus ad exigui maris transitum, cognoscendosque Britannorum animos sufficiebat. Idem obtentum præstabat bello omisso redeundi, si difficilius spe sua negotium reperisset. Nam ad id tempus adeo Græcis Romanisque ignota fuerat Britannia, ut alii magnitudinis argumento continentem esse dicerent, opinione hac usque Tac. Agric. c. 10. Plut. Cæs. Cæs. ad imperium Vespasiani obtinente; <sup>e</sup> vetustiores nomen atque fabulam sine re, quicquid de illa diceretur, existi-

<sup>e</sup> Opinione hac usque ad Vespasiani imperium obtinente] Ita tamen ut doctores minime dubitarent quin Britannia vere insula esset. Cæsar, Strabo, sem-

per insulam eam nominaverunt; famam tamen fortasse magis secuti, quam satis certos auctores. *Crev.*

marent. Dum naves apparantur, Morinorum legati dendæ gentis ergo venerunt. Gratum id Cæsari fuit, quod in alium velut orbem transituro nullus a tergo hostis relinquebatur. Igitur, præmisso ad speculandum cum una nave C. Voluseno, cum navibus duas omnino legiones imposuisset, paucis horis Britanniam attingit, peditatu tantum stipatus, quod equites alio loco conscendere jussi tardaverant.

Strabo.  
Tacitus  
Agric. c.12.  
Cæs.

56. Britanni, quanquam, Cæsaris expeditione cognita, legatos in Galliam miserant, obsequium et obsides polliciti; tamen frequenter armati ad prohibendum excensu militem opperiebantur: et loci situs ille erat, ut angusto inter montes aditu tela utrimque adjici in egredientem possent. Igitur ad octo millia passuum inde littus planum apertumque petiit. Eo quoque loco Britannorum equitatus et essedarii se opposuerunt. Essedariorum pugnandi ratio ferme similis fuit ei, quæ temporibus heroicis apud poëtas ascribitur. Cum esset diu certatum, Romanos, quanquam iniquitate loci et novo genere pugnae turbabantur, longæ naves, et emissa inde tormentis tela, victores effecerunt.

57. Britanni, magis terrore, quam damno, compulsi, quod equitatu destitutus Cæsar insequi fugientes nequiverat, legatos miserunt. Cum his et Comius Atrebas venit, quem a Cæsare præmissum ut Britannos ad amicitiam populi Romani cohortaretur, et ab se comprehensum, post infelix prælium liberaverant. Cæsar leni oratione castigatis, 'quod pacem ultro petitam bello non necessario mutavissent,' obsides imperavit. Hisque adductis, in faciem amicitia quietæ res esse cœperunt, haudquaquam solida aut diuturna fide.

58. Nam ubi tempestate disjectæ naves, quibus equites erant impositi, Britanniam tenere nequiverunt; navesque Cæsaris, ignotis locis ad anchoras stantes, eadem tempestas confregit, aut ad navigandum reddidit inutiles; coire Britannis, miscere consilia, postremo resumere arma placuit, quod exercitum sine comœatu, sine navibus, in hostili solo iniquo anni tempore deprehensum facile superaturos se putabant: victoriaeque præmium non intra præ-



sentia tantum commoda staturum rebantur, sed, his delictis copiis, nemini postea veniendi ad Britannos audaciam fore. Igitur legionem septimam, quæ missa frumentatum fuerat, subito maximus numerus aggressi, totam concidissent, nisi pulvis solito major ex iis locis conspectus Cæsarem advertisset. Hoc celeriter subveniente, servata legio est.

59. Hostes alio deinde prælio victi, cum iterum misissent legatos; Cæsar, infirmis navibus non esse diutius differendam navigationem putans, nam dies æquinoctii suberat, promte veniam præteritorum dedit. Obsidum tantummodo numerum duplicavit, præcepto ut in continentem sibi mitterentur. Ita cum discedere Cæsar, Britannii dimittere advenas cuperent, illi multum imperare, horum in potestate relinqui quatenus obedirent, videretur; haud operosum componendæ pacis negotium fuit. Cæsar, in Galliam regressus, cum obiter Morinos, a quibus trecenti milites, qui in eo littore expositi castra sua repetebant, oppugnati fuerant, per T. Labienum domisset; per Q. Titurium, L. Cottam legatos, Menapiorum vastasset culta, in Belgis hyberna legionum constituit. Eo duæ omnino Britannorum civitates miserunt obsides: reliquæ id facere neglexerunt.

60. Cæsar, his gestis, quanquam operæ pretium aliud factum non erat, quam quod ad ignotas prius regiones, ipsisque domitoribus orbis, ut ferebantur, Herculi Bacchoque, et ceteris heroibus intactas, arma Romana pervaserant; de rebus suis magnifice, verbis extollens, ad senatum scripsit. Cum adversæ, ut ante retulimus, sententiæ aliquot fuissent; studiis et adulatione plurimum, supplicatio dierum viginti a senatu decreta est.

Dio.  
Cæs. Plut.  
Cæs. Dio.

61. Dum hæc a Cæsare geruntur, Q. Metellus Nepos in Hispania populos aliquot fudit, qui Vaccæis ducibus rebellionem ceptaverant, necdum erant satis ad bellum parati. Ea res Nepoti patefecit viam, ut multas obeundo nationes, aliquem numerum ignobilium oppidorum in deductionem acciperet. Sed, ubi Cluniam obsidere aggressus est, validam urbem, Hispanis cum maximo exercitu supervenientibus, prælio impar cessit. Et, quanquam me-

Cic. de  
Har. Resp.  
c. 9.  
Dio.

liore denuo fortuna depugnasset; ob nimiam multitudinem hostium (quod iis temporibus Hispania gentium omnium longe populosissima erat) satis deinceps habuit, si se et exercitum præstare salvum posset. Hæc in Urbe audita fuerant, cum nondum ornata provinciæ essent; moveruntque senatum, ut Hispanias alteri consulum provinciam lubentius decerneret, Pompeioque sortem illam obvenise lætaretur. His ferme rebus domi forisque circumactus annus est, quo Cn. Pompeius, M. Crassus consules iterum fuerunt.

62. Sequens deinde, L. Domitio Cn. F. Ahenobarbo, Ap. Claudio Ap. F. Pulchro Crasso consulibus, magnas dissensiones in republica, magnas exercituum strages in provinciis tulit.\* In Urbe propter Gabinium, a quo contra religiones reductus in regnum Ptolemæus fuerat, acerbis animis inter principes certabatur. Et Gabinii causam Cn. Magnus hactenus utcumque sustinuerat: tum autem duorum consulum inimicis accedente auctoritate, cœpit labascere. Domitius semper adversus Pompeianæ factioni fuerat: Appium antea non alienum studia plebis mutabant, et spes lucri; accumulaturus mercedem patrocinii Gabinio, si prius in magnam adductus trepidationem fuisset.

Cæs. de B.  
Gall. v.  
Dio, xl.  
Cæs.

63. At Cæsar, obsides a Britannis missos non esse causatus, ceterum insulae si posset domandæ cupidus, et quolibet prætextu morem gesturus cupiditati, per hyemem magnam navium multitudinem opera legatorum, quos hybernis præposuerat, effici jussit: forma præscripta, quam judicabat esse ad illius maris naturam consueta commodiorem. Ipse, Pirustarum compressa natione, Illyricum incursantium, et deinde in Galliis concitore Trevirorum Indutiomaro, cum legionibus ad portum Itium pervenit, inde, simul patiens navium oceanus foret, iterum in Britanniam trajecturus. Itium plerique fuisse putant, ubi nunc Caletum est maritimum oppidum: sed hæc auctoritate Ptolemæi refellitur opinio. Propius fidem est juxta Bononiam quærendum huic nomini locum esse.

Cellar.  
Geogr. Ant.  
l. 11. c. 3.

\* A. U. C. 698. A. C. 54.

64. Dum ibi ventum expectat Cæsar, Dumnorix Æduo-<sup>Cæs.</sup>rum princeps, qui cum equitibus suis ad Cæsarem venerat, cum impetrare nequisset ut in Gallia relinqueretur, invito Cæsare, domum cœpit discedere. Cæsar motum Galliarum veritus, postpositis rebus omnibus, mittit qui Dumnorigem retrahant: ab his repugnans interficitur; Ædúi equites ad Cæsarem omnes revertuntur. Ceteris hoc ad parendi necessitatem exemplum est.

65. Igitur legionibus quinque, duobus equitum Gallorum millibus assumtis, eodem loco ubi nuper appulerat, per summum otium exponit suos: quod multitudine navium Britanni perterriti (nam ad mille navigia habebat) prohibere excensionem non audebant. Cæsar, cognito per captivos, quo se recepisset hostis, quanquam munitis locis se tenentem profligavit; fugientem propter locorum ignorantiam insequi supersedit. Postridie, tripartito agmine profectus in expeditionem, naves suas ea nocte tempestatibus vehementer afflictas esse cognoscit. Hoc nuntio revocatus ad classem, in reficiendis subducendisque navibus, castrisque sic communiendis ut eadem munitione naves quoque defenderentur, decem ferme dies consumsit.

66. Interea temporis Britanni, sociis passim evocatis, majores contraxerunt copias, summæque rerum Cassivellaunum præfecerunt, ejus inter regulos præcipua virtus ac potentia erat. Cum his crebra praelia facta, nullo ad summam belli profectu. Britannorum tamen exercitus, revocantibus auxilia sua civitatibus, disparuit; quærendumque Cæsari bellum fuit. Ideirco ad flumen Tamesin, ubi Cassivellauni fines erant, exercitus ductus est.

67. Trans amnem hostium magnæ copię consederant, munita præacutis sudibus ripa, et aliis in ipso alveo ita defixis, ut aqua tegerentur. Sed, perruptis obstantibus omnibus, virtus Romana patefecit viam: tanto ardore militum, ut licet solis capitibus extarent, tamen nec flumine, nec sudibus, nec telis hostium terreri aut retardari possent. Fertur et alia, nec absurda fabula, percussos aspectu elephantum Britannos equosque eorum fugisse: quod belluam unam secum transportaverit Cæsar, eamque in flumine constituerit, armatis e turri, quam dorso elephantus

Polyæn.  
Strat. VIII.

Cæs. portabat, tela spargentibus. Cassivellaunus adverso prælio, deinde Trinobantium defectione territus, quos statim Cenimani, Segontiaci, aliæque nonnullæ nationes imitatae sunt, copia pugnandi minime facta, in oppida sua se recepit. Oppida Britanni tum vocabant, cum sylvas impeditas vallo atque fossa munivissent. Ibi, dejectis arboribus, tuguria sibi et pecori stabula ponebant ad usum exigui temporis. Interea quatuor ex Cantio reguli, Cassivellauni nuntiis exciti, castra Cæsaris navalia de improvviso adoriuntur. His strenue occursum a Romanis qui ibi præerant, subitaque eruptione magna cum clade reiectus hostis : dux quoque nobilis Lugotorix captus est.

Strabo, iv.  
Cæs.

Tac. Agric.  
c. 13.  
Strabo.  
Cæs.

Strabo.

Dio. Plut.  
Diod. v. 21.  
Cæs., Strab.

68. Hæc tot adversa (nam et munitissimum interea oppidum amiserat) perpulerunt Cassivellaunum, ut per Comium Atrebatem legatos ad Cæsarem de pace mitteret. Cæsar, qui propter repentinos Galliæ motus in continenti hyemare constituerat, magna hostium multitudine interfecta, parte aliqua insulæ, qua littus attingit, accepta in deditionem, satis pensatum expeditionis laborem ratus, haud gravatim pacem dedit; obsidibus imperatis, adjectoque, ne quid Cassivellaunus Trinobantibus noceret. Præsidium imponi feris gentibus, et oceano divulsis, metus amittendorum militum prohibuit: tributa, si non essent, per quos exigerentur, jubere vanum erat. Igitur his abstinere Cæsar maluit, modico vectigali contentus, cum et merces minime pretiosæ essent, quæ inter Gallos ac Britannos permutabantur.

# SUPPLEMENTUM

LIBRI CVI.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

---

1. **R**ERUM ita gestarum gloria, et perpetua indulgentia fortunæ (namque tot navigationibus, nullam omnino navem quæ milites portaret, amiserat) exultantem Cæsaris animum luctu repleverunt urbanæ literæ, nuntiato Juliæ obitu, quam Pompeio Magno collocaverat. Obierat ex partu: moxque duplicatus est dolor, decedente puella, quam enixa fuerat.

Cæs. de B.  
Gall. l. v.  
Plut. Cæs.  
et Pomp.

2. Corpus matronæ cum in foro propositum esset, post funebrem laudationem rapuit populus, et in campo Martio sepelivit, tribunis incitantibus,<sup>a</sup> qui ad hoc ab amicis Cæsaris atque Pompeii conducti fuerant, aut sponte captabant hac adulatione præpotentium virorum gratiam. L. Domitius reclamabat, 'in locum sacrum inferri mortuum nefas esse' dictitans: neque tamen ratio valuit apud occupatos affectibus; et consulis auctoritatem pro nihilo haberi translaticium erat. Sed prudentiores, et quibus aliqua publicæ aut etiam suæ rei cura erat, gravis incessit metus, fore, ut hoc inter duos sublato concordiæ pignore,

Dio,  
xxxix.  
Liv. Epit.  
Plut. et  
Dio.

Plut.  
Appian.  
Civ. ii.  
Vell. ii. 47.  
Lucan. i.  
111.

<sup>a</sup> *Tribunis incitantibus*] De tribunis hoc loco silet Dio. Plutarchus, invitis tribunis, βίᾳ τῶν δημάρχων, a multitudine raptum

esse Juliæ corpus, et in Campo sepultum memorat. Itaque hic paulum hallucinatus est, præter morem, Freinshemius. *Crev.*

Val. Max. ambitio æmulorum civilibus armis collidatur. Nec fraudandus virtutis et gravitatis suæ laude Cæsar, qui intra tertium diem, quam hæc nuntiata erant, ad imperatoria munia rediit.

Dio. 3. Inter hæc A. Gabinii causa vario et pudendo judiciorum eventu agitabatur. Ille periculi sui non ignarus, cum magnam vim auri ad conciliandos sibi homines præmisisset, exeunte Septembri noctu introivit in Urbem;

Cic. ad Q. Fratr. 111. 1. et 2. Val. Max. VIII. 1. paucosque post dies a C. Memmio tribuno plebis ad populum acriter est accusatus. Cum damnaretur reus, Sissenna Gabinii filius ad pedes Memmii procubuit, pro patre deprecabundus. Eum Memmius truci vultu aversatus, aliquamdiu humi jacere sivit. Hæc species, et quod excussus e manu adolescentis annulus visebatur, ita mutavit animos, ut, approbantibus cunctis, a tribuno

Dio, et Cic. ad Q. Fratr. 111. 3. et 4. et ad Att. IV. 16. plebis Lælio Gabinius dimitteretur. Postea quoque tanta in iudicibus rogandis contentio Cn. Pompeii fuit, Cæsaris etiam<sup>1</sup> amicis enixe opitulantis, ut a L. Lentulo Flamini filio apud C. Alfium prætorem majestatis postulatus Gabinius, summo dedecore iudicium absolveretur.

Dio. 4. Permoeste rem eam populus tulit: adeo quidem<sup>2</sup> concitatus, ut parum abfuerit, quin ipso in iudicio discerperet reum, et inter diribendas tabellas iudicibus ipsam mortem minaretur. Igitur, frustra obnitente Pompeio, Sibyllinum carmen denuo invulgari pervicerunt: et sub idem tempus fortuita res, sed velut ex compacto in illum temporum articulum veniens, tam valide commovit homines, ut licet nulla statuta in libris pœna fuerat, atrocissimo supplicio Gabinius voluntate singulorum et senatus destinaretur. Forte sub eisdem diebus Romæ et maxime Appia ad Martis mira proluvia, exundante Tiberi fluvio, et usque ad piscinam publicam magna vis aquæ fuit: opletisque partibus inferioribus omnibus, ne editiora quidem intentata fluctibus manserunt. Magna adificiorum strages secuta, quæ lateritia cum essent, vi

Cic. ad Q. Fratr. 111. 7.

Dio.

<sup>1</sup> *Eam pro etiam* legebatur ante Crev.

<sup>2</sup> *Pridem* edd. ante Crev.

aquarum solvebantur: ingens jumentorum numerus, homines quoque multi suffocati aquis aut oppressi ruina perierunt. Hæc omnia infensi ad iram Deorum referebant, spretas religiones viudicantium.

5. Igitur ad M. Catonis tribunal, qui de repetundis judicabat, adduxerunt reum, minus jam timentem, quia maximam adversariorum tempestatem incolumis pertulerat. Sed a iudicibus, qui et populum timebant, et a reo acceperant nihil,<sup>b</sup> condemnatus, solum vertit. Erant enim tanta ejus tamque manifesta crimina, populique indignationem ita vehementem commoverant, ut nullis præsiidiis, cum habere videretur longe firmissima, servari posset.

6. Pompeius, qui rei frumentariæ causa in Italia erat, cum ad primum iudicium Gabinii occurrere studuisset, sub eisdem diebus quibus repetundarum postulatus fuerat, ad Urbem venit: nihilque ad summam diligentiam fecit reliquum, quo nocentem eriperet. Ideoque et Ciceronem, non sine probro utriusque, permovit, ut in quem priore iudicio testimonium acriter dixerat, eum nunc defenderet. Ipse, quia proconsulare imperium habenti Urbem ingredi non licebat, evocato populo, verba pro Gabinio accurate fecit, Cæsaris etiam recitatis epistolis, quibus salutem Gabinii enixe commendaverat.

7. Eodem ferme tempore pro M. Scauro felicius inter alios patronos Cicero dixit. Postulatus et iste repetundarum fuerat ex Sardinia, C. Triario C. F. accusante. Causa hominis tam erat perditæ, ut accusator diceret, 'lege sibi centum atque viginti hominibus denunciare testimonium licere. Se vero non recusare, quominus absolvetur reus, si totidem nominasset, quibus in provincia nihil abstulisset.' Tam bona conditione cum reus uti non posset, tamen propter favorem splendidæ ædilitatis, et patris Scauri memoriam, frequentibus suffragiis est absolutus.

<sup>b</sup> Et a reo acceperant nihil] Immo pauca, ut habet Dio, μηδὲν μέγα, οὐ πολλά. Interpretis quidem Dionis vertit nullum minus, nullos sumtus: ita ut videatur Freinsheimius hoc in loco non recurrisse ad fontem. Crev.

Ascon. in Scaur. Dio.

Cic. pro Rab. Post. c. 8. et ad Q. Fratr. et ad Att. Val. Max. iv. 2. Dio.

Cic. ad Q. Fratr. III. I. et ad Att. iv. 16. Ascon. in Scaur. Val. Max. vii. 1.

Ascon.

8. Hæc judicia, cum calido adhuc anni tempore agerentur, M. Cato sine calceis et tunica exercuit, campestri<sup>c</sup> sub toga prætexta cinctus. Id alii tanquam sordidum et indignum majestate jus dicentis accusabant: aliis repetitum ex vetustate exemplum placebat, quod eodem habitu in Capitolio et rostris antiquorum statuæ visabantur. Sed Cato talibus et reprehensionibus et laudibus superior, tantum de republica dies noctesque cogitabat. Ambitus, et nundinationes magistratuum ad extremum impudentiæ processerant: cum, positus in medio mensis, palam largitiones fierent, et a mercenaria plebecula honores emerentur. Igitur auctore Catone senatusconsultum factum, 'ut designati magistratus, quibus accusator nullus esset, ultro se offerrent juratis iudicibus, rationemque adepti honoris redderent.'

Plut.  
Lucan. i.  
178.  
Petron.  
Carm.  
Plut.

9. Magnus inde timor candidatorum: dolor incredibilis forensis turbæ, quæ vitiis reipublicæ pasci solita, si res ad bonos mores redisset, sibi jejunium iudici cernebat. Idcirco postridie prodeuntem ad tribunal Catonem promiscua multitudo conviciis, mox etiam lapidibus appetivit: ut diffugientibus qui eum deducebant, vehementer contusus atque jactatus vix in rostra penetraret. Inde conversus ad turbam, constantia vultus illico seditionem clamoremque compressit: mox, apta temporis oratione sic disseruit de præsentibus, ut tumultus omnis semel conquiesceret.

Legi tamen, cum a consulibus ex senatusconsulto ferretur, ne ipsis quidem nolentibus, intercessum est.

10. Nec ideo minus tribunitii candidati, depositis apud M. Catonem quingenis sestertiis,<sup>d</sup> compromiserunt 'petere magistratum legitime: qui contra fecisset, arbitrato Catonis condemnaretur, depositamque pecuniam perderet.'

Unum ex eo numero cum Cato damnasset, competitoribusque pecuniam jussisset solvere, illi, iudicio Catonis contenti, pecuniam damnato remiserunt. Ea res ut illustrem Catoni gloriam, ita acerbissimam invidiam attulit, quod unus plus omnibus et legibus et iudiciis valuisse vi-

Cic. ad  
Att. et ad  
Q. Fratr.

<sup>c</sup> *Campestri*] Linteo, quo inferiora corporis velare soliti erant ii qui in Campo sese nudi

exercebant. *Crev.*

<sup>d</sup> *Quingenis sestertiis*] Marcis argenti 1953. uncia 1. *Crev.*



deretur. Exclamasse tum Ciceronem ferunt, ‘O te felicem, M. Porci, a quo rem improbam petere nemo audet!’ Plin. Praef. Hist. Nat.

11. Ceterum Cato adversus tantam vim perditorum hominum plerumque frustra luctabatur, multique ejus conatus in irritum cadebant: quemadmodum et in C. Pontinio, quem, se vivo, triumphaturum Cato negaverat. Nam ille supra triennium post devictos Allobrogas ad Urbem hærebat, triumphum postulans: donec Ser. Sulpicius Galba prætor, qui legatus in Gallia Pontinio fuerat, de imperio ejus ad populum sub ipsam auroram tulit, cum ante horam primam agi cum populo non soleret. Igitur Cato et P. Servilius prætores, cum tribuno plebis Q. Mucio Scævola, prohibere triumphum conabantur, quem ante diem III. Nonas Novembres erat ducturus: fuitque non levis ea die contentio, ut etiam ad cædes perveniretur. Sed plerosque prætorum atque tribunorum secum Pontinius habebat, et consulem Appium: a quo insigniter adjutus, nequicquam tumultuantibus adversariis, Urbem triumphans iniiit. Cic. ad Att. iv. 16. Dio. Cic. ad Q. Fratr. III. 4. et ad Fam. III. 10. Dio.

12. Majores in eadem Gallia res iisdem temporibus C. Cæsar gerebat, Eburonum rebellione excitus, qui nuntiis Indutiomari Treviri impellentibus, duce Ambiorige, L. Aurunculeium Cottam, Q. Titurium Sabinum legatos Cæsarum cum cohortibus<sup>e</sup> occiderunt. Id infortunium culpa atque temeritate Q. Titurii accidit: quo impellente, castra feliciter defensa reliquerunt milites, ad proxima suorum hyberna transituri. Nam fraudulentum hostis consilio crediderunt, amicum se ferentis, neque sponte ad oppugnanda castra profectum; sed quia Gallorum omnium ea esset conspiratio, cui ipse non posset resistere. Inveniebatque fidem ex eo quod contempta et ignobilis Eburonum civitas nihil per se attentatura videbatur, nisi plurimum et opulentiorum fiducia armaretur. Plut. Cæs. Dio, XL. Flor. III. 10. Oros. VI. 10. Liv. Epit. Cæs. de B. Gall. v.

13. Ambiorix, hac victoria multoque auro ex direptione castrorum potitus, statim cum equitatu in Atuaticos, deinde in Nervios pervenit, ubi legionis unius hyberna

<sup>e</sup> *Cum cohortibus*] Cum una legione et quinque cohortibus. Sic memorat Cæsar. *Crev.*

erant. Ad hæc expugnanda omnes hi populi, aliis quoque vicinis adjectis, magna cum multitudine armatorum accesserunt. Hybernis Q. Cicero præerat, nequedum audito Titurii casu, vacuus curis. Itaque milites nonnulli, quos lignationis munitionisque causa in sylvas dimiserat, subito hostium adventu sunt excepti. Hinc castrorum per complures dies continuata oppugnatio, sed summa virtute Ciceronis et militum hostes repulsi: donec Verticonis Nervii fideli opera (nam is servo suo magnis præmiis persuaserat, ut literas perferret) Cæsar, præsentibus rebus cognitis, succurrere periclitantibus potuit.

14. Is igitur solita celeritate cum legionibus duabus, quia Labienum Treviri cum omnibus copiis ad ejus hyberna profecti retinebant, in Nervios contendit, adventumque suum Ciceroni Græca epistola, ne intercepta intelligeretur ab hostibus, nuntiat. Eam Gallus quidam eques, per popularium castra sine suspitione transgressus, alligatam tragulæ intra vallum misit.

15. Galli, Cæsar's adventu per exploratores cognito, relicta obsidione, cum omnibus copiis, hominum millibus ferme sexaginta, obviam procedunt. Romanus viribus impar, consilio potior, ut hostem in contemptum sui adduceret, castra per se propter paucitatem armatorum exigua, etiam de industria contrahit. Ea simulatio timoris decipit Gallos, ut tanquam ad facilem prædam in locum iniquum succederent castra oppugnaturi; mox, erumpente portis omnibus Romano exercitu, tanquam subito casu attoniti, majore consternatione percellerentur, quam paulo ante fiducia exultaverant. Magnus primo impetu interfectus est numerus, ceteri armis abjectis fugerunt. Victoriæ rumor incredibili celeritate perlatus in Remos, Indutiomarum, qui postero die castra Labieni oppugnare constituerat, ita perterrefecit, ut eadem nocte profugeret.

Frontin.  
Strat. III.  
17.  
CÆS.

Dio.

16. At longe diversa in simili proposito fortuna M. Crasso fuit. Is quoque, Cæsar's æmulatione, magni ducis nomen potentiamque bellis serendis aucupari certus, postquam pacatam Syriam videt, arma Parthis, licet neque causa esset belli, neque senatus auctor extitisset, in-

ferre cœpit. Sed neque alia ei suppetebant ad Cæsarianæ indolis modum, et homo major annis sexaginta<sup>f</sup> nihil satis ad tanta negotia vegetum, præter cupiditatem, afferebat: idque nuper ducenti per Gallogræciam urbane exprobratum a rege Dejotaro fuerat. Hunc Crassus, exacta jam ætate, condentem oppidum cum offendisset, ‘Duodecima,’ inquit, ‘hora ædificas, Dejotare.’ Tum ille, ‘Ne tu quidem, imperator, satis matutinus surrexisti in Parthos.’

Appian.  
Parth.  
Plut. Crass.

17. Sed ille sitiens auri, quo Parthos abundare intelligebat, et novum regem, nec sine turbis in solium Arsacidarum enisum, superato facilem figurans, ponte junxit Euphratem, transgressusque læta belli initia habuit, quia Parthi adversus improvisam irruptionem parum providebant. Occurrit tamen ad Ichnas (id castello nomen est) cum paucis equitibus unus ex purpuratis Sillaces; victusque prorsus<sup>g</sup> contendit ad regem, præsentia nuntiaturus.

Dio.  
Oros. vi. 13.  
Flor. iii. 11.  
Dio. Plut.  
Dio.

18. Interim Crassus impune diripiebat Mesopotamiam, civitatesque et castella in deditionem accipiebat, lubenter deficientibus Græcis, quorum ibi frequentes colonias Magnus Alexander, et postea successores ejus constituerant. Illi, Parthorum imperium gravati, quorum dominos fuisse majores suos audierant, auspicia Romanorum, apud quos in pretio Græcos esse norant, haud gravatim sequebantur. Zenodotium tamen, cujus tyrannus erat Apollonius (Osrhoënæ ea civitas fuit; Osrhoëna porro præfectura Mesopotamiæ), cum accivisset præsidium Romanorum, centum milites occidit, et ob eam noxam direptum est; oppidani sub hasta venditi: Crassus imperator appellatus. Is ob res tam exiguas cupide acceptus honor valde existimationem ejus imminuit, quasi desperatione

Plut.  
Cellar.  
Geogr. Ant.  
iii. 15.  
Dio.  
Plut.

<sup>f</sup> *Et homo major annis sexaginta*] Testem in ora libri appellamus hic Appianum, semel tantum in tota Crassi adversus Parthos expeditione, quod ille, vel qui sub ejus nomine Parthica consarcinavit, Plutarchum pæne ad verbum exscripsit. *Crev.*

<sup>g</sup> *Victusque prorsus*] Dubitamus de voce *prorsus*. Fortasse Freinshemius scripserat *protinus*; aut major aliquis latere potest error. Dio certe Sillacem eo prælio vulneratum esse narrat, quod cur Freinshemius omissum voluerit, non videmus. *Crev.*

majorum, ex levium gestorum successu summos adipisci honores properaret.

Dio. 19. Nec enim quicquam præterea cruentum aut hostile tota ea expeditio habuit, sponte ad eum deficientibus multis. Neque dubitabatur, quin magnum operæ pretium fecisset, si eodem impetu inter terrorem barbarorum ad Babylonem et Seleuciam, urbes nunquam diuturna fide pacatas Parthis, signa Romana promovisset. Sed ille, contentus sponte oblati, ne illa quidem tueri pro magnitudine periculi curæ habuit. Septem millibus peditum, equitibus mille per præsidia distributis, recessit in Syriam, spatiumque dedit hosti comparandi sese, et recuperandi amissa.

20. Ne armis quidem parandis aut exercendo milite consumsit hybernorum tempus; sed pecuniæ cogendæ intentus, imperabat auxilia, quæ mox pretio remitteret, civitatumque reditus, et donaria templorum computabat. Hierosolymis etiam auream trabem ex templo sustulit, Eleazaro dante, ne quid præterea de sacro thesauro tolleret. At Crasso potior pecunia fide jurisquejurandi religione fuit. Igitur et duo millia talentorum,<sup>h</sup> quæ Pompeius reliquerat, et quicquid præterea auri inventum in fano est, detraxit.

21. In Cava Syria urbs fuit multis nominibus. Nam et Bambycen et Edessam<sup>i</sup> appellant; et ab Syris Magog, a Græcis propter celebritatem delubri Hierapolis vocabatur. Deam Syriam ibi colebant prodigiosa forma. Superne mulier, inferiore parte corporis in piscem desinebat.<sup>k</sup> Derceto aut Atergatis vocabatur. Semiramidis matrem fuisse quidam fabulantur. Græci Venerem eo nomine, aut Junonem, pars Naturam coli putabant. In antiquissimis Hebræorum libris Dagon est, piscem significante vocabulo. In hujus aede Crasso factum omen ferunt appropinquantis interitus. Erat cum eo Publius

<sup>h</sup> Duo millia talentorum] Marcas argenti 187500. *Cree.*

<sup>i</sup> Bambycen et Edessam] Ita quidem scripsit Strabo. Sed utrum recte, dubitant docti. Vid. Cellar. Geogr. Ant. l. iii. c. 15. *Cree.*

<sup>k</sup> Superne mulier, inferiore parte corporis in piscem desinebat] Lucianus de Syria Dea testatur hanc Deam sub illa quidem forma in Phœnicia cultam esse. At in Hierapolitana aede tota, inquit, mulier est. *Cree.*

filius, qui nuper a Casare lectos equites mille adduxerat, donis militaribus propter virtutem ab eo multis honoratus. Cum exirent fano, primum ad fores impegit adolescens, mox pater super corpus jacentis provolutus est. Nec omen tantum mortis ea ædes Crasso, sed etiam causam dedisse videtur: quod hac maxime injuria credibile est<sup>1</sup> commotum Edessæ principem Abgarum, exitiali Romanis legionibus prodicione, consilia cum Parthis sociasse.

22. Idem annus crebras illustrium virorum accusationes habuit, et, præter memoratos antea, M. Cælius apud Cn. Domitium, C. Messius apud P. Servilium prætores, itemque Drusus et Vatinius a Cicerone defensi sunt. Præterea C. Cato, Sex. Sufenas, qui in tribunatu, sublatis comitiis, magnas turbas dederant, A. D. III. Nonas<sup>2</sup> Quintiles favore triumvirorum absoluti sunt. L. Proci- lium, qui patremfamilias domi suæ occiderat, cum multi absolverent, paucis suffragiis major pars judicium condemnavit.

23. Sed hic ludus et jocus erat præ judiciis, quæ ad summum impudentiæ propectus ambitus pepererat. Candidati consulatus quatuor fuerunt: totidem ambitus sunt postulati. C. Memmius<sup>m</sup> Cn. Domitium, C. Memmium Q. Curtius reos fecerant: a Q. Pompeio M. Messalla, a C. Triario vetere inimico M. Scaurus accusabantur. Consules quoque flagrabant invidia, quod turpissimam cum Memmio ac Domitio pactionem fecerant, 'ut ambo sestertia quadringena<sup>n</sup> consulibus darent, si essent ipsi consules facti.' Dederant operam consules, ut quamprimum comitia haberi senatus decerneret. Sed comitorum singuli dies quotidianis obnuntiationibus tollebantur. Sub finem hujus anni, cum peregrinas religiones invalescere

Cic. ad Q. Fratr. II. 13. et 16. et ad Att. IV. 15. 16. et ad Fam. I. 9.

Cic. ad Q. Fratr. III. 2. et 3. et ad Att. IV. 15. 16. 17. et 18.

Dio, XL.

3 A. D. Nonas edd. ante Crev.

<sup>1</sup> Quod hac maxime injuria credibile est] Hæc Freinshemii conjectura in irritum cadit, si quidem Bambyce et Edessa duæ diversæ urbes sunt. Crev.

<sup>m</sup> C. Memmius] Tribunus ple-

his, qui supra cap. 3. Gabinium accusasse memoratur, et diversus est a C. Memmio consulatus candidato. Crev.

<sup>n</sup> Sestertia quadringena] Marcas argenti 1562. uncias 4. Crev.

senatus comperisset; 'uti fana Serapidis Isidisque a privatis in Urbe facta diruerentur,' decrevit.

Cic. ad Q. Frat. III. 3. et ad Fam. VII. 11. Dio. 24. Inter hæc, exacto consulum magistratu, neque designatis dum aliis, res ad interregnum rediit. Sex et triginta interreges fuerunt, continuatis ad septenum usque mensem interregnis.\* Per tantum igitur spatium neque

Dio et Jul. Obseq. consules Romæ, neque prætores ulli fuerunt. Auspicio- rum enim et ostentorum intervenerant moræ. Bubones lupique in Urbe visi, canum ululatus flebiles auditi erant: simulacrum Martis sudaverat: fulmen tota Urbe pervagatum signa Deorum tetigerat, homines permultos exanimarat.

Dio. Sed hæc quidem portenta quibus aut terris, aut hominibus minarentur, ambiguum multiplex terror faciebat. Nam et in Urbe turbatum erat, et Gallia rebellabat, et cum Parthis, ignorante populo Romano, bellum extiterat. Sed quæ objecta Crasso Euphratem transeunti mox memorabimus, ipsi exercituique haud dubium interitum portenderunt.

25. Hæc ergo cum impedimenta comitiis objicerentur, longe majus atque difficilius tribunorum plebis contumacia afferebat. Illi enim præcipue turbis his delectabantur, per quas multis se rebus ad suum officium non pertinentibus ingerebant, cum alii magistratus nulli essent: adeo ut ludos quoque facerent prætorum loco, quorum comitia, priusquam consules essent creati, haberi non poterant. Sed offensus hac audacia senatus Q. Pompeium Rufum tribunum plebis, quanquam dictatoris Syllæ nepotem, in carcerem duci jussit:º eadem pœna et aliis turbatoribus præstituta, Pompeioque Magno tradita ejus rei potestate. Sed Rufus, uti socium ejus ignominie haberet, paulo post M. Favonium ædilem plebis in carcerem

Asc. in Mil. Dio.

\* A. U. C. 699. A. C. 53.

º Q. Pompeium Rufum tribunum plebis . . . in carcerem duci jussit] Hoc utrum Dionii soli testi credere debeamus, dubitandi locus est. Primo enim hic Pompeius tribunus fuisse anno seq. memoratur a Pædiano in Orat. pro Milone. Itaque necesse esset ut continuasset per duos

annos magistratum, quod tunc insolitum erat, et a Pædiano annotari debuisset. Secundo, id quod longe majus est, tribuni plebis sacrosancti erant, nec quisquam in eos jus prehensionis habebat: nec tota in historia reipublicæ Romanæ ullum occurrit exemplum tribuni in carcerem conditi. Cree.

conjecit, M. Catonis unicum admiratorem, et ejus con- Plut. Cat.  
tentissimo studio ædilitatem adeptum.

26. Inter hæc moventem ex hybernis Crassum legati Dio.  
regis Orodis adierant, cum his mandatis: ‘si quidem Plut. Cras.  
jussu senatus populique Romani arma intulisset, nullum  
finem bello nisi interneccione partis alterutrius fore. Sin  
vero privato consilio Crassus ea fecisset, misereri senectutis  
ejus. Magnum Regem, et percussorum cum Sylla, Flor. III, 11.  
Lucullo, Pompeioque fœderum memorem, milites Romanos, Oros. VI, 13.  
quos, qui potius in captivitate sint apud Mesopotamiam, Plut. Cras.  
quam in præsidio, remissurum.’ Crassus ad hæc ‘Seleuciae  
se responsurum esse’ cum diceret, arridens Vagises, Oros. Plut.  
is legatorum erat ætate maximus, volamque sinistrae Dio.  
manus percutiens dextra, ‘Prius hic,’ inquit, ‘pili nascetur,  
Crasse, quam tu Seleuciam videas.’

27. Hæc ubi renuntiata Partho sunt, Surenam præ- Plut.  
fectum ad recipiendas Mesopotamiæ civitates misit; ipse  
in Armeniam signa illaturus, ne Tigranis filius Artabazes Dio.  
ad opem Romanis ferendam vacuus esset. Is enim ad Plut.  
Crassum cum sex equitum millibus venerat, alia decem  
millia cataphractorum equitum, et triginta peditum millia,  
stipendiumque in has copias pollicitus.

28. Hæc res mirifice excitavit Crassum, sponte festinantem,  
et diversa suadentibus iniquum. Quod enim quidam ex  
Mesopotamia milites per magna pericula reversi, vim Parthorum  
expertum nuntiabant, cataphractorum omnia perumpentem  
molem, levis equitatus inevitabilia tela, inopinatos superventus,  
et nocentiorum prælio fugam, nulla humana ope sustineri;  
quidam tribunorum præfectorumque, et cum his C. Cassius  
Longinus quæstor, is qui paucos post annos, occiso Cæsare,  
magnam, sed ambigam<sup>4</sup> famam nactus est, de integro consultandum  
de præsentibus censebant. Nam exercitum his sermonibus  
percelli animadverterant: et haruspices semper tristia  
exta nuntiabant. Sed festinabat ad interitum Crassus:  
repudiatoque Artabazis consilio, qui per Armeniæ colles  
ducere jusserat, necessaria ex regno suo affatim præbiturus,  
in Mesopotamiam duxit.

4 In edd. ante Crev. legitur *antiquam*.

Dio. 29. Ad Euphratem Zeugma est oppidum, ex eo appel-  
 Plin. latum, quod ibi bello Persico pontem Magnus Alexander  
 xxxiv. 15. struxerat.<sup>p</sup> Nam quod alii de patre Libero narrant, fa-  
 Paus. l. x. bulam puto. Ibi transducente exercitum Crasso, aquilam  
 c. 16. quæ prima sublata ab aquilifero erat, sponte fuisse  
 Sex. Ruf. conversam in contrariam, ac ferebatur, partem aiunt:  
 Plut. aliam vix convelli potuisse, tanquam adnata terræ foret.  
 Val. Max. Aureum aquilæ simulacrum legionis Romanæ signum  
 r. 6. erat. Id inter proficiscendum exiguo velut sacello in-  
 Dio. clusum hastæ imponebatur, in acutam cuspidem desinenti,  
 ut in solum defigi posset. Talis tum mucro tam contumaciter hæsit humi, ut vix multorum simul nisu evellere-  
 tur. Præterea signum militare, quod inscriptam puniceis literis exercitus imperatorisque notitiam habebat, signifero ereptum in Euphratem projecit ventus. Quo viso, Crassus cetera ejus magnitudinis, vela enim fere æquabant, præcidi jussit, ut minus obnoxia turbinibus essent.

30. Proficiscentibus per pontem, crebra et atrocía fulgura, cum ingenti fragore cæli, inter densam nimborum caliginem in adversa militum ora micuerunt: ut inter se trudentes ruentesque vix in hostilem terram emiterentur. Et unus equorum imperatoris insigniter ornatus cum agasone gurgite haustus disparuit. Locus ubi castra metaturi erant, bis de cælo tactus est. Et priusquam omnes transirent, pontis partem magnam repens procella perfregit.

31. Nihil ceterorum tam terruit milites: reditum enim sibi apertissime præcisum interpretabantur. Igitur Crassus, ut consolaretur trepidantes, advocata concione, 'Desinite,' inquit, 'turbari, milites. Nihil hic easus triste præsigit: nec enim hæc, sed per Armeniam, juratus dico, reducere copias decreveram.' Cum sub hæc erecti paulisper animi essent, validius statim, quam unquam antea perculti sunt voce quam adjecit imperator; 'Hæc,' ait, 'nostrum nemo revertetur.' Neque curavit Crassus, re animadversa, corrigere dictum, aut interpretatione lenire:

<sup>p</sup> Ex eo appellatum, quod ibi ... pontem Magnus Alexander struxerat] Hoc non est sine controversia: ac merito dubitari posse

videtur, an eo loco Alexander Euphratem transmiserit. Vid. Cellar. Geogr. Ant. l. iii. c. 22. Cree.



unde nec cetera ejus verba pondus ullum habuerunt, cum elevaret barbarorum potentiam, præmiaque alia promitteret, alia representaret. Tum quoque ne quicquam occurreret terrore vacuum, qui exercitui cibaria dividebant, Plut. lentes et salem prima præbuerunt; quæ feralia sunt apud Romanos, et vita functis apponuntur. Interea, sacrificio apparato, cum exta porricerentur, elapsa sunt imperatoris manibus: atque ille consternari cernens qui aderant, ‘Sunt hæc,’ inquit, ‘senectutis incommoda: ceterum arma haudquaquam excident manibus.’

32. Postquam ita superatus est Euphrates, proxima, qua iretur, deliberatio fuit. Cassio et prudentissimo cuique videbatur, ‘non esse nisi explorato proficiscendum: interim in aliqua urbium, quas præsiidiis teneret, refici exercitum posse: aut certe juxta ripam Euphratis pergendum Seleuciam. A flumine et commeatumum copiam, Dio. et, ne circumiri ab hostibus possent, munimentum tergo fore. Seleuciam ob Græcos incolas haud difficulter accessuram ad partes. Inde penetrari ad Ctesiphontem’ (ea tum Parthorum regia erat) ‘posse.’

33. Salutare consilium cum imperatori non displiceret, Plut. Flor. Sex. Ruf. dolus ac perfidia Osrhoëni hominis irritum fecit. Sicut inter arma potentiorum, qui sunt intercepti, sollicitam semper vitam degunt; et quo se continuis periculis evolvant, eundem perpetuo cursum consiliorum retinere non possunt, sed velut in maritima tempestate fluctibus ventisque obsequuntur: parvorum quorundam populorum principes, Dio. inter quos præcipui Abgarus Osrhoënus, et Alechaudonius Arabs, Pompeiana expeditione in amicitiam recepti, digressis Romanis ad Parthos redierant. Sed Arabis, quia professus hostem erat, levior injuria fuit.

34. Abgarus, amicitia simulata pestilentior, cum Parthis studeret, Crasso adduxit auxilia, et pecuniam, quo ille visco facillime capiebatur, liberaliter dedit. Quibus rebus cum ita se insinuasset, ut consilia de summa rerum Plut. cum eo communicarentur, homo astutus nec infacundus, ‘Miror,’ inquit, ‘imperator, quod hoc tam et numeroso et firmo exercitu instructus, apparare adhuc victoriam quam rapere mavis. Hostes fugæ quam prælio paratiores, nisi

maturas, jam in Hyrcanos aut Scythas pretiosissima rerum suarum et corporum transtulerint, tibi solitudinem relicturi. Quod si cessando speciem timentis præbueris, resument animos, et mox cum tota mole virium rex aderit; qui nunc anxius metu, non quasi pares vobis Surenam et Sillacem objecit, sed ut ab insequendo vos remorentur, donec ille res suas in tutiorem reposuerit statum.’ Credidit homini Crassus, quod amicum et fidum putabat; confirmatusque est in errore, postquam longe lateque neminem hominem usquam, sed tantum equorum aversa vestigia apparere exploratores nuntiarunt; eaque res militi restituit animum, fidentioremq; tanquam fugientibus Parthis, fecit.

35. Primum iter, relicto amne, per campos virentes pergentibus, satis amœnum atque facile fuit. Mox excepit arida et nuda planities, militemque cum siti et arena luctantem ipse quoque locorum aspectus horrore perfudit, cum in vasta solitudine, quam terminare visu nequibant, nihil terra gignentium, non herba, non stirps ulla virens, nusquam aut rivus aquæ, aut montis supercilium apparet.

36. Id cum per se suspectum plerisque fieret, supervenerunt ab Armenio rege nuntii, excusante non missa auxilia, quod in suum regnum Parthus Orodes irrupisset. Suadebat autem ‘ ut ad se veniret Crassus, conjunctisque secum copiis propelleret hostem : aut, si aliter videretur, saltem edita sectaretur loca, neque in patentibus campis equitatu Parthico statarium militem exponeret.’ Crassus ad hæc cum stomacho respondit, ‘ in præsentia non vacare ut cogitet de Armenia : postea tamen venturum, ut proditionis ab Artabaze expetat penas.’


37. Hæc tam sinistre cogitata consultaque moverunt iterum Cassio bilem. Sed quia libertate sua Crassum offenderat, ultra monere non ausus, Abgarum increpavit. ‘ Quis te,’ ait, ‘ pessime mortalium, malus ad nos perduxit genius, ut Crassum fascinares, ipsumque et exercitum perderes?’ At ille, blande castigata juvenis vehementia, ‘ durare paulisper? jubebat, ‘ in salute communi mox agniturum innocentiam ejus, quem nunc tanti sceleris

suspectum haberet.' Milites etiam itineris molestia gravatos sublevabat, simul quasi per jocum deridens, tanquam homines, assueti mollibus Campaniæ diversoriis, easdem delicias in finibus Assyriorum Arabumque desiderarent. Sed postquam ad exitium Crassi omnia mature sunt disposita, nam Abgarus per speciem explorandi sæpe Dio. cum Surena congregiebatur, Crasso Parthos in propinquo esse cum modicis copiis persuasit, seque ire ut aliquid Plut. ipsis noxæ et perturbationis inferret.

38. Eo die pullum paludamentum datum esse Crasso tradunt, cum album aut purpureum in prælium exeuntibus Val. Max. dari soleret. Sed id mutavit Crassus, irridensque eos qui l. 6. Plut. signa convelli vix posse muntiabant, cum magna festinatione processit. Occurrerunt ibi pauci speculatores, occisosque sodales suos, hostium immensam multitudinem adesse retulerunt. Ibi Crassus instruxit aciem, primum ex Cassii consilio productis, ne circumvenirentur, ordinibus: deinde mutavit contraxitque in quadratum, duodenis ad unumquodque latus collocatis cohortibus. Legiones enim Romanas septem, neque pauciores sociorum cohortes habebat, equitum et levis armaturæ ad quaterna millia: quæ et ipsa distribuit, ut singulis cohortibus gravis armaturæ alam equitum adderet.

39. Cum ita ordinata acie, Cassius alterum cornu, alterum P. Crassus imperatoris filius, imperator ipse medium agmen duceret; ad modicum flumen, Balisso nomen erat, perventum. Ibi raptim ex siti recreatus exercitus, festinante Crasso, in conspectum hostium magno gradu adductus est. Illi, maxima copiarum parte post primam aciem abscondita (et erat locus inæqualis, tegendis insidiis Dio. arborum objectu aptus) neque numero formidabilem, Plut. neque specie, manum objecerunt: nam ex præcepto Surenæ rutilantia arma pellibus et tunicis obtexerant. Sed dissimulata primum, deinde subito ostensa exercitus armorumque moles majorem ex improvise terrorem iniecit Romanis.

40. Jam primum horribili strepitu sunt exterriti. Nec enim tubis aut cornibus pugnam accendunt Parthi, sed Just. xli. 2. tympana simul multis locis pulsantes, velut ululatu bellu- Plut.



arum et tonitru mistum mugitum cient. Dein, rejectis integumentis, galeæ loriceæque ex Margiano ferro fulserunt. Ipsi etiam equi ferreis æneisque squamis muniti formidabilem obtulerunt speciem visentibus. Inter eos Surenas proceritate cultuque conspicuus exultabat: acer idem bellator, et propius Medicum luxum fucatus comatusque. Nam ceteri Parthi tum etiam Scythico more Germanoque crinibus ad verticem reflexis, in altitudinem comabantur.

Tac. Germ.  
c. 38.

Plut.

41. Parthi primum ordines infestis contis perturbare nisi, postquam eorum viderunt firmitudinem, momento dilapsi, priusquam Romani animadverterent, illorum aciem circumdederunt, emissamque a Crasso levem armaturam grandine telorum obrutam repulerunt ad suorum agmen: idque initium pavoris legionibus fuit, cum aculei sagittarum pari violentia per armatas corporum partes, ac per nudas adacti cernerentur. At Parthi, diductis ordinibus, amplexi Romanam aciem, sagittas eminus mittebant in confertos atque ita densatos, ut vix ullum cadere sine noxa telum posset, etiamsi de industria aberrare voluissent. Affligebat Romanos anceps malum, quod et stantes impune vulnerabantur, et si qui procurrerent, neque attingere poterant velocissimum hostem, et, a Parthis inter fugiendum nihilominus tela spargentibus, ut mos erat genti, nihilo mitius petebantur.

42. Hunc tam gravem casum una hac spe solabantur, fore ut exhaustis Parthorum pharetris ea sagittarum tempestas cesset. At ubi multos illis camelos præsto esse telis onustos cognitum est, Crassus majore metu percussus, filio per nuntios mandat, ut priusquam circumiretur, manum conserere properet. Adolescens, præter equites mille, quos adduxerat e Gallia, trecentis aliis assumtis, cum evectus esset; Parthi, sive quod in uliginosa loca inciderant, sive, ut alii prodiderunt, astu, ut quam longissime a suis abriperent Crassum, versis habenis abierunt. Nec caruit successu dolus. Incitat equum adolescens, 'hostem fugere' clamitans. Sequuntur æquales, Censorinus senator ex disertis, et robore corporis animique præcellens Mega-

Appian.  
Plut.

bocchus. Ne pedites quidem morantur, quin spe et gaudio victoriæ cursum equitum prope adæquent.

43. Sed postquam repente et qui fugerant substiterunt, et præterea recentes accurrerunt alii, sperabat tamen pugnam Publius, ad manus venturum, ut contra paucos, hostem ratus. At Parthi, cataphractis in prima acie oppositis, cetero equitatu disperso circumvecti, magnam vim pulveris de industria concitarunt, quo conspectum et spiritum Romanis adimerent. Atque illi ferales inter umbras, et triste silentium, nam et vocem intercluserat pulveris nubes, jaculis temere incidentibus figebantur. Miserabili morte consumtis plerisque, quia vellere lamata spicula conantes, per venas per nervos penitus adaeta, sua ipsi corpora fœde laniabant; ne superstites quidem ad pugnam erant apti, Publioque ut inpetum facerent in cataphractos hortante, manus scutis, pedes solo affixos ostentabant.

44. Igitur Publius cum equitibus cursu invectus est, haudquaquam pari certamine, cum nuda corpora Gallorum, nam id roboris erat, firmissimis contis percuterentur; Parthos crudo corio aut ferrea lorica tectos, breves et imbecilles lanceæ parum offenderent. Ergo Galli, abjectis lanceis, contos prehendebant manibus, et ad corpora hostium evadebant: correptosque deturbabant ex equis, armorum pondere ad resurgendum inhabiles. Alii, relictis suis, hostium subibant equos, ventresque eorum fodiebant, ut rabie mortis correpti excuterent sessores, suisque et hostibus ut quisque occurrerat promiscue obtritis commorerentur. Tandem siti atque æstu, quod utrumque genti est infestissimum, coacti Galli, ad suos se pedites receperunt, in medium accepto Publio, qui fortissime dimicando graviter erat vulneratus.

45. Cum in collem quendam evasissent, religatis in medio equis, clypeos opposuerunt barbarorum telis, auxilium ex loco habituros rati: quod contra fuit. Nam in plano a prioribus ordinibus sequentes utcumque teguntur: acclivis tumulus, quia posteriores semper altiore vestigio tolluntur, omnes ex æquo mulat. In ea necessitate Græci duo Carrhas incolentium adolescentem hortaban-

tur, ut cum ipsis se subduceret Ichnas, quod in propinquo Romanarum partium oppidum esset. At juvenis eos qui propter ipsum huc malorum pervenissent deserturum negans, dimisit comiter Græcos. Ipse, quia manus trajecta officium negabat, armigero præbuit latus. Exemplum hoc Censorinus imitatus est: ceteri nobiles, quos inter et Megabocchus, sua sibi manu consciverunt necem. Ceteros adorta Parthorum multitudo confodit contis: neque amplius quingentis vivi capti sunt.

Val. Max. 46. Filio imperatoris hunc ad modum pæne sub oculis  
 r. 6. Dio. patris interfecto, Parthi in ipsum signa converterunt, jam  
 Flor. III. 11. accepto nuntio periculi ad opem filio ferendam profectum.  
 Oros. VI. 13. Ubi in conspectum agmina venerunt, quidam Parthorum  
 Plut. hasta suffixum caput ostentantes, obequitabant Romanis, quæritabantque, ' quibus natalibus iste juvenis ortus esset? non enim se credere, tantam indolem ab ignavissimo hominum Crasso procreari potuisse.' Id spectaculum vehementissime permovit milites, non ut accenderentur in ultionem, sed ut plane torpore et desperatione demitterent animos. At Crassus, nunquam clarius ostensa animi magnitudine, ' suum hunc dolorem, suam cladem esse ' vociferabatur: ' populo quidem Romano, salvis legionibus, nihil dum accidisse calamitosum unius militis jactura. Resumerent modo pristinam alacritatem, et, quod sæpe duris temporibus copiae Romanæ fecissent, dubitantem fortunam ad suas partes virtute cogent.'

47. Sed jacebat omnis militum vigor, mæstique et taciti astabant: mox edere clamorem jussi, tenuem et inæqualem sustulerunt, cum a Parthis ingens et animorum plenus redderetur. Nec alia fortuna pugnae utrisque, quam animis præceperant, fuit. Romanos ambigua sors lethi terrebat, quod servantibus ordines molesti arcus Parthorum erant; eruptionem tentantes contis figebantur adeo validis, ut interdum duos simul viros idem impetus transverberaret.

Dio. 48. Laborantibus undique Romanis, novus repente hostis exortus, cum haud parum detrimenti daret, plus etiam doloris intulit. Nam cum Osrhoënis Abgarus, quem sibi amicum arbitrati fuerant, terga adversus Par-

thos pugnantium cædebat. Unde plena omnia consternationis et tumultus: et quia sæpe convertebantur ordines, ut aliqua ex parte clamor acciderat, multi se inducebant in commilitonum gladios: præsertim, quia vi<sup>5</sup> hostium, et vitandi sagittas studio, coacti in arcum erant. Sustinuerunt tamen ad noctem usque, qua appropinquante, *Plut.* Parthi cædendo fessi se receperunt, ‘ id dare se Crasso tempus ad lugendam filii mortem ’ dictitantes, ‘ nisi postridie seque et exercitum in fidem Arsacis dederet.’ Patrium id Parthis fuit, ut noctes procul ab hostibus agerent: quia neque castra munire consueverant, et inter *Dio et Plut.* tenebras equitum et sagittariorum nullus propemodum usus est.

49. Digressis Parthis, miserabilior apud Romanos, quam *Plut.* inter ipsam pugnam luctus fuit, quod et acceptam calamitatem noscere vacabat, et impendentem deflere. Crassus, in tenebris abditus, vix a legatis tribunisque in principia adductus est. Neque dubitabatur, quin evadi Carrhas oporteret. Idcirco silentio eductus exercitus, quam sequebatur nemo, sapius tamen acie facta constitit, quia saucii et ægri, cum se relinqui sentirent, mixto eulatu ac clamore magnum tumultum excitaverant. Et quidam, ut poterant, suorum iter consequebantur: hisque vicissim aut sustollendis aut deponendis, lente procedebat<sup>6</sup> agmen: nisi quod cum Egnatio equites trecenti abrupti a ceteris nocte concubia venerunt Carrhas. Coponius ibi præsidio Romano præerat, cui Egnatius nuntiari cum jussisset, ‘ ingenti prælio cum Parthis pugnatum esse,’ nihil ultra moratus, ad Zeugma cum suis pervenit incolumis.

50. Coponius nihil ex his quæ allata erant læti suspicatus, armat extemplo milites, et, præmissis exploratoribus, cum venire Crassum audisset, occurrit ei, deducitque in urbem, nihil per tenebras moventibus Parthis, quam hostium fugam sensissent. At ubi diluxit, relictos in castris, haud pauciores millibus quatuor, quotquot sua manu non invenerant mortem, qui numerus amplus fuit,

<sup>5</sup> *In pro vi* legebatur ante Crev.

<sup>6</sup> *Præcedebat* edd. ante Crev.

trucidarunt: palantes per campos exceperunt: quatuor cohortes cum legato Vargunteio in colle quodam conciderunt, præter milites viginti, quibus per medios hostes strictis gladiis ruentibus, admiratione virtutis dederunt viam, Carrhasque pervenire passi sunt.

51. Interea Surenas, ut certior fieret, ubi Crassus atque Cassius essent, Carrhas mittit certos homines Osrhoënos, qui in castris Romanis utrumque sæpe viderant, una cum quodam Latinæ linguæ perito, qui Surenam colloqui velle cum Crasso, fœderis ferendi causa, diceret. Ita cognito Carrhis eum esse, postero die admovit exercitum muris, interneconem denuntians omnibus, nisi Crassum atque Cassium vinctos tradidissent. At illi videntes se deceptos, nec in oppido tutos, et longe Armeniorum auxilia fore, decreverunt fugere.

52. Id consilium, cum enuntiari Carrhenorum nemini oportuisset, pessimo omnium et perfidiosissimo Crassus exponit Andromacho, qui flagrantem imperatoris gratiam, non alia magis arte, quam fœdissima adulatione meruerat. Neque is prodere omnia Parthis differebat, tyrannidem patriæ pactus, quam et mox obtinuit, sed in pœnam a civibus suis cum universa familia concrematus. Sed Crassus adco confidebat homini, ut illo maxime duce itineris uteretur. Expectata nocte illuni Crassus cum exercitu processit, et a proditore varie circumductus, postremo in loca paludosa, et fossis concisa detrusus, non multum confecit viæ. Cassius, animadverso dolo, repetiit Carrhas; monentibusque ducibus itineris expectare donec luna Scorpionem transisset, 'plus se timere Sagittarium' dicens, cum equitibus quingentis evasit in Syriam.

53. Legatus Octavius, vir fortis, fidos naetus duces, quinque circiter millia militum habens, montosis locis, Sinnaca vocabant, in tutum se receperat: sed in subjecto colle Crassum urgeri ab hostibus videns, decurrit ad opem ferendam, paucis primo, deinde omnibus sequentibus. Disiectis horum impetu Parthis, in medium acceptus imperator est, non senta magis quam corpora sua strenue pro eo opponentibus cunctis. Igitur Surenas, ne iterum, producto ad noctem prælio, Romanis in montes deinde eva-

Nicol.  
Damasc.  
ap. Athen.  
vi. 13.

Plut.



dendi copia fieret, ad dolum se convertit, quem jamdudum struxerat, ut simulatione pacis deceptos circumveniret. Hunc in usum ex composito in Parthicis castris sermones, iis locis ubi excipi a captivis possent, seri jusserrat; 'beneficio magis illigare Romanos, quam internecino bello delere constituisse regem.' Id captivi, de industria negligentius asservati, deferebant ad suos. Simul pugnam remittebant barbari, et cum nobilissimo quoque sensim ad collem advectus Surenas, nervo arcus remisso, 'invito rege virtutem se Parthicam ostendisse Romanis' aiebat: 'nunc illo volente daturum et humanitatis specimen, ictoque fœdere salutem præstiturum abeuntibus.'

54. Hæc non secus ab Romanis accipiebantur, quam si ab ipso rege dicerentur. Surenas enim, non viri sed dignitatis nomen, eoque inferioris etiam ævi Persis usurpatum, magistrum vexilli sive militiæ significante vocabulo, proximus auctoritate et potentia regi erat: et qui tum eo honore fungebatur, opibus et genere præcellebat.

55. Gentilitia ei prærogativa erat, ut regi Parthorum diadema primus imponeret. Ad hæc uti statura et pulchritudine corporis, ita virtute et consilio facile erat omnium princeps, licet tricesimum ætatis annum nondum implevisset. Ipsum qui tum regnabat Orodem, pulsum a Parthis, reduxerat, et magnam Seleuciam redegerat in potestatem, primus omnium consensu muro, et repulsis defensoribus. Quoties iter faceret, mille cameli cum sarcinis, et rhedæ ducentæ pellicum sequebantur: equites cataphracti mille stipabant, leviter armatorum multo major numerus. Clientium etiam et servorum (nam et servos armabant Parthi) habebat haud intra decem millia.

56. Sed Crassus, toties deceptus, contabatur habere verbis Surenæ fidem: donec clamore et conviciis militum armis concrepantium omnium coactus, 'Vos,' inquit, 'Octavi Petronique, et quotquot adestis legati tribunique Romani, testor, indigne et violenter me in ordinem cogi. Vos autem circumventum ab hostibus, non a civibus deditum perisse, quocumque perveneritis, dicetis.' Pactus deinde cum Partho, 'uti certo loco, qui æqualiter ab utroque exercitu distaret, pari numero comitum congrederentur,' in planitiem descendit.

Marcel.  
xxiv. 5.

Plut.

Just. xli. 2.

Plut.

57. Ibi Crasso, cum Romano more pedes processisset, Surenas equum adduci jussit, tanquam a rege muneri missum : stratoresque, signo dato, corripuerunt Crassum imposueruntque : tum admoverunt equo virgas, ut in cursum concitarent. At Octavius viso quid ageretur, manum injecit fræno, aliique mox Romani circumsteterunt. Hinc orto certamine, percussit equisonem Octavius, et vicissim a tergo percussus ab alio cecidit : tum accurrentibus ex composito barbaris, Romani, quibus tam celeriter succurri a suis, peditibus plerisque, non poterat, superati sunt. Crassus quoque, ne quid vivus pateretur, repugnans interfectus est : incertum hostilem an Romana manu. Tum vero Romanarum copiarum reliquiæ partim de colle degressæ permiserunt se victori, partim noctu tentarunt fugam : sed evaserunt omnino pauci.

Plut. et  
Dio.

Plut.

58. Hæc est nobilis illa Romanorum in Mesopotamia clades, qua M. Crassus cum filio, clarissimo et præstantissimo juvene, pulcherrimisque legionibus interiit. Plurimi etiam senatores cum aliquot consularibus et prætoribus desiderati sunt. In universum cecidisse viginti millia, decem capta referuntur : quod de Romanis tantummodo copiis intelligendum arbitror, cum Appianus de centum millibus hominum, non tota decem millia redisse in Syriam narret ; Florus, sparsas in Armeniam, Ciliciam, Syriamque reliquias, vix nuntium cladis retulisse. Magnum inter hos Lucanorum fuisse numerum annotatum est, propter prodigium, quod anno superiore in Lucanis pluisse ferro nuntiatum erat, et cavenda superna vulnera haruspices responderant, quasi de Parthorum sagittis monuissent, quas illi solebant imbris instar spargere, non directis ictibus, sed in altum emissis, unde temere inciderent subjectis hostium agminibus.

Oros.  
Plut.

Appian.  
Parth.

Flor. III. 11.

Plin. II. 56.

Val. Max.  
I. 6.  
Flor. Plut.

59. Cadaver imperatoris inter cetera corpora feris et alitibus relictum : caput cum dextera manu relatum ad regem, tum maxime epulas cum Artabaze Armenio celebrantem. Pacem enim interea pepigerant, Pacoro filio Parthi desponsa Artabazis sorore. Forte tum Jason tragædiarum actor, Agaven recitans, corripuit Crassi caput, quassansque, carmina quæ de Pentheo fecerat Euripides recitavit. Post hoc deinde ludibrium, in rictum

Dio. Flor.

oris aurum liquefactum infuderunt Parthi cum exprobratione avaritiæ, ‘ ut satiaret se tandem eo, quod infinitis modis sitisset.’ Erat enim appetentissimus pecuniæ, quam tantas haberet opes, ut eum pro paupere miseraretur, qui ex suis facultatibus exercitum alere non posset. Hic fuit opum et potentiæ tam laboriose ac nequiter comparatæ Crasso terminus: cujus etiam interitus, tanquam remoto quem ambo respicerent, socios tyrannidis inter se commisit, ut et hos velox pœna comprehenderet: et tres terrarum partes, Crassus in Asia, Pompeius in Africa, Cæsar in Europa interfecti, pro imperio, quod contra fas partiti fuerant, cadaveribus, et vix sepulcris, obtinerent. Sed neque Parthis impunita perfidia et crudelitas fuit. Surenam paulo post invidia gloriæ ejus Orodes interemit: Orodes, procedente tempore, a Phraate filio est sublatus.

Dio.  
Cicero,  
Paradox. 6.  
Vell. 11. 46.

Flor. 1v. 2.

Plut.

# SUPPLEMENTUM

## LIBRI CVII.

### HISTORIARUM

#### T. LIVII PATAVINI.

Cæs. de B.  
Gall. v.  
Dio, XL.  
Flor. 111.  
10.  
Oros. VI. 10.  
Cæs.

1. **DUM** ad orientem hoc vulnus accipit respublica, non minore in metu legiones erant, quæ per Gallias sub imperatore C. Cæsare merebant. Quanquam enim defensa nuper Ciceronis castra, defensa T. Labieni erant; non ideo terror omnis exoleverat: quin ad Cæsarem quotidie veniebant nuntii, ‘diversis Galliæ partibus parari arma, cogi juventutem, conjurare inter se principes, et magnos ubique motus esse.’ Tasgetium a Cæsare sibi regem impositum Carnutes nuper interfecerant. Id exemplum secuti Senones, valida civitas, Cavarinum ejece-  
runt, et vocatus ad imperatorem senatus eorum dicto audiens non fuit. Nervii Atuaticique, sed ante omnes in Treviris Indutiomarus omni conatu instruebat bellum: et quanquam permovere Germanos nequiverat,<sup>1</sup> ut denuo Rhenum transirent, Gallorum undique venientibus ad se nuntiis, excitabatur.

2. Initium belli facere ab oppugnatione castrorum Labieni, quæ erant in Remis, constituerat: sed idem etiam finis ei tumultuandi simul et vivendi fuit. Quippe Labienus, utili consilio, quanquam munitione castrorum tutus,

<sup>1</sup> *Nequiverant* edd. ante Crev.

metum eo usque simulavit, donec nihil metuentes Tre-  
viros,<sup>2</sup> et, post convicia conjectaque suo more intra val-  
lum tela, secure sparsimque abeuntes, immisso repente  
equitatu turbavit. Sed quia præceperat suis, ut nemo  
prius peteretur, quam interfectus Indutiomarus esset, in  
hunc tota vis omnisque contentio persequentium versa,  
in ipso fluminis vado interceptit transiturum. Caput in  
castra relatum. Ea res cognita non modo repressit Tre-  
viros; sed Nerviorum etiam et Eburonum disjecit jam  
contractas copias, pauloque quietiorem ad tempus Gal-  
liam præstitit.

3. Hoc Cæsar intervallo ad sarcienda detrimenta usu-  
rus, per M. Silanum, C. Antistium, et T. Sextium<sup>3</sup> lega-  
tos delectum habet: simul ad Cn. Pompeium mittit, ut  
quos ex Cisalpina Gallia consul is sacramento rogasset,  
ad Cæsarem juberet proficisci. Ita ante exactam hyemem  
tres ad eum legiones venerunt: una recens conscripta; re-  
liquas Pompeius commodabat. His copiis auctus, ut in-  
ferret potius bellum quam expectaret, per hyemem adhuc  
contendit in Nervios, imparatosque venire in deditionem  
et obsides dare cogit. Primo deinde vere Senones, dein-  
de Carnutes, illos Æduis, hos Remis deprecatoribus, quæ  
solæ Cæsari per ea tempora fidæ civitates fuisse vide-  
bantur, in gratiam recepti, obsides dederunt.

Cæs. de B.  
Gall. l. vi.  
Plut. Cæs.  
Dio. Oros.  
Cæs.

4. Cæsar, hac parte curarum exoneratus, omnes deinde  
cogitationes ad opprimendum Ambiorigem vertit. Is post  
Indutiomari mortem, cum propinquis ejus, ad quos dela-  
tum a Trevis erat imperium, fædere facto, Menapios,  
qui uni Gallorum ad Cæsarem de pace nunquam miserant  
legatos, in societatem asciverat: Germanosque cis et ultra  
amnem sollicitare non desinebat. Igitur Cæsar Menapios  
primum tripartito exercitu intrat: magnisque detrimentis  
affectos ad pacem petendam cogit, obsides imperat: Am-  
borigem et legatos ejus suis finibus recipere vetat.

5. Inter hanc expeditionem Treviri Labienum cum una  
legione, quæ iis locis hybernaverat, petierant. Sed edocti  
duas missu Cæsaris supervenire legiones alias; donec Ger-

2 In edd. ante Crev. legitur *metuentibus Trevisis*.

3 Prænomen *T.* deerat in edd. ante Crev.

manorum auxilia accessissent, castra intra spatium quindecim millium a Romanis castris posuerant. Horum consilio cognito, Labienus, occasionem dimicandi se inventurum sperans, cum quinque et viginti cohortibus, magnoque numero equitum, obviam egressus, non amplius mille passuum relicto spatio, consedit.

6. Inter utraque castra flumen præruptis ripis intererat. Mosellam fuisse consentaneum est. Id flumen tam propinquo hoste neque ipse erat transiturus, nec Gallos rebatur. Ideireo ut eliceret hostem, convocato consilio, palam in hunc sensum disseruit: 'cum propediem affuturi Germani nuntientur, se rem in tantum discrimen commissurum non esse. Parati intentique ad signum omnes essent, ut postridie prima luce proficiscantur.' Quod magna Gallorum equitum multitudo in castris Labieni erat, res cito defertur ad hostes. Sed Labienus noctu tribunis militum primique pili centurionibus consilium suum exponit: 'sibi in animo esse, simulatione timoris fallere hostem, ut, non expectatis Germanis trans-eat flumen, alieno loco congressurus.'

7. Igitur, majore, quam opus aut consuetudo esset, strepitu motis castris, cum id quoque subito nuntiatum hostibus esset, ad insequendum eos illiciunt. Spe victoriae prædæque, et ne fugienti scilicet Romano spatium evadendi darent, flumen transgrediuntur. Id ubi ex voto atque expectatione Labieni factum: 'Habetis,' inquit, 'milites, quam postulastis pugnandi copiam, et ut loens pro nobis esset feliciter curatum est. Vos modo, quam soletis, operam præstare memineritis.' Sic converso agmine, cum impetus in Treviros fieret; illi, novitate rei attoniti, ne primam quidem impressionem tulerunt. Equitatus immissus ad sylvas fugientium ingentem cædem edidit. Ita motus Trevirorum repressus, civitas a Labieno recepta. Germani, qui auxilio veniebant, audita re, ut erat gesta, domum regressi sunt. Cum iis propinqui Indutiomari trans Rhenum abiverunt. Civitatis imperium Cingetorigi, quem ob studium erga Romanos socer Indutiomarus nuper expulerat, est traditum.

Liv. Epit.  
Cæs.

3. Victis ad hunc modum Treviris, Cæsar de Rheno

iterum transeundo deliberabat, duplici stimulatus utilitate: altera, ut puniret, qui contra se auxilia Trevis miserant; altera, ne receptus apud eos Ambiorigi esset. Idecirco in finibus Trevirorum, haud multo supra quam prius erat transgressus, pontem paucis diebus effecit; notatum militibus ratione, sed ad hodiernam segnitiam nunc prorsus incredibili. Quippe non in praeliis modo, sed Lips. de Mil. Rom. l. v. Dial. 11. et 13. magis in opere Romani militis invicta durities erat. Inter cetera pontibus struendis ita erat exercitus, ut quamlibet latum et profundum amnem facillimo negotio transmittere posset. Cujus rei per illa et sequentia tempora, Suid. in Ζεῦγμα. Lips. Poliorc. 11. Dial. 5. in Danubio, in Rheno, in Euphrate frequentia documenta dederunt.

9. Ratio autem jungendorum pontium hæc fuit usitata. Lato alveo naves superiore, quam ubi pons destinaretur, loco constituebantur. Signo dato primum una earum secundo flumine demissa, quantum poterat applicabatur citimæ ripæ. Deinde storea saxis repleta mergebatur fundo, anchoræ vicem firmatura deligatam valido rudente navem. Continuo materia, cujus ipsa navis copiam præbebat, tota consternebatur. Eadem ceterarum deinde navium adjungendarum erat ratio, quas et demissæ in amnem moles, et vicinis utrimque navibus innexa vincula retinebant. Cum ad alteram ripam deductus pons erat, in extrema nave turres cum machinis et catapultis, et ad egrediendum porta struebatur.

10. Ceterum nihil ultra gloriam bis transcendens fluminis Dio. Cas. hæc expeditione quæsitum est. Paucos dies moratus in Germania Caesar, cum Suevi se in sylvas recepisse dicerentur; ‘inopiam,’ ut ipse ait, ‘frumenti veritus;’ ut Dio, ‘Suevos timens,’ (nam et frumentum ex Gallia subveli nullo negotio potuisset,) pontem in longitudinem pedum ducentorum rescindit, atque in extremo turrum tabulatarum quatuor constituit: præsidiumque tuendo ponti relinquit in Trevis, ut Germanis sæpius transituri speciem faceret.

11. Sed ipse capiendi Ambiorigis causa per sylvam Arduennam, quæ per quingenta millia passuum<sup>a</sup> a ripis

<sup>a</sup> Quingenta millia passuum] Leucas nostrates plus 166. Crev

Rheni finibusque Trevirorum ad Nervios usque pertinebat, Minucium Basilum cum equitatu misit. Nihilque propius factum, quam ut comprehenderetur. Effugit tamen, misitque nuntios, qui populares monerent, ut sibi quisque consuleret. Multi tamen hostili ferro, aut incommotis fugæ perierunt. Cativuleus, rex dimidiæ partis Eburonum, gravis ætate, cum fugere non posset, devoto

Flor. iv. 12.  
Cæs. diris Ambiorige, venenum, quod ex arboribus taxis in Hispania et Gallia exprimi solebat, sumpsit. Cæsar Ambiorigem frustra et cum vexatione suorum persecutus, ut nomen Eburonum tolleret, neque tamen milites adduceret in discrimen, quorum per ignotas sylvas subinde quidam desiderabantur, consilium iniit suam injuriam Gallico sanguine vindicandi. Missis igitur circum civitates nuntiis, Eburones, si vellent, diripiendi potestatem omnibus facit.

12. Ea res mirifici cujusdam causa fuit et inopinati eventus. Quippe Sicambri, Transrhenana natio, quæ nuper Tencteros fugientes receperat, prædam ex infortunio Eburonum facturi, duo equitum millia, Rhenum navibus ratibusque transiverunt. Hi, cum a captivo didicissent profectum longius Cæsarem totius exercitus impedimenta cum modico præsidio reliquisse Atuaticæ, quo loco ante annum hyberna Titurii et Aurunculeii fuerant, protinus eodem captivo duce ad castra Romanorum contenderunt.

13. Forte Q. Cicero cohortes aliquot frumentatum emiserat. Eodem tempore veniunt Germani, portaque decumana conantur irrumpere. In re subita, nihil enim tum hostile metuebatur, cum interfecti aut sparsi hostes, et cum novem victricibus legionibus in propinquo Cæsar esset, vix defendi castra potuerunt. Inter hæc reversæ cohortes, cum et ipsæ improvise incidissent in hostem, multis amissis, ægre perruperunt ad suos. Germani, spe castrorum expugnandorum amissa, cum præda quam ceperant impune trans Rhenum redierunt: quod illos persequi tempore anni, et cura rerum urbanarum, et cupiditate capiendi Ambiorigis Cæsar prohibebatur. Sed ille, quantum Cesariani tanta diligentia sequebantur, ut sæpe in conspectu fugientem, aliquando pæne in manibus haberent, effugit tamen, quatuor equitibus comitatus, quibus



solis vitam suam audebat credere. Interea Cæsar, Durocortori Remorum concilio Galliæ habito, de Accone Senonum principe, qui defectionis auctor civitati fuerat, supplicium sumpsit : deinde distributis per hyberna legionibus, per causam conventuum agendorum in Italiam profectus est, de rebus urbanis sollicitus, quæ continuis certaminibus seditionibusque supra solitum ingravescebant. Dio.

14. Tribuni plebis, exemplo superiorum, comitiis, quorum iterum tempus aderat, moram injiciebant; tribunos militum, sicut olim, fieri oportere dictitantes, quod respublica pluribus magistratibus indigeret. Sed ejus rei mentione, quia vix auribus admittebant homines, deposita, C. Lucecius Hirrus tribunus plebis, consentiente collega M. Cælio Viniciano,<sup>4</sup> rogationem promulgarat, ‘uti Cn. Pompeius reipublicæ constituendæ dictator diceretur.’ Sed invisum hoc et detestabile Romanis nomen Syllæ crudelitas effecerat. Igitur sic invectus est in Hirrum M. Cato, ut parum abfuerit, ne abdicare cogeretur. Erat tamen anxius ob potentiam Pompeii senatus, nec audebat satis quicquam ei quod appeteret denegare. Amici quidem ejus, ipse enim tum aberat, negabant Cn. Pompeio placere nimios honores : et per Ciceronem, petente Pompeio, Crassum Junianum, ne auctor fieret, dudum deteruerant. Sed nihilominus ingenium ejus tectum, et alia cupiens, alia simulans metuebatur. Tandem ipse adventu suo composuit omnia ; cum a Catone laudatus, aliud facere quam quod honestum esse intelligebat, erubesceret. Ita consularibus comitiis auxilio ejus habitis Cn. Domitius M. F. Calvinus, M. Valcrius Messalla creati, mense demum Quintili. Plut. Pomp. Cic. ad Q. Fratr. III. 8. et 9. Cic. ad Fam. VIII. 4. Dio. Plut. Dio. Plut. Cic. ad Q. Fratr. III. 8. Plut. Dio.

15. Itaque simul inierunt, de comitiis habendis actum, non faciliore quam proximis annis fuerat negotio. Namque per candidatorum ambitum et factiones turbabantur : adeo ut, velut in magno et atroce luctu, consules lato clavo posito, senatum in equestri habitu convocarent. Salubre tum decretum factum est, ‘ne magistratus ante quintum annum quam consules prætoresve fuissent, pro-

<sup>4</sup> Ita pro *M. Calio Liciniano*, antea inventum, correxit Crev. ex Cic.

vincias sortirentur.' Sic aliquantum reprimi posse ambitionem putabant, si sperata potentia longum in tempus, et varios admissurum casus, differretur. Nam eo turpitudinis audaciæque res venerat, ut candidati tam largitionibus, quam ferro certarent; et aliquando consul Cu. Domitius vulneraretur.

Asc. in Mil.  
Dio.

16. Unde sic turbata sunt in Urbe omnia, ut initio sequentis anni, neque consules, nec urbani alii magistratus essent; et Kalendis Januariis nundinæ agerentur: quæ res infaustum luctuosumque casibus annum præ sagire putabatur: \* idemque Lepidi tumultu acciderat. Sed hoc tempore et alia evenerant, quæ stolidos et tam divinorum quam naturalium operum nescios territabant. Bubo visus erat: simulacrum quoddam triduo continuo sudaverat: fax in cælo a meridie ad orientem transcurrerat: glebæ, lapides, testæ inter pluvias frequenter ceciderant.

Macrob.  
Sat. 1. 13.

Dio.

Liv. Epit.  
Dio.

Plut.  
Pomp. et  
Cat. et Cæs.  
Ascon.  
Appian.  
Civ. l. 11.  
Cic. pro  
Mil. c. 9.  
Ascon.

17. Crebræ interea per factiones candidatorum in Urbe cædes edebantur: cum tamen comitia non haberentur, licet multis consulatum petentibus. Erat inter competitors T. Annius Milo, per quem P. Clodii audaciam Pompeius represserat, Ciceronemque patriæ restituerat. Idcirco Clodius, qui eundem in annum petebat præturam, ne ab inimico consule premeretur, P. Plautio Hypsæo, et Q. Metello Scipioni contra Milonem summe studebat. Unde tribus quotidie exercitiis forum obsidentibus, crebræ inter hos pugnæ committebantur, audacia omnium pari, causa meliore Milonis.

Plut. Cat.

Ascon.

Cic. ad  
Fam. 11. 6.  
et ad Q.  
Fratr. 111. 9.  
Ascon.  
Cic. pro  
Mil. c. 35.  
Ascon.

18. Atque is quamprimum comitia haberi cupiebat, et honorum confisus studiis, pro quorum partibus steterat, et populari favore, quem profusis largitionibus ludorumque magnificentia venatus fuerat; ita quidem animose, ut tria his consumeret patrimonia, præter relictas a naturali patre Papio, et adoptivo C. Annio hæreditates, etiam uxoris Faustæ facultatibus abusus.<sup>b</sup>

\* A. U. C. 700. A. C. 52.

<sup>b</sup> *Etiam uxoris Faustæ facultatibus abusus*] Hoc interpretamentum est Freinshemii. Cicero enim tantummodo dicit Milonem 'tribus suis patrimoniis' delinisse plebem. Asconius, post me-

morata patris ejus naturalis et patris adoptivi patrimonia, 'tertium,' inquit, 'videtur significare matris.' Certe non videmus, quomodo facultates uxoris possint dici patrimonium mariti. Cree.

19. Sed competitores ejus trahi rem volebant: non invito Pompeio, et hoc dissimulanter agente, ut, perturbato rerum statu, dictatore opus haberet respublica, quem se utique futurum esse nihil dubitabat. Præterea gratificari cupiebat Metello, qui filiam ei desponderat Corneliæ, P. Crassi viduam, ejus quem Parthi nuper interfecerant. Idcirco cum A. D. XIII. Kalendas<sup>5</sup> Februarias interregem creari moris esset, auctore Pompeio, T. Munatius Plancus intercessit, ne ad senatum referretur de patriciis convocandis, qui interregem proderent.

20. Inter eas moras Milo, moleste ferens a Pompeio se perfidiose ludi, simul quia Lanuvii, ex quo municipio erat, flaminem a dictatore prodi ante certum diem oportebat, eo profectus est. Erat enim tum dictator Lanuvii Milo. Forte per idem tempus P. Clodius Ariciæ fuerat. Igitur postridie factum, ut in Appia Via paulo ultra Bovillas inimicissimi homines sibi occurrerent: exitusque hic rei fuit, ut, pugna oborta, percussus a gladiatore Milonis Clodius in tabernam proximam deportaretur. Hoc ubi rescivit Milo, subeundum æque vulnerati hominis atque occisi judicium cogitans, ad hoc in omnem casum ex inimici morte solatium habiturus, accurrit, eruique Clodium atque jugulari jussit. Hac re patrata, statim manumisit servos, ne præbere quæstioni cogeretur: ipse præmium bene meritis, vita domini defensa, inimico sublato, datum asseverabat.

21. Sed cadaver interfecti relictum in via Sex. Tediæ senator, forte rure rediens, lecticæ suæ imposuit, Romamque deportandum curavit. Ante primam noctis horam perlatum, in atrio domus, quam paucis ante mensibus de M. Scauro sitam in Palatio emerat, uxor Fulvia constitui jussit; statimque infinita multitudo, servorum præcipue et infimæ plebis, cui generi propter amorem seditio-  
 num carissimus ille fuerat, mœrens lugensque circumstetit. Sed et integri a factionibus, quanquam odissent Clodium, humanitatis intuitu, et effusa lamentatione Fulviæ, vul-  
 nera invidiose ostentantis, movebantur. Et erant qui per

- hanc causam Milonem quoque, haud minus turbulentum civem, exturbari posse sperarent. Postridie cum vixdum luceret, major eodem concursus fuit, ut noti homines, et inter hos C. Vibienus senator, in turba eliderentur.
- Ascon.
- Dio, Ascon. 22. Sic affectam rem tribuni plebis Q. Pompeius, T. Plancus nacti, cum et ipsi Milonem odissent, in Clodii domum accurrerunt. Horum conspectu magis incitatur temeritas vulgi: corripitur mortuus, et uti nudus in lecto jacebat, ut conspici vulnera possent, defertur in forum, et in rostris proponitur. Plancus et Pompeius in Milonem concionantur: nihil quod ad concitandam invidiam commiserationemque fieri potest, prætermittitur. His cum ultra solitum imperitæ multitudinis indignatio exarsisset, Sex. Clodio scriba duce, qui præcipue Clodiani furoris signifer semper fuerat, corpus infertur in curiam Hostiliam, neglectisque funerum ritibus, sine imaginibus, sine cantu, sine exequiis, rogo ex subselliis, et tribunalibus, et mensis, et codicibus librariorum congesto concrematur.
- Appian. Dio. Ascon.
- Cic. pro Mil. c. 33. Dio.
- Cic. pro Mil. c. 13. Ascon.
- Appian. Ascon. Liv.
- xxxix. 44. Plut. Cat. Maj. Dio.
- Hoc igne et curia hausta est, et vicina aliquot ædificia privatorum. Comprehendit etiam Porciam basilicam, quam censor Cato sub curia in foro struxerat.
23. Hoc tumultu excitati patres sub vesperam ejusdem diei in Palatio convenerunt, creatoque interrege M. Lepido, illi tribunisque et Pompeio, qui proconsul ad Urbem erat, curam reipublicæ mandaverunt. Sed Clodiana multitudo ad oppugnandam absentis Milonis domum cucurrit cum facibus. Sed sagittis repulsa, fasces ex lecto Libitinæ raptos ad domum Scipionis et Hypsæi, tanquam Milone jam amoto, certorum consulum, attulit: mox cum iisdem in hortos profecta Pompeii, modo consulem illum, modo dictatorem inelamavit.
- Cic. pro Mil. c. 33. Ascon.
- Cic. pro Mil. c. 23. Appian. Dio. Ascon.
24. Eadem nocte Milo, qui profectus in voluntarium exilium putabatur, fidenti animo rediit Romam: quod auditis quæ acciderant, majorem inimicorum quam suam invidiam fore<sup>c</sup> sperabat. Itaque non segnius quam antea

<sup>c</sup> *Majorem inimicorum quam suam invidiam fore*] Priores editiones, *injuriam fore*: sed parum commode. Freinshemius, cum hæc scriberet, spectabat profecto hæc Asconij verba: 'Milo . . . invidia adversariorum recreatus, nocte ea redierat Romam.'

consulatum petens, propitiandæ multitudinis causa tributum singula millia assium<sup>d</sup> populo dedit. Igitur Scipionis et Hysæi factio, ut recenti adhuc Milonis invidia uterentur, a M. Æmilio Lepido, qui erat interrex proditus, haberi comitia postulabat. Id cum facturum se Lepidus negaret, (nec enim moris erat, per primum interregem haberi comitia) domus ejus per omnes interregni dies (fuerunt autem ex more quinque,) a multitudine obsessa et oppugnata est, janua vi expugnata, dejectæ majorum imagines, et uxoris Corneliæ, cujus castitas pro exemplo habita est, lectulus fractus. Actum erat de Lepido, si tantum ab unis partibus oppugnaretur. Supervenit Milonis manus, et ipsa haberi comitia postulans. Ita licet eandem rem omnes flagitarent, tamen omissa est, conversis ab interregis oppugnatione ad consueta certamina inimicis factionibus.

Ascon. in  
c. 5. Orat.  
pro Mil.

25. Ceterum, simul atque redisse Milonem innotuit, concionem ei M. Cælius tribunus plebis dedit. Sed, iram simulans, nolle se concedere dilationem reo præferbat, quin apud populum statim diceret causam. Porro ipse favens Miloni, sic egerat cum populo, ut insidias ei factas a Clodio diceret. Cum silentio auditus esset, incepit Milo dicere; ‘forte, aut dolo Clodii commissam esse pugnam, se nescio: ejusque rei evidens argumentum esse, quod impedimenta et uxorem in comitatu habuisset, res minime commodas pugnaturus.’ Deflexit deinde ad vituperationem Clodii: ‘facinosum et perditum hominem, sui que similium signiferum, caput, et facem fuisse.’

Asc. in Mil.  
Cic. pro  
Mil. c. 33.  
Appian.

26. Cum adhuc loqueretur, contrariæ factionis tribuni cum sua multitudine irruerunt in forum. Jam gladii micabant, cædesque fiebant, cum Milo et Cælius servili habitu evaserunt: aliorum magna strages edita, multique ignoti pro Milonianis, libidine magis quam ira<sup>e</sup> occisi. Nam infima plebs et servorum magna multitudine arma corripuerant: et, per causam quærendorum Milonis ami-

Cic.  
Appian.

<sup>d</sup> *Singula millia assium*] Uncias argenti 7. grossos 6. grana 36. Crev.

<sup>e</sup> *Libidine magis quam ira*] Prima editio post *ira* addit *facturis*:

quam vocem, ut inutilem et molestam et sensu carentem, erasisit Clericus. Fortasse Freinshemius voluerat *ira factionis*. Crev.

eorum, effractis domuum et insularum foribus, prædas agebant.

Dio.  
Cæs. de  
B. Gall.  
l. vii.  
Cic. pro  
Mil. c. 23.  
Ascon.  
Dio.

27. Per multos inde dies continuato tumultu, cum ignibus, saxis, ferro dimicaretur; senatus vestem mutavit, 'omnes Italiae juniores conjurare, Pompeiumque delectus ex iis habere' jussit: iterato decreto, 'videret ne quid respublica detrimenti pateretur.' Atque is cum, summa celeritate comparato præsidio, ad Urbem venisset, extra pomerium ad theatrum Pompeii senatus est habitus in porticu, ut interesse Pompeius posset; factumque senatusconsultum, 'ut ossa P. Clodii legerentur: curiam Faustus Sylla instauraret, eaque deinceps Cornelia de nomine Syllæ vocaretur;' quia prius etiam pater Fausti eandem refecerat.

Ascon.

28. Inter has turbas, cum alii ex aliis interreges fierent, neque tamen comitia haberentur; misit ad Pompeium Milo, 'desistere se petitione, si ita ei videretur.' Nam ob affinitatem Q. Metello summe studebāt Pompeius; neque minus Hypsæo, quod quæstor suus fuisset. Responsum a Pompeio dicunt, 'nemini se neque petendi, neque desistendi auctorem esse: neque populi Romani potestatem, aut consilium, aut sententiam interpellaturum.' Idem deinde C. Lucilium<sup>f</sup> familiarem Ciceronis, atque ideo Milonis amicum, rogasse dicebatur, 'ne se hac de re consulendo invidia oneraret.'

Dio.  
Sucton.  
Cæs. c. 21.  
Dio.  
Appian.  
Plut.  
Pomp. et  
Cæs. et Cat.

29. Crebrescebat interea rumor, 'dictatorem creandum Pompeium esse, nec aliter sedari mala civitatis posse.' Aliis Cæsarem fieri consulem placebat, cujus sub idem tempus maxima erat fama, propter amplissimas res gestas sapiens et plurium dierum, quam cuiquam unquam, supplicationibus decretis. Neutrum eorum senatui gratum erat. Igitur, ne aut Pompeius dictator, aut Cæsar iterum consul habendus esset, M. Bibulus, qui primo loco rogatus erat sententiam, 'Cn. Pompeium, licet absentem, consulem faciendum esse' censuit, 'sine collega. Sic

<sup>f</sup> C. Lucilium] Sic legitur hoc nomen apud Asconium. Freinshemius mutaverat, et dederat Cn. Lucillum: hand satis firmo

argumento nixus, quod in Ep. ad Att. xv. l. Cicero mentionem facit Cn. Luculli familiaris sui. Crev.

enim aut evasuram ex his malis rempublicam; aut, si dominus tolerandus sit, optimo servituros.' Ea sententia cum et re et ob auctorem nova videretur, quod Pompeii dignitati adversatus antea semper Bibulus fuerat, Cato exsurrexit, omnium opinione repugnaturus, quod et antea Pompeium comitiis præficiendum jubentibus, 'non legibus in Pompeio, sed Pompeio in legibus præsidium esse oportere,' responderat. Sed ille, 'Hanc,' inquit, 'sententiam non eram dicturus prior: sed dictam ab alio sequor, et approbo. Quemlibet in Urbe magistratum, quam nullum esse præstat; et Pompeium quolibet alio rectius usurum hæc potestate confido.'

30. His auctoribus reliqui patres haud gravatim annumerunt: salubriter temperasse visi, ut præsentibus coërendis turbis Pompeius imperium solus haberet, tanquam dictator; rationi tamen reddendæ tanquam consul esset obnoxius. Simul futurum rebantur, ut a Cæsare et populo Pompeium abstraherent, senatui se daturum, a quo tot ornatus novis honoribus esset. Neque tribuni plebis repugnabant, ipso sic volente Cæsare. Nam eum tribuni collegam Pompeio destinarent. Cæsar ad populum ferri malebat, 'ut in secundo petendo consulatu ratio absentis haberetur.' Igitur senatusconsulto in sententiam Bibuli facto, per interregem Ser. Sulpicium Cn. Pompeius tertium consul creatus est solus, A. D. v. Kalendas Martias mense intercalari, hæc adjecta conditione, 'siquidem collegam desideraret, ut suo arbitrato, dum ne intra bimestre, allegeret.' Pompeius statim inito magistratu, Cætoni egit gratias, consiliumque ejus expetivit. Ille 'non defuturum se petenti privatim' respondit 'consilio suo; publice etiam non petenti.'

31. Sed erat ad componendum reipublicæ statum novis legibus opus. Igitur in his omnis consulatus ejus vis consumpta est. Post diem tertium magistratus initi, cum de legibus ad senatum consul retulisset, 'duas esse promulgandas' senatus censuit, 'alteram de vi, qua nominatim cædes Clodii, et incendium curiæ, et M. Lepidi interregis oppugnata domus continebatur: alteram de ambitu.'

32. De utroque non semel et antea latum erat: sed his

Appian.

Dio.  
Vell. 11. 47.Sueton.  
Cæs. c. 26.Ascon.  
Plut.Liv. Epit.  
Val. Max.  
VIII. 15.Ascon.  
Plut. Pomp.  
Plut.  
Pomp. et  
Cat.Vell.  
Cic. Phil.  
1. 7. Ascon.Cic. pro  
Mil. c. 5.  
Ascon.Dio et  
Ascon.

legibus pœna gravior constituebatur, cum severiore judicii forma. Nam et judices accuratius legebantur, et finiebatur patronorum numerus, ne judices horum multitudine perturbarentur; et prius testes audiri per triduum,<sup>6</sup> deinde uno eodemque die et ab accusatore, et ab reo perorari oportebat, ita ut duæ horæ accusatori, tres reo darentur. Laudationes etiam et preces aliorum pro reo, quibus rebus multi erepti nocentes fuerant, tollebantur. Quæsitores<sup>7</sup> utraque lege<sup>8</sup> ex iis qui consules fuissent, suffragio populi creari oportebat. Et, quo pluribus atque acrioribus vinculis ambitus constringeretur, dabatur accusatio iis etiam qui damnati eodem crimine fuissent; præmio veniæ proposito, si quis horum duos similis inferiorisve culpæ, aut majoris unum reum peregrisset.

Auct. de Caus. Corr. Eloq. c. 38. Cic. Bruto, c. 94. et de Fin. iv. 1. Plut. Pomp. et Cat. Dio. Ascon. Appian. et Dio.

33. Voluerat et præteritis delictis graviores pœnas constituere Pompeius; sed id neque juri publico, neque commodo satis congruere Cato putabat. ‘Nam et puniri quem ea lege, contra quam non deliquisset, absurdum; et definire tempus unde incipere debeat hæc animadversio, difficile, nec exemptum a sermonibus fore.’ Pompeius tamen, ut nec ipse refugere quod in alios pararet, videretur, qui a primo suo consulatu honoris adipiscendi causa largitiones fecissent, comprehendi volebat: ulteriora non audiri. Sed eo temporis complexu Cæsaris etiam consulatus continebatur. Igitur amicis ejus querentibus, moleste tulit ‘allegari Cæsarem, cujus sicut extra suspicionem esse rationes, ita extra periculum’ dicebat. Contraxit tamen tempus,<sup>b</sup> et secundum consulatum suum finem impunitatis et quæstionum constituit, non aliter se mederi reipublicæ posse præfatus.

Appian. Plut. Cat.

Appian.

34. His intercedere studiosissimus Milonis M. Cælius parabat, ‘privilegia, non leges’ appellando. Sed et præcipitari judicia malo exemplo dictitabat: donec Pom-

Ascon.

<sup>6</sup> In edd. ante Crev. additur *domi*.

<sup>7</sup> *Quæstores* edd. ante Crev.



<sup>8</sup> *Utraque lege*] Immo sola lex de vi id jubebat. Vid. Asconium. Crev.

<sup>b</sup> *Contraxit . . . tempus*] Hoc non Appianus, sed Appiani interpretres habet. Crev.



peius iratior, 'si coactus esset, armis se rempublicam defensurum' dixit. Erat enim implacabili in Milonem odio, quod ab eo sibi parari insidias existimabat. Idcirco plerumque non domi suæ, sed in hortis superioribus manebat, magna circum excubante militum manu. Multa enim ad eum deferebantur, et in Capitolio P. Cornificius frequentissimo senatu exclamavit, 'ferrum Milonem habere sub tunica ad femur alligatum.' Sed ea quidem falsa criminatio fuit: refellitque statim nudato femore Milo, succlamante Cicerone, 'talìa esse et reliqua crimina, quæ in Milonem jacerentur.'

Vell.  
Ascon.

Cic. pro  
Mil. c. 24.

35. Defendebat enim Milonem summa fide et constantia M. Cicero, neque Pompeii offensionem reformidans, neque tribunorum plebis convicia et minas: quanquam Q. Pompeius, T. Munatius Plancus invidiam ei concionibus omnibus facerent, et infensum Miloni populum in patroni ejus odium facile concitarent: præsertim cum etiam C. Sallustius Crispus collegarum furori accessisset, inimicus Miloni, a quo deprehensus in adulterio Faustæ, lorisque cæsus, neque dimissus, nisi data pecunia, fuerat. Sed ex his Plancus, ceteris, ut suspicio erat, in gratiam cum Milone ac Cicerone reversis, infestissime perstitit, diem Ciceroni dicturum præ se ferens.

Ascon.

Porph. in  
Hor. Sat. 1.  
2. Varro  
apud Gell.  
xvii. 18.  
Ascon.

36. Perlata interim lege sua, statim quæditorum creandorum causa comitia Pompeius habuit. Creati sunt Cn. Domitius Ahenobarbus, A. Manlius Torquatus,<sup>i</sup> ut legibus Pompeiis, de vi Domitius, Torquatus de ambitu cognoscerent. Judices deinde sunt propositi, tanta Pompeii cura, ut constaret nunquam neque sanctiores viros, neque clariores propositos esse.

37. Tum a duobus Appiis adolescentibus, Caii filiiis, qui Clodii fuerat frater, de vi postulatus est Milo; et a Domitio A. D. pridie Nonas<sup>8</sup> Apriles adesse jussus. Sed eadem ei dies ab A. Manlio prædicta erat, apud quem de

<sup>8</sup> A. D. Nonas edd. ante Crev. et mox a T. Manlio pro ab A. Manlio.



<sup>i</sup> A. Manlius Torquatus] Is vi- lege Pompeia. Ita censet Pig-  
detur tum fuisse prætor, non hius, sive Schottus. Crev.  
quæstor extra ordinem creatus

ambitu postulabatur. Igitur ipse venit ad tribunal Domitii; a Torquato per M. Marcellum obtinuit, ne prius causam de ambitu diceret, quam esset de vi iudicatum.

38. Iudicio constituto, cum prima die productum testem C. Cassinium Scholam, qui se cum Clodio fuisse, cum is occisus esset, dicebat, M. Marcellus<sup>9</sup> interrogaret; tantum Clodiana multitudo excitavit tumultum, ut ultima timens Marcellus, in tribunal a Domitio reciperetur. Igitur M. Marcellus, et ipse Milo præsidium abs Domitio, Domitius a Pompeio postularunt. Ille, cum, ad ararium sedens, eodem clamore fuisset perturbatus, promisit Domitio, se postridie cum præsidio affuturum. Ita proximo biduo quietius auditi testes. Ultimæ testimonium dixerunt, Sempronia Tuditani, amentis illius filia, socrus P. Clodii, et uxor Fulvia: coronamque fletu muliebri magnopere commoverunt. Igitur, dimisso circa horam decimam iudicio, T. Munatius populum adhortatus est, 'ut frequens adesset, et elabi Milonem non pateretur, iudiciumque et dolorem suum ostenderet.'

Val. Max.  
vii. 8. et  
Cic. Phil.  
iii. 6. et  
Acad.  
Quæst. iv.  
28. Ascon.

Cic. Phil.  
ii. 5.  
Ascon.  
Plut. Cic.  
Dio.  
Cic. pro  
Mil. c. 1.  
Plut.  
Ascon.

39. Postero die sortitione facta iudicium unius et octoginta,<sup>10</sup> iisque protinus sessum euntibus, Appius major, et M. Antonius, qui mox viduam duxit, et P. Valerius Nepos accusationem horis duabus ex lege peregerunt. His unus erat responsurus Cicero, tribus omnino horis ad dicendum datis. Igitur ille, et brevitatem temporis circumscriptus, et aspectu territus armatorum, quos circa forum Pompeius disposuerat, non eadem, qua solitus erat, constantia et facundia causam oravit. Nam quæ inscripta pro Milone legitur Ciceronis oratio, postea scripta est: pato, ostendere cupiente oratore, non sua culpa, sed ob novam iudiciorum faciem, variosque terrores, deterius defensum reum fuisse.

Dio.

40. Nam, clausis tota Urbe tabernis, immensa vis populi accurrerat: et dicere incipientem horribili clamore Clodiani terruerunt, ne militum quidem circumstantium metu cohibiti. Ergo, Pompeii jussu gladiis eductis, quosdam, nec ut sauciarent, sed lato ferro percusserunt:

<sup>9</sup> Ex Ascon. edidit Crev. pro antea inventum *M. Calius tribunus*.  
<sup>10</sup> Ita Crev. ex Ascon. *Septuaginta* in edd. priorr. legitur.

deinde, cum eo facto magis etiam incensa vulgi petulantia, velut in re ludicra, convicia pro verberibus regeretur, vulnerati complures a militibus, quidam etiam interfecti sunt. Hic metus tranquillum de cetero iudicium præstitit. Causa utrimque dicta, cum accusator et reus ex numero iudicum quinos senatores, totidem equites, et tribunos ærario<sup>2</sup> rejecissent, unus et quinquaginta sententiam tulerunt: absolverunt tredecim; ceterorum omnium suffragiis damnatus est. Quicquid de vulnerato Clodio fuisset, occisum jussu Milonis constabat: ejusque notam audaciam reprimendum videbatur: præsertim cum in ipso etiam iudicio non remitteret spiritus, tonsus nitidusque, sicco vultu, constanti voce susque deque periculum suum habere visus. Ferunt tamen Catonis palam lata sententia eum esse absolutum, idque si fuisset aliquanto maturius factum, non fuisse defuturos putant, qui exemplum sequerentur.

Ascon.

Cic. pro  
Mil. c. 34.  
Plat. Cic.  
Asc. Vell.

41. Damnatum autem opera maxime<sup>11</sup> Ap. Claudii pronuntiatum est: a quo et lege ambitus apud Torquatum postero die postulatus, damnatus est absens. Ceteris etiam iudiciis, pluribus enim factus reus fuerat, tristem abstulisse sententiam reperio: de sodalitiis, apud M. Favonium; de vi, apud L. Fabium.

Ascon.

42. Igitur intra paucissimos dies Massiliam exilii causa profectus est. Ubi, cum orationem Ciceronis, quæ postea conscripta est, missam ad se legeret, dixisse dicitur: 'Bene, quod ita non sum defensus in iudicio: nunc enim tantos nullos Massiliæ non ederem.' Bona damnati propter æris alieni magnitudinem semuncia venierunt. Sestertium enim debuisse dicitur septingenties,<sup>k</sup> quod ad summam accedit nostratis pecuniæ vicies centena thalerorum imperialium millia: adeo novum non est, ut plures summæ fortunæ speciem alienis, quam suis facultatibus sustineant.

Dio.

Ascon.  
Plin.  
xxxvi. 15.

43. Post Milonem M. Saufeius M. F. postulatus est,

Ascon.

11 *Maxime* pro vulgat. *maxima* ex Ascon. correxit Crev.

//////////

<sup>k</sup> *Septingenties*] *Marcas* argenti nostrates 273437. uncias J. Crev.

qui dux expugnandæ apud Bovillas tabernæ, occidendique Clodii fuerat. Ille tamen, licet pejor ejus causa quam Milonis esset, bis adductus in judicium, semel lege Pompeia, iterum Plautia de vi, quam tum quæstionem M. Considius exercebat, absolutus est. Damnatione Milonis satisfactum erat publicæ indignationi, locusque iterum apertus inveterato hominum in Clodianam improbitatem odio.<sup>12</sup> Igitur et Sex. Clodius, qui auctor inferendi in curiam cadaveris fuerat, magno consensu damnatus est. Alii præterea multi causis diversis eandem sortem subierunt: ex quibus maxima pars Clodianorum fuit, propter incendium curiæ. Quo crimine Plancus etiam Rufusque, simul potestate abierunt, condemnati sunt. Rufum alius Rufus damnavit, M. Cælius orator: Plancum nobilior adhuc orator, M. Cicero, iratus ab eo se oppugnari, quem defenderat.

Dio.  
Val. Max.  
iv. 2. 7.  
Cic. ad  
Fam. vii. 2.

44. Sed id quidem judicium omnino singularis exempli fuit. Quippe Pompeius, legum, quas ipse tulerat, subversor, ut eriperet reum, incredibili contentione incubuerat. Sed accusatoris diligentia, et constantia judicium, superior potentissimi viri studiis fuit. Jam primum M. Cato, cum missa a Cn. Pompeio laudatio legeretur, obturatis auribus, recitari prohibuit; indignans legem tam recentem, et ab ipso auctore violari. Et quanquam rejectus a reo, præjudicio lædebat: quod virum justissimum nemo rejecturus, nisi nocens, videbatur. Præterea quia jam damnata in Q.<sup>13</sup> Rufo eadem causa fuerat; iudices, ne servi esse Pompeii dicerentur, contra tantas opes ejus, a quo ipsi lecti erant, reum condemnarunt.

Tac. iii.  
Ann. 28.  
Dio.  
Plut.  
Pomp. et  
Cat.

Dio.

Plut. Pomp.

Dio.  
Appian.

Plut.

Plut. et  
Appian.

45. In ambitus quoque judiciis notata Pompeii iniquitas et inconstantia fuit. Duo competitores Milonis qui fuerant, Q. Metellus Scipio, P. Hypsæus, postulabantur. Hypsæus egressum balneo Pompeium, prostratus ad pedes, cum rogasset; reliquit jacentem, hoc tantum responso: ' Nilil eum aliud agere, quam ut convivium suum moraretur.' Sic ille quidem damnatus est. At pro socero suo Scipione venire in forum, et coram

<sup>12</sup> *Animo* edd. ante Crev.

<sup>13</sup> C. pro Q. legebatur ante Crev.

rögare iudices non erubuit, veste quoque mutata: quod et nonnulli iudicium imitati sunt. Id ubi Memmius vidit, (is spe secundum legem Pompeiam recuperandi quæ damnatus ipse nuper amiserat, Scipionem accusabat) reipublicæ statum invidiose miseratus, accusatione destitit. Erat ea res cum per se parum probabilis; tum etiam, inter tot illustrium virorum ruinas, magis eminebat impunitas unius. Multi enim et alii per idem tempus damnationem passi erant, et inter hos M. Scaurus. Pro Scauro cum populus deprecaretur, per præconem Pompeius edixit, ‘iudicium sententiam expectari oportere.’ Deinde, cum sic quoque accusatoribus molesta multitudo esset, Pompeiani milites immissi, audacissimo quoque interfecto, ut damnari tuto reus posset effecerunt.

Dio.  
Appian.

46. Cum inter hæc anni pars magna præterlapsa esset, Pompeius socerum suum Scipionem mense Sextili collegam in reliquum tempus consulatus assumpsit. Is Scipio Cornelie gentis erat, P. Nasicæ filius: sed adoptione Q. Pii transierat in Metellorum domum. Eoque interdum quolibet istorum nominum, et, quoties plura exprimerentur, Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius Scipio vocabatur.

Plut.Pomp.  
Appian.  
Dio.

47. Cum hæc ita essent a Pompeio gesta, ut, exceptis quæ retulimus, virtute illius res urbanas vel inimicorum testimonio commodiorem in statum pervenisse constaret, prorogatae sunt ei in aliud quinquennium provinciæ; et stipendii ducenties quadragies<sup>1</sup> in singulos annos attributum. Nec puduit eum accipere, cum sub idem tempus ex senatusconsulto de provinciis legem ferret, non ante quintum a gesto magistratu annum cuiquam decernendis.

Cic. ad  
Fam.viii.8.

48. Scripserat et de comitiis legem, ‘ne cuius absentis ratio in petendo magistratu haberetur:’ sed cum ea res amicos Cæsaris mirifice offenderet, addidit, ‘præterquam si quis nominatim exceptus esset.’ Igitur, ut fit corrupta republica, legibus invalidi tantum coëreabantur; potentium cupiditates nullis astrictæ vinculis erant. Et

Plut.  
Cæs. de B.  
Gall. vii. 6.  
Plut. et Dio.

Sueton.  
Cæs. 28.  
Dio.

<sup>1</sup> Ducenties quadragies] Marcæ argenti nostratis 93750. Crev.

Pompeius, quæ optabat, sumebat; neque<sup>14</sup> Cæsar deerat sibi, quominus opum suarum securitati prospiceret.

Appian. 49. Qui nuper erant Pompeii legibus damnati, cum  
Sueton. exulare cogentur, ad Cæsarem confugerant; ipsumque  
Cæs. c. 27. peti iisdem illis casibus inculcabant. Cæsar, uti solebat,  
Appian. illorum voluntate magnis congiariis auctorata, de Pom-  
Plut. peio quidem honorifice loquebatur: ceterum per amicos  
cum tribunis plebis agebat, 'ut absentisibi petere consu-  
latum liceret.' In ea tota causa talem se Pompeius ge-  
rebat, ut simulare magis amicitiam cum Cæsare, quam  
præstare videretur. Nam in senatu, cum M. Cato, perpetuus legum defensor, venire Cæsarem ad comitia juberet; restitit aliquando Pompeius, amicisque Cæsaris, eximia viri merita respici orantibus, assensit. Sed, acrius instante Catone, tanquam argumentis victus, conticuit. Obtinuit tamen Cæsar quod petierat, inter ceteros Cicerone adjuvante, qui M. Cælium ei adjunxit, tribunum plebis, etiam a Pompeio rogatus. Igitur ea de re ad populum a decem tribunis plebis concorditer latum est.

Liv. Epit.  
Sueton.  
Cæs. c. 28.  
Appian.  
Cic. ad  
Att. VI. I.  
3.

Dio. 50. Cum ita crebritate judiciorum et novis legibus omnia streperent, Q. Scipio consul censoriam potestatem, abrogata Clodia lege, restituit, haud magna utilitate civitatis. Quia enim proximis annis, sublata animadversione censoria, multi et in senatorio et in equestri ordine maculosi homines manserant, quos simul aggredi periculosum, relinquere turpe erat futurum; quanto quisque prudentior vir erat, tanto magis a petitione honoris ejus abhorrebat. Sed et auctor restituendæ censuræ talis erat, ut vix existere posset alius nota dignior. Sub idem enim tempus ad Gemellum tribunitium viatorem in convivium venit, a quo et tribuni quidam (haud dubie illi quos Scipioni favisse supra ostendimus) invitati fuerant. In eo convivio Gemellus Scipioni et tribunis duas illustres matronas a patribus et viris abductas, itemque nobilem puerum Cn. Saturninum, nefarie prostituit.

Val. Max.  
IX. I.

Cæs. de B.  
Gall. VII. 51. Interea Cæsar, cum et motus urbanos satis ex sen-

14 *Et ante neque invenitur in edd. omn. usque ad Crev.*

teutia sua compositos accepisset, et crebris suorum nuntiis excitaretur, in Transalpinam Galliam ex Italia profectus est. Galli Cæsarem civilibus discordiis distineri putantes, propemodum universi rebellaverant, Carnutibus Arvernisque auctoribus. Genabi (nunc Aurelianum appellant) Romani negotiatores a Carnutibus interfecti sunt. Arvernos, deinde horum ope Senones, Parisios, Pictones, aliosque complures populos Vercingetorix commovit. His deinde continuo Biturigas adjuunxit, cum parte exercitus in fines illorum profectus. Nam a Romanis defendi nequiverant: et ab Æduis, qui cum exercitu eo venerant, metu an perfidia incertum, ommissa res, reductæque domum copiae fuerant. Etiam Lucretius Cadureus, a Vercingetorige missus in Ruthenos, eam civitatem, prætereaque Nitiobriges et Gabalos conciliaverat, et erumpere in provinciam Romanam cogitabat.

Dio, xl.  
Plut. Cæs.  
Oros. vi. 11.  
Flor. ii. 10.  
Liv. Epit.  
Cæs.  
Cellar.  
Geogr. Ant.  
ii. 1.  
Cæs.

52. Idcirco Cæsar nihil antiquius habuit, quam ut Narbonem, Tolosamque, et reliquas circa urbes confirmaret, prædidiisque opportune dispositis hostem sunmoveret. Id ubi feliciter et cito effectum est, Cebenna monte transito, in fines Arvernorum pervenit; majore terrore hostium, quanto improvisior adventus fuerat. Quippe durissimum erat anni tempus, quo tantis tegi nivibus Cebenna solet, ut vix expeditis et singulis eo tempore anni sit superabilis.

53. Quod tamen nondum satis ad bellum virium habebat, biduo moratus, quo Vercingetorigem ex Biturigibus attraheret, summa celeritate Viennam, deinde per fines Æduorum in Lingones contendit. Inde ad reliquas legiones misit, atque ita ex distantibus hybernis contracto exercitu, Vellaunodunum movit; iter aperturus in Boiorum fines, quorum oppidum Vercingetorix oppugnabat. Vellaunoduno Senonum intra triduum recepto, Genabum exercitus ducitur.

54. Genabenses, quod diutius ad Vellaunodunum pugnatum iri putaverant, imparati ad resistendum, noctu trans Ligerim tentarunt fugam: sed Cæsar duas legiones, quas paratas in hunc usum tenuerat, incensis portis, intronit-

tit :<sup>15</sup> oppidoque occupato, paucis elapsis, ceteros omnes redegit in potestatem, quod angustiae pontis et itinerum fugam morabantur. Oppido propter crimen occisorum civium Romanorum incenso, praeda militibus concessa, Ligerim Caesar transducit exercitum, in Biturigum fines.

55. Noviodunum in ea via situm erat. Quod oppidum cum dederetur, jamque pars obsidum esset tradita, Vercingentorix affluit; qui, Caesaris audito adventu, Boios oppugnare omiserat. Hujus procul viso equitatu, Bituriges Novioduni incolae denuo clausurunt portas. Interea Caesar, equestri praelio commisso, postquam suos urgeri videt, Germanos equites circiter quadringentos, quos habere semper circum se consueverat, impetum facere jubet. Ab his Galli funduntur fuganturque. Oppidani, eventu pugnae conspecto, auctores recipiendorum armorum victos adduxerunt ad Caesarem, seque ei dederunt. Inde Caesar Avaricum movit, tum quoque Biturigum caput, quorum de nomine postea Bourges appellatum est.

56. At Vercingentorix, convocato suorum consilio, 'non esse aliam spem victoriae' docet, 'nisi ut inopia pabuli frumentique Caesar maceretur. Id autem obtineri nullo pacto posse, donec stent tot oppida, quae nec defendi omnino queant, et sint quasi totidem Romanorum horrea, unde, ut quodlibet eorum ceperint, in multos dies alimenta sumant.' Ita persuasum est Gallis, ut non modo vicos et agrestia aedificia, sed etiam oppida sua ultro incenderent: quorum uno die tantummodo in Biturigum civitate amplius viginti deleta sunt. Avaricum tamen ne cremaretur, Biturigum preeibus datum est, dissentiente primo, deinde concedente Vercingentorige: majore tamen praesidio delectorum muniri placuit.

57. Interim Gallicus equitatus, incensis aedificiis, Romanos inopia rerum necessariorum premere satagebat, et frumentatum pabulatumve euntibus insidiabatur. Sed Caesar, tametsi his incommodis non leviter fatigabatur, strenue oppugnationem urgebat. Ceterum a magno ho

<sup>15</sup> Desideratur in edd. priorr. τὸ *intromittit*, quod ex Caes. add. Civ.



minum numero, situ atque opere munitum oppidum haud ægre defendebatur. Donec immenso labore militum diebus quinque et viginti agger factus est, pedes trecentos triginta in latitudinem patens, erectus in altitudinem pedum octoginta. Sed et hunc suffossum cuniculo succenderunt Galli; et eruptione facta, cum Romanis, a tertia vigilia usque ad redditam lucem, conseruerunt manus.

58. Neque prætermiserim, quod a se visum Cæsar memoriæ tradendum putavit. Ut maximam Romanorum turrim incenderent Galli, per manus sevi ac picis tradebant glebas, quas acceptas qui proxime ardentem jam ignem stabat, ad augendum incendium injiceret. Sed hic scorpione a turri ictus concidit. Ergo jacentem transcendit alius, ut idem munus perficeret. Hunc etiam telo dejectum excepit tertius, et tertium quartus: neque vacuus ille relictus est locus, priusquam omni ex parte finis pugnandi fieret.

59. Cum a Romanis defensa opera essent, propugnatores consilio Vercingetorigis relinquere locum voluerunt. Sed feminarum conclamatione atque etiam vocibus prodita Romanis fuga est: ut qui misericordia suorum non potuerant, saltem suo periculo absterrentur. At ea res omnibus exitio fuit. Sequenti enim die, cum exorta pluvia Romanos ab oppugnatione in castra reverti coëgisset, Gallique velut defuncti periculo domos abirent, Cæsar dispositas legiones subito vim facere ad muros iussit. Ita cum vineæ, quas in occulto habuerat expeditas, celeriter admoverentur; et hostilium machinarum amenta Oros. Cas. nervique pluvia resoluti languerent, oppidum vi captum est: homines, citra discrimen sexus ætatisque, cæsi. De quadraginta millibus vix octingenti ad castra quæ in proximo, sed locis tutis, Vercingetorigis habebat, evaserunt.

60. Inde Gergoviam itum est, in altissimo monte positum Arvernorum oppidum. Sed amnis Elaver prius erat transeundus, cujus pontes omnes Vercingetorigis abruerat: et ne transeundi spatium Cæsari concederet, ab altera semper ripa e regione Romanorum castra metabatur. Tandem Cæsar sylvestri loco positis castris, postridie cum

viginti cohortibus occultus eodem loco substitit: ceteras copias cum impedimentis, quemadmodum prioribus diebus omnibus facere consueverat, dimisit. Hostes movisse cum toto exercitu Cæsarem arbitrati, suo more insequuntur. Ut enim falleret, non totas legiones, sed quartas quasque cohortes retinuerat: ita constabat legionum numerus; et diductis ordinibus species prioris multitudinis non ægre efficiebatur. Ita Cæsar, digressis hostibus, subitario opere pontem refecit, militesque transduxit; eademque nocte progressas reliquas copias revocavit.

61. Quintis deinde castris ad Gergoviam ventum: eodemque statim cum omnibus copiis Vercingetorix accessit. Cum hic locorum situs esset, ut in plano castra metatum Cæsarem ex superioribus locis Galli plurimum infestare, Cæsar vicissim nocere iis nihil posset; collem e regione urbis situm, noctu dejecto præsidio Arvernorum, occupavit, unde ad cetera quoque castella, urbemque ipsam aditum pararet. Sed eum ab hoc conatu, sollicitati a Vercingetorige Ædúi abstraxerunt.

62. Auxilium ab his postulaverat Cæsar, decem millia. His ut præficeretur ipse, fratresque ejus cum aliis principibus ad Cæsarem præmitterentur, Litavius curaverat, Arvernorum partes animo propositoque amplexus. Hujus astu, iter facienti exercitui quidam, velut civitatis Romanorum insidiis, occurrunt; principes suos interfectos Cæsaris jussu nuntiant: ipse convenientem fraudi orationem habet. Ita concitati milites, continuo cives quosdam Romanos, qui una faciebant iter, interficiunt: rem eam dimissis tota civitate Æduorum nuntiis Litavius vulgat: mendacium de principibus occisis repetit: hortatur ut vindictam quisque hoc exemplo sumat, quod exercitus jam edidisset.

63. Hæc ubi media fere nocte Eporedorix, quem interfectum Litavius finxerat, ad Cæsarem detulisset; per motus magnitudinæ rei statim legiones quatuor omnemque equitatum eduxit, ut Æduis in itinere occurreret. Ubi in conspectum venerunt, equitatu objecto qui progredi eos vetaret, Eporedorigem et Viridomarum, quos illi putabant interemptos, appellare suos jubet. Ergo

Ædnei, fraude Litavici cognita, projectis armis, fidei Cæsaris se permiserunt. Litavicus enim clientibus Gergoviam profugit. Ad civitatem Æduorum nuntii de his rebus ab Cæsare mittuntur.

64. Interea castra Cæsariana totis viribus oppugnabant Galli, multosque Romanorum vulneraverant: putabanturque postridie redituri fuisse, nisi celeri reditu imperatoris essent ab hac spe dejecti. Sed Æduorum vulgus, et qui Gallicarum partium inter principes erant, partim temeritate, alii ne esset sibi dicenda proditionis causa, ad primum a Litavico nuntium cives Romanos occidere, bona diripere, alios qui se defendebant oppugnare atque obsidere cœperant. Mox ubi suos milites teneri a Cæsare didicerunt, ut hos recuperarent, decretum fecerunt, 'uti de bonis direptis quæstio haberetur: Litavici et fratrum bona publicarentur: legati satisfactum Cæsari mitterentur.' Cæsar legatis benigne respondit, ne alieno tempore potentissimam civitatem irritaret. Nam desperata Gergovix expugnatione, quemadmodum citra dispendium exercitus aut famæ discederet, cogitabat.

65. Attamen inter eas cogitationes aliquando hostium castra propemodum vacua conspicatus, quod ii ad certum communiendum locum milites eduxerant; parum a capiendi oppido abfuit. Nam celeri impressione tria hostium castra cepit: prosequentibus victoriam spe prædæ Romanis, nonnulli muros oppidi conscenderunt. Sed propter summam iniquitatem loci, quemadmodum Cæsar præviderat, facile rejecti detrimentum acceperunt, centurionibus sex et quadraginta, manipulariumque promissimis amissis circiter septingentis. Cæsar, hoc accepto incommodo, castigatisque simul atque in posterum confirmatis militibus, id tantum moratus, donec timoris opinionem repelleret, instructa acie copiam pugnandi hostibus per triduum fecit. Deinde cum a Vercingentorige tantum equitatus emissus, isque levi prælio iterum repulsus esset; quemadmodum constituerat, obsidione relicta, projectionem in Æduos instituit.

66. Cum ad flumen Elaver venisset, Eporedorix et Viridomarus commeatum petunt: 'intelligere se ad com-

movendam civitatem Litavicum cum omni equitatu in Æduos profectum: opus esse sua præsentia, ut in fide contineant cives.' Ita dimissi postquam Noviodunum venerunt, ad Ligerim positum Ædúi nominis oppidum, aperte desciverunt, nuntiis suorum et præsentem prædã incitati. Quippe Noviodunum Cæsar obsides e tota Gallia, frumentum, pecuniam, impedimentorum partem, et coëmptos in Italia ac Hispania equos contulerat. Igitur comperito Litavicum Bibracte, præcipuæ potentia oppido, receptum, et principes civitatis ad illum venisse; publico nomine legatos ad Vercingetorigem mitti: occisis<sup>16</sup> qui Novioduni erant Romanis, equos et pecuniam inter se dividunt; obsides deducendos Bibracte curant; oppidum incendunt; commeatus quod asportare non poterant, in flumen projiciunt. Cum ita omne nomen Æduum defecisset, prorsus redintegratum bellum videbatur: quod victorias Cæsarís et detrimenta Gallorum bis adjuncta opulentissima civitas haud difficulter adæquabat.

16 *Occisisque* edd. ante Crev.

# SUPPLEMENTUM

LIBRI CVIII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

---

1. **CUM** inter hæc Labienus, relicto Agendici præsidio, cum legionibus quatuor Lutetiam Parisiorum occupare statuisset; dispersa celeriter omissæ ad Gergoviam obsidionis fama, defectionisque Æduorum, magnum ei periculum præter expectationem creavit. Nam, præter finitimas civitates, quæ, Camulogeno Aulereo duce, magnas copias paraverant; ab alio latere Bellovaci, quorum præcipua erat inter Gallos virtutis opinio, repente desciverunt. Idcirco Labienus, omisso longius progrediendi consilio, quemadmodum copias incolumes Agendicum reduceret agitabat. Sed huic proposito duo maxime obstabant, Sequana magnum flumen, et, qui cum Camulogeno erat, hostium exercitus. Audendum erat tamen, quod esset spes omnis in celeritate posita: et, si cunctaretur, plures difficultates, majoraque pericula affutura apparebat. Transductis nocte copiis, cum hostes prohibitori serius advenissent, signis collatis dimicatum est. Romani magna cæde hostium, duce etiam oppresso Camulogeno, ferro aperuerunt iter. Profectusque Agendicum Labienus, inde cum omnibus copiis ad Cæsarem pervenit.

Cæs. de B.  
Gall. vii.  
Dio, xl.  
Cæs.

2. Interea vocatus ab Æduis Vercingentorix ad com-

municanda consilia venerat: et quia de summa imperii controversia erat ab Æduis mota, totius Galliae concilium Bibracte indictum est. Ibi consensu omnium Vercingetorix imperator constitutus, equitum millia quindecim contrahit, ut frumentationibus pabulationibusque Romanos arceret. In Allobrogas, itemque altera ex parte in Helvios aliosque Cæsaris socios copias mittit, quæ his bellum inferant.

3. Cæsar, interclusis omnibus in provinciam et Italiam itineribus, adversus Gallicum equitatum, auxilia Germanorum trans Rhenum colentium evocat ab iis civitatibus, quas superiore anno pacaverat. Hi, ubi cum delectis peditibus una præliari solitis affuerunt, quod equos parum idoneos habebant, Cæsar iis sumtos a tribunis militum equitibusque Romanis distribuit: et, quo provinciae facilius opem ferre posset, in Sequanos per extremos Lingonum fines proficiscitur. Hæc agenti supervenit cum ingentibus copiis Vercingetorix: et cum tribus locis equestri prælio dimicatum diu fuisset, tandem virtute Germanorum vincit Cæsar; multisque hostium interfectis, principibus aliquot captis, Vercingetorigem ad Mandubiorum oppidum Alesiam cedentem insequitur.

Plut. Cæs.

4. Sed principium ejus pugnae durum Romanis fuerat: suspenderuntque Arverni in sanctissimo templo gladium, quem de Cæsare tum captum dicebant. Feruntque postea Cæsarem conspecto eo arrisisse, amicisque detrahi jubentibus, non paruisse, quod sacrum illum esse duceret.

Serv. ad  
Æn. xi.  
v. 743.

Quin et in ephemeride sua prædicasse Cæsarem accepimus felicitatem suam, quod captum in prælio Gallus cum in equo portaret, dimiserit, propter occurrentis alterius Galli vocem, insultantis Cæsari, eaque verba (Latine credo)<sup>a</sup> proferentis, quæ Gallorum lingua dimitte Cæsarem juberent.

Dio. Plut.  
Liv. Epit.  
Oros. vi. 11.  
Flor. iii. 10.

5. Ad Alesiam deinde iterum equestri prælio certatum est; ubi par Germanorum virtus Cæsari victoriam denuo dedit. Ergo Vercingetorix, postquam equitatum suum

<sup>a</sup> *Latine credo*] Hæc parenthesis conjecturam Freinsheimii continet. Servius ait Gallum insultantem inclamasse *Cæsar Cæsar*; quod Gallorum lingua *dimitte* significat. *Crev.*

Germanis imparem videt, simul frumenti paucis diebus inopiam veritus, priusquam a Cæsare circumvallaretur, equites omnes a se dimittit: mandato, ut suam quisque civitatem excitaret, et omnes qui ferre arma possent præsto esse cogeret. Ipse cum delectis octoginta milibus ad urbem defendendam substitit: et, quo tantæ multitudini diutius alimenta suppeterent, Mandubios, qui oppido suo eos receperant, cum liberis et uxoribus exire coëgit. Sed illos Cæsar, cum ultimis precibus in servitutem recipi orarent, non admisit: ita inter urbem ac castra conclusi derelictique, miserabili morte consumti sunt.

6. Interea Galli, audito quo apud Alesiam loco res esset, non uti Vercingetorix censuerat, omnes puberes, sed certum e civitatibus numerum contrahunt: equitum circiter octo millia, peditum ducenta quadraginta. Postquam hic ad Alesiam exercitus venit, rursus equestri prælio certatum est. Neque tum etiam Germanis resistere Galli potuerunt. Igitur prope desperationem adducti hostes eruptionem tentare statuerunt; dum eodem tempore munitiones Romanorum a ceteris oppugnantur. Sed ea fuit Cæsaris ad omnia consilii celeritas, eaque peritia, ut quoslibet hostium conatus efficeret irritos.

7. Cum, interfecto maximo Gallorum numero, reliquos e conspectu abstulisset fuga; convocato suorum concilio Vercingetorix, 'omnia se bona fide fecisse' demonstrabat, 'quo publica libertas sarta tecta foret. Sed, quoniam vi vincantur, offerre se corpus suum ad utramlibet conditionem, sive morte sua satisfacere Romanis, sive dedere vivum malint.' Cum deditio placuisset, sumtis speciosissimis armis eximioque equo, venit in castra Cæsaris, sedentemque circumvectus, dimisit equum; phalerisque et armis ante victoris genua projectis, eodem et ipse accidit, nulla voce edita, sed gestu supplex. Cæsar, commemorato, quantis suis beneficiis quam malam ille gratiam retulisset, in vincula conjici jussit, triumphoque servari.

8. Omnibus deinde civitatibus, exceptis Bellovacis, de pace mittentibus legatos, res ex suo usu composuit: Arvernisque et Æduis, ut potentissimas civitates præcipuo

Vell. II. 47.  
Cæs.

Cæs.

Polyæn.  
Strat. VIII.  
Cæs.

Plut. et Dio.

Cæs.  
Liv. Epit.  
Cæs.

beneficio astringeret, viginti millia captivorum reddidit, cum ex aliis populis singula capita, toto exercitu, prædæ nomine divisisset. Propter has res a Cæsare gestas, Romæ supplicatio dierum viginti decreta est.

Liv. Epit.  
Vell. II. 46.  
Dio.

9. Sub idem tempus irrupentes in Syriam Parthos C. Cassius, qui M. Crassi quæstor fuerat, feliciter repulit. Hic, adhuc vivo Crasso delatum sibi in Mesopotamia imperium, nec receptum, post mortem imperatoris necessario receperat; Antiocho quodam concitante Syriam, et Parthis quasi nudatam duce et exercitu provinciam incurrentibus. Sed ea ipsa fiducia saluti Romanis et Syriæ fuit. Quippe velut ad facile bellum modica cum manu Parthi venerant: unde major militibus animus accessit; Cassiique diligentia et virtute rejectus cum clade hostis est: Antiochus interfectus. Sub idem tempus e Græcia nuntiatum est, inter ipsa solennia ludorum, Olympii Jovis statuam, admirandi operis, fulmine petitam percussamque esse.

Oros. VI. 13.  
Euseb.  
Chronic. et  
Præpar.  
Ev. IV.

Plut. Cat.  
et Dio.

10. Hic etiam annus consulatus tres candidatos habuit; sed quanto meliores viri erant, tanto civilius magistratum petebant. Ser. Sulpicius Rufus, M. Claudius Marcellus erant: quibus tertius accesserat M. Cato, non honoris cupidine, sed reipublicæ cura adductus ad petendum. Eo enim procedi videbat, ut Pompeii Cæsarisque supra modum auctæ opes, sive concordēs opprimerent rempublicam; sive dissidentes, bellis civilibus involverent. Ut igitur nimiam horum potentiam destrueret, quia privatus frustra contenderat, consulatu sibi opus esse rebatur.

Plut.

11. Nec tamen irasebatur competitoribus: et cum taxari Sulpicium audisset, quod Catonis amicitia proventus, ei tamen cedere recusaret, 'Non est mirandum,' ait, 'si, quod summum quisque bonum esse existimat, id alteri nolit concedere.' Senatui tamen persuasit ut tolleret morem, quo propinqui et amici petitoris pro eo ambibant prensabantque; juberetque quemlibet candidatum per se tantum petere. Sed eam rem populus indignanter tulit, omne suum jus a Catone eripi questus; qui lucrum ex petitionibus nuper ademisset; nunc etiam, accisa rogandi populum consuetudine, honorem et gratiam. Idcirco cum



et amici Cæsaris ac Pompeii populum ei inconciliarent, Dio.  
 (semper enim mali viri diffidunt bonis,) et Cato, minime  
 factus ad ambitum, gravitate magis et integritate in pe-  
 tendo, quam precibus et blanditiis uteretur; repulsam tu-  
 lit: Sulpicius Marcellusque designati sunt; ille peritia Liv. Epit.  
 juris, hic eloquentia, uterque comitate, favorem hominum Cic. Brut.  
 meritus. c. 71.

12. Postquam hi consulatum iniverunt,\* C. Cæsar, Hirt. de B.  
 domitis subita impressione Biturigibus, deinde Carnutum Gall. v111.  
 gente, in Bellocacos venit. Cum his Ambiani, Auleri, Oros. vi. 11.  
 Calletes, Velloccasses, Atrebates conjunxerant copias, Dio. Hirt.  
 Correo Bellovaco, et Comio Atrebate præcipuis ducibus:  
 et locum paludibus sylvisque munitum, et ad omnia op-  
 portunum, castris ceperant. Hos ut ad pugnandum eli-  
 ceret Cæsar, cum quatuor tantum, sed spectata virtutis,  
 legionibus in conspectum venit. Deinde cum illi nihilo-  
 minus loco se suo tenerent, et præter levia certamina  
 fieret nihil; quia neque castra hostium oppugnari sine  
 maximo periculo, neque circumveniri a tam paucis pote-  
 rant, C. Trebonium cum tribus legionibus accessit, mag-  
 numque sociorum equitatum evocat, quem pabulatoribus  
 præsidio mitteret. Ex eo numero Remi Bellocacorum  
 insidiis circumventi, Verticonem principem civitatis, eun-  
 demque præfectum equitum, cum magna multitudine suo-  
 rum amiserunt.

13. Vicissim tamen Bellocaci, a Germanis equitibus  
 fusi fugatique, cum etiam accedere cum novis copiis C.  
 Trebonium legatum cognovissent, trepidare cœperunt: et,  
 ne uno loco inclusa innumerabilis multitudo fame inter-  
 iret, quicquid ætate aut viribus fessum, aut armis parum  
 instructum aderat, cum parte impedimentorum statuerunt  
 dimittere. Sed Cæsar, animadverso hostium consilio, ad  
 insequendum se parabat. Huic rei ut moram afferrent  
 Galli, tutioremque suis discessum præberent, instructas  
 et ipsi copias pro castris ostenderunt. Idcirco Cæsar, per  
 difficilia loca suis in jugum montis transductis, unde tela  
 tormentorum pertingere ad hostium cuneos possent, castra  
 ibidem posuit.

\* A. U. C. 701. A. C. 51.

14. At Bellovaci, cum neque discedere auderent, vicini hostis metu, neque diutius permanere sine cibariis possent, plenum calliditatis consilium capiunt. Mos erat Gallorum ut in acie non starent instructi, sed sederent: quo minus ante prælium vires consumerentur. Tum etiam fascēs stramentorum atque virgultorum, quorum summa erat iis copia, effecerant, quibus insiderent. Hos per manus inter se traditos ante primam aciem collocarunt: <sup>1</sup> et sub vesperam diei, quo tempore se recepturi erant simul ab omni loco incenderunt. Cum sublatus maximus ignis esset, isque conspectum Gallorum Cæsari adimeret, ille tamen quid ageretur solerti conjectura assequebatur. Sed persequi fugientes tanto objecto incendio non poterat: et, ne forte alicubi in insidiis lateret hostis, timebat.

15. Bellovaci, hoc vaframento impune digressi, non longius inde millibus decem munitissimo loco castra posuerunt. Cum subsecutus Cæsar esset, Galli locorum adjuti peritia, crebra pabulatoribus damna inferebant. Eo successu animosior Correus, delectis ex omni copia sex peditum millibus, cum equitibus mille, quo loco futurum putabat ut Romani frumentandi causa accederent, quod omnia circa jam desecta erant, in insidiis consedit. Campus erat haud amplius mille patens passus, quem impedittissimæ sylvæ a ceteris partibus, ab una flumen altissimum cingebat.

16. Sed e captivo quodam, Cæsar, cognita fraude, insidiatorem suo astu petiturus, equitatum, interposita levi armatura, præmittit: ipse cum legionibus citato gradu subsequitur. Ubi primum in campo conspecti sunt equites, Correus, cum paucis occurrens, conserit manum: deinde plures, postremo pedites ex sylvis crumpunt. Repugnant fortissime Cæsaris equites, levis armaturæ præsidio adjuti: donec crebris nuntiis ipsi hostesque certiores facti sunt, Cæsarem cum instructis legionibus adesse. Eadem res et Romanorum auxit, et hostium fregit animos: et majore parte suorum amissa, Bellovaci in fugam se conjecerunt. Sed irretiti eisdem locorum fraudibus, quas

1 *Conservarunt* edd. ante Crev.

in exitium Romanorum delegerant, paucis exceptis, ceciderunt.

17. Dux eorum Correus æque fugam atque deditioem turpem ratus, fortissime præliari non omisit, donec Romanos, qui vivum capere maluissent, vulnerando, tela in se conijcere cœgit. Hoc prælio debellatum: missique ad Cæsarem oratores civitatum, obsides, quos ille imperaverat, adduxerunt. Pacatis omnibus aliis, solus Atrebas Comius arma retinebat, nulla resistendi spe, sed desperatione salutis, quia nemini se Romanorum audebat committere. Nam superiore anno sub specie colloqui petitus insidiis auctore Labieno, vulnere accepto vix evaserat.

18. Cæsar, eo bello confecto, in fines Eburonum profiscitur, eosque crudelissime devastat: eo consilio, ut Ambiorigem, quem capi posse desperarat, in summum odium suorum adduceret, qui propter istius perfidiam tam atrociter paterentur. Sed Comium in Britanniam fugientem insecutus deprehendere non potuerat, egregio hominis astu delusus. Nam is, cum ad oceanum veniens, ventum quidem secundum, sed æstum recedentem invenisset, et in siccis æstuariis naves hærerent, pandi nihilominus vela jussit. Ergo Cæsar, cum eminus tumentia vento videret, jam in cursu esse putans, ne frustra periret sibi tempus, recessit.

Frontin.  
Strat. II. 13.

19. Interea in Pictonibus, Duracii atque Dumnaci discordia novum bellum ortum. Duracius, qui semper Romanarum partium fuerat, in oppido Limono obsidebatur. Igitur C. Caninius Rebilus, duabus quas habebat legionibus adductis, cum ad dimicandum haud satis firmas copias haberet, munito loco consedit. Sed Dumnacus, castris per aliquot dies frustra oppugnatis, cum redisset ad obsidionem Limoni, certior factus de adventu C. Fabii legati, ne hinc ab exercitibus Romanis, inde ab obsessis invaderetur, Ligerim statuit copias transducere. Sed jam pontem C. Fabius occupaverat: isque, equitatu in nescios et ex itinere fessos immisso, magnam stragem edidit. Cedentem deinde Dumnacum insecutus ita profligavit, ut plusquam duodecim hominum millia conciderentur; Dum-

nacus expulsus finibus, nudatus exercitu, errans, latitansque, in extremas Galliarum partes profugere cogeretur.

20. Ad quinque ferme hominum millia ad Drapetem Senonem ex fuga convenerunt: cum quibus ille provinciam erat petiturus, assumpto etiam Luterio Cadurco, summæ audaciæ viro. Igitur Romani duces, divisis partibus, C. Caninius in provinciam contendit, ut his occurreret; C. Fabius in Carnutes, reliquasque civitates quæ auxilia Dumnaco miserant, impetum fecit. Atque illæ viribus accisis, terrore aucto, datis obsidibus celeriter in deditio-nem venerunt.

21. At Drapes et Luterius Uxellodunum in Cadurcis munitissimum oppidum occupant. Eodem et Caninius cum duabus legionibus procedit, visoque loci situ, tribus circa castris positus, paulatim munitio-nibus claudere oppidum instituit. Erat in animis omnium recens Alesie calamitas: ideoque, ut rei frumentariæ ratio haberetur, Drapes et Luterius, modico in urbe relicto præsidio, ceteras copias frumenti comportandi causa educunt. Id cum, castris intra decimum milliare positus, per angustas sylvestresque semitas in oppidum importare cœpissent; strepitu prodente, a Caninio sub ipsam lucem sunt circumventi. Luterius, qui cum frumentatoribus erat, cum paucis ita effugit, ut eorum nemo in castra reverteretur. Igitur Drapes, ignarus omnium, subito Germanis irruentibus turbatur: multi occiduntur hostium: ceteri, atque imprimis ipse dux, capiuntur. Caninius ad obsidionem Uxelloduni redit: eodem et Fabius accedit postridie. Ita pluribus ex partibus opera administrantur.

22. Interea Cæsar, relicto in Bellovacis quæstore M. Antonio, Carnutes adiit, concitoremque belli Guturvatum supplicio affecit. Cognita deinde crebris nuntiis Uxellodunensium pervicacia, faciendum sibi statuit, ut ipse eo proficisceretur: ne, si unum oppidum diutius restitisset, universam Galliam ad vires iterum tentandas sollicitaret.

23. Postquam Uxellodunum Cæsar venit, inspectisque omnibus, situm loci inexpugnabilem, frumenti copiam in longum tempus oppidanis suppeteret, nec omitti rem

posse clauso operibus oppido cognovit; unam spem victoriae in eo verti credidit, si aqua prohibere oppidanos posset. Et flumine quidem, quod imis radicibus montis ita ferebatur ut nullam in partem derivari posset, per sagittarios funditoresque prohibere non erat difficile. Ceterum sub ipsius oppidi mœnibus, fons magnus prorumpibat, quem adimi obsessis posse, cum reliqui tantum optarent, Cæsar unus vidit, remque effectam dedit.

24. Namque ex adverso fontis vineas agi et aggerem strui jussit: et quanquam ex superiore loco multi milites vulnerabantur, tanta tamen constantia fuit, ut agger sexaginta pedum altitudine efficeretur. In eo turrim erexit Cæsar tabulatorum decem. Ita non quidem altitudo mœnium adæquabatur, quod nullis obtineri operibus poterat; sed tamen fontis fastigium vincebatur: telaque tormentis ad ejus aditum mitti poterant, ne sine periculo aquarentur.<sup>2</sup> Eodem tempore cuniculi ad fontis caput aguntur: cujus rei oppidani nescii, tantum quod ob oculos erat malum formidabant.

Frontin.  
Strat. 111. 7.  
Hirt.

25. Igitur ut hoc averterent, cupas sevo, pice, ac scandulis repletas, et igne immisso, in opera Romanorum devolvunt. Ibi, cum ad prohibendum incendium concursus esset, acre prælium extitit; cum Romanos virtus, oppidanos locus adjuvaret. Sed ubi multos suorum vulnerari Cæsar vidit, ex omni parte scandi montem cum clamore jubet. Ita ad speciem oppugnandorum mœnium Uxellodunenses omisso prælio revocant in oppidum armatos, et in circuitu muri disponunt: Romanus iniqua prælii conditione liberatur. In hoc statu, cum oppidani, licet multis sibi pereuntibus, tamen resisterent, repente fons, quo solo utebantur, cuniculis interceptus exaruit. Ea res, quod non humani consilii, sed Deorum ira accidisse putaretur, velut miraculo exanimavit hostes; deditioemque omni ope destitutis necessitas extorsit.

26. Cæsar omnibus qui arma tulerant amputari manus jussit, vitam relinqui, ne pœnam eorum ex conspectu reliquorum amoveret. Nec enim crudelitate, a qua plurimum abhorrebat, supplicium hoc irrogaverat, sed in exemplum, quo ceteri a rebellando retinerentur. Cum enim

<sup>2</sup> *Aquaretur* legebatur ante Crev.

unam tantum haberet imperii ætatem reliquam, eamque ipsam inimici cuperent eripere ; nulla alia ratione rebatur obtineri, quam tantis laboribus quæsierat, pacatæ Galliæ famam posse.

27. Consilium Cæsaris solita ejus felicitas adjuvit. Sub idem tempus Luterius, qui novas concitare turbas potuisset, ab Epasnaeto Arverno vinctus ad Cæsarem missus est. Drapes aliquot dierum inedia se confecit. Suras virtutis et generis fama nobilis, qui solus Æduorum arma retinuerat, in Treviris a Labieno captus est equestri prælio, quo et Treviri et Germani, Trevirorum socii, superati sunt. Tota Gallia pacata, cum nondum Aquitaniam adisset Cæsar, sed per P. Crassum nonnullas civitates subegisset, eo profectus est, omnibusque legatos et obsides mittentibus, Aquitania universa in fidem accepta, Narbonem rediit : conventuque ibi habito, in Belgas abiit, ut Nemetocennæ hybernaret.

28. Ibi lubenter cognovit, ne quid deinde turbarum in Gallia metueret, etiam Comium Atrebatem in fidem venisse. Is enim, post factas sibi insidias ad ultionem semper intentus, occasione tandem reperta, arma posuerat. Nam C. Volusenus Quadratus equitum præfectus ad id colloquium, per ejus simulationem Comii mors petebatur, missus a Labieno fuerat. Igitur cum hinc magnum inter eos odium intercederet ; Volusenus, Comii sæpe interceptis equitibus, postremo capiendi ipsius cupiditate, eum cum paucis vehementissime est insecutus. Ibi Comius, longe a suis abreptum videns, repente comitum invocat fidem, conversoque equo Volusenum petit : ceteri strenue sequuntur ducem : Romani re improvisa territi terga vertunt. Comius Quadrati medium femur lancea trajecit : præfecti vulnus Romanos pudore sistit. Ab his denno vertuntur in fugam Galli.

29. Hac re perpetrata, Comius, sive quod multos suorum amiserat, sive dolori suo satisfactum rebatur, legatos ad M. Antonium misit, imperata facturum pollicitus, dum ne Romani ejusquam in conspectum veniret. Antonius, ab justo metu proficisci postulata Comii ratus, obsidibus acceptis, veniam actorum omnibus qui cum eo fuerant, et ipsi quam petierat vitandi Romanos facultatem

concessit. Atque hic bellorum eorum finis fuit, omni Gallia eis Rhenum, atque inter mare Mediterraneum, et oceanum, nisi qua paludibus invia fuit, perdomita.

Sall. Hist.  
1. 2.

30. Dum his rebus Cæsar occupatur, M. Marcellus consul edictum proposuit, ‘de summa se republica acturum:’ proximoque senatu de multis rebus contra Cæsaris rationes retulit; maxime de provincia, quam A. D. Kalendaras Martias jubebat terminari, Cæsaremque ad petitionem consulatus venire. ‘Nam et, bello confecto, dimitti victorem exercitum debere: et absentis rationem comitiis non habendam: quia lege Pompeia, quo capite absentes honorum petitione summovebantur, ne Cæsar quidem exceptus esset.’ Namque Pompeius, cum Cæsarem excipere nominatim debuisset, sive per oblivionem, seu consulto, Cæsaris mentionem nullam fecerat: et demum lege jam in æs incisa, et in ærarium condita, correxerat errorem.

Sueton.  
Cæs. c. 28.  
Appian.  
Civ. 1.  
Dio. Hist.  
Cic. ad  
Att. VIII. 3.  
Liv. Epit.  
Sueton.

31. Item Marcellus de civitate Novocomensibus admenda retulit, quam coloniam rogatione Vatinia Cæsar deduxerat: per ambitionem et ultra præscriptum datam causatus. Donata autem jure Latii Novum Comum colonia fuerat: quo jure quæ erant coloniæ, in iis qui magistratum annum gessisset, eo ipso civitatem adeptus Romanam intelligebatur. Talem aliquem Marcellus nactus virgis cecidit; qua pœna Romæ civis Romanus nullus afficiebatur: jussitque Cæsari vibices ostendere.

Strabo v.  
p. 213.  
Sueton.  
Appian.

32. Hæc agenti Marcello, summa ope Cæsar per adictos sibi tribunos plebis et Ser. Sulpicium collegam Marcelli resistebat: neque plerisque ceterorum probabatur, alicui, priusquam tempus lege datum exisset, provinciam auferri. Sed et ipse Pompeius, qui simulato ad Hispanienses exercitus itinere, tamen in Italia substiterat, in eadem sententia fuit. Clam tamen intendit animum, ut exarmaret Cæsarem, et statim atque elapsum imperii tempus foret, privatum in Urbem redire cogeret. Hoc ut facilius assequeretur, C. Marcellum fratrem patrum Marci, qui simultatem gerebat cum Cæsare, consulem fecit: Caiumque Curionem, in locum Servii, qui damnatus post designationem fuerat, petentem ut tribunus

Plut. Cæs.

Sueton.  
et Dio.

Dio.

Appian.

Dio.  
Appian.  
Suet. Cæs.  
c. 29. Dio.  
Cic. ad  
Fam. VIII. 1.

plebis crearetur adjuvit. Plurimum enim præsidii in eo ponebat, si adolescens nobilis, disertus, audax, inimicissimus Cæsari, tribunitia potestate armaretur.

Vell. II. 18.

Dio.

Appian.

Cic. ad

Fam. VII. 8.

Id. ib. 4.

Plut.

Pomp. et

Cæs.

Cic. ad

Fam. VIII. 4.

Id. ib. 9.

et 4.

Id. ib. 8.

33. Inter hæc crebro relatum de Galliis et graviter actum fuerat. A. D. XI. Kalendas<sup>3</sup> Sextiles, cum senatus ad Apollinis haberetur, essetque mentio facta de legione quam Cæsari Pompeius expensam ferebat, itemque de successione C. Cæsaris, Pompeius respondit, abducturum sese legionem eam: de provinciis placuit, ut quamprimum ad Urbem Pompeius reverteretur, (Ariminum profecturus ad exercitum erat,) eoque præsentem de successione provinciarum ageretur. Interventit deinde iudicium C. Marcelli consulis designati, quem M. Calidius postulaverat, competitor ejus, sed repulsam passus, et insuper accusatus a duobus Galliis.<sup>b</sup>

34. Tandem assentiente Pompeio, A. D. pridie Kalendas Octobres senatusconsulta sunt in hæc verba perscripta: ' Quod M. Marcellus consul verba fecit de provinciis consularibus, de ea re ita censuerunt, uti L. Paullus, C. Marcellus consules, cum magistratum inissent, de consularibus provinciis ad senatum referrent: neve quid prius ex Kalendis Martiis, neve quid conjunctim de ea re referretur a consulibus: utique ejus rei causa per dies comitiales senatum haberent, senatusqueconsultum facerent: et cum ea de re ad senatum referretur a consulibus, equitum Romanorum, qui in trecentis iudiciis essent, sex adducere liceret.<sup>c</sup> Si quid de ea re ad populum plebemve lato opus esset, uti Ser. Sulpicius, M. Marcellus consules, prætores, tribuni plebis, quibus eorum videretur, ad populum plebemve ferrent: quod ii non tulissent, uti quicumque deinceps essent, ferrent.'

3 A. D. Kal. edd. ante Crev.

//////////

<sup>b</sup> A duobus Galliis] Male priores editiones Gallis: quam lectionem, etsi reperitur apud Ciceronem quoque ipsum, plurimi et doctissimi interpretes ut vitiosam merito damnant. Crev.

<sup>c</sup> Equitum Romanorum . . . sex

adducere liceret] Freinsheimius ex conjectura substituit duas voces equitum Romanorum in unius locum, quæ apud Ciceronem ipsum legitur, eorum. Vid. interpretes Ciceronis, et in primis Manutium. Crev.



35. Ascriptum erat, ‘senatum existimare, neminem eorum qui potestatem habeat intercedendi, impediendi, moram afferre oportere, quominus de republica quamprimum ad senatum referri, senatusqueconsultum fieri possit. Qui impedierit, eum senatum existimare, contra rempublicam fecisse. Si quis huic senatusconsulto intercesserit, senatui placere, auctoritatem perscribi, et de ea re ad senatum populumque referri.’ Huic senatusconsulto intercessit C. Cælius, L. Vinicius, P. Cornelius, C. Vibius Pansa, tribuni plebis. Item: ‘Senatui placere, de militibus qui in exercitu C. Cæsaris sunt, qui eorum stipendia emerita, aut causas quibus de causis missi fieri debeant, habeant, ad hunc ordinem referri, ut eorum ratio habeatur, causæque cognoscantur.’

36. Itemque, ‘Senatui placere in Ciliciam provinciam, et in octo reliquis provincias, quas prætorii pro prætore obtinerent, eos qui prætores fuerunt, neque in provincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex senatusconsulto cum imperio in provincias pro prætore mitti oporteret, eos sortito in provincias mitti placere. Si ex eo numero quos ex senatusconsulto in provincias ire oporteret, ad numerum non essent, qui in eas provincias proficiscerentur; tum uti quodque collegium primum prætorum esset, tum deinceps proximi cujusque collegii, qui prætores fuissent, neque in provincias profecti essent, in sortem conjicerentur, quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in provincias mitti oporteret.’ His etiam senatusconsultis cum intercessum a C. Cælio, C. Pansa tribunis esset, auctoritates perscriptæ sunt. Attamen hoc postremum senatusconsultum lege Pompeia nitebatur; qua etiam eodem anno duo consulares, M. Cicero in Ciliciam, M. Bibulus in Syriam cum imperio missi fuerant. Pigh. Ann.

37. Sed ante Bibulum in provinciam Parthi venerunt. Summoti superiore anno a C. Cassio, cum justo exercitu reverterant, Pacoro ducente, regis Orodis filio, ut nomen ducis hic haberet; ceterum Osaces adolescentulo custos additus, administraret bellum. Hi, cum, omnibus in itinere redactis in potestatem, Antiochiam venissent, oppugnare urbem cœperunt, magna cum spe, ultro suas ad Dio.  
Oros. VI. 13.  
Strab. XVI.  
p. 748.  
Oros, Dio.

partes accessuram Syriam, pertasam Romani imperii, et quemadmodum locis, ita moribus Partho propiorem. Sed adversus homines oppugnandis urbibus ineptissimos facile defensa Antiochia est.

- Cic. ad Att. v. 18. 20. 21. et ad Fam. II. 10. et xv. 1. 2. 3. 4. Plut. Cic. Cicero. Plut. Cic. Plut. Cic. Hirt. de B. Alex. Dio. Stephan. Strab. xvi. p. 750. Dio. Frontin. Strat. II. 5. 35. et Dio. Cic. ad Att. v. 20. Dio. Cæs. de B. Civ. III.
38. Et animos Cassio, timorem Parthis M. Cicero adiderat, qui in Amano, quo monte Cilices a Syris discriminantur, re bene gesta imperator appellatus, transiturus in Syriam credebatur: præsertim quod magnus equitum Parthorum numerus, cum in Ciliciam irrupisset, ab equitibus Ciceronis, et cohorte prætoria, quam Epiphaneæ præsidii causa collocaverat, erat concisus. Ducebat autem Cicero exercitum non pœnitendum, peditum duodecim millia, duo millia sexcentos equites. Præterea firma habebat et prompta sociorum auxilia, quos lenitate imperii amiciores, quam fuissent, populo Romano effecerat. Etiam Ariobarzanem Cappadociæ regem præsentibus insidiis liberaverat: Dejotarum autem ita habebat amicum, ut, relicto regno, cum omnibus copiis ad eum proficisceretur. Habebat autem is peditum millia duodecim, Romano armatu, equitum millia duo.
39. Rejecti ab Antiochia Parthi, Antigoniam peterunt, quam haud procul inde Philippi filius Antigonus considerat. Suburbium erat ibi frequentibus arboribus consitum. Id Parthi metu insidiarum ingredi non ausi, succidendis arboribus aperire locum instituerunt. Sed ubi homines huic labori non assuetos etiam Cassius assidue carpebat, relicta et hac obsidione discesserunt.
40. Cassius, itinere hostium mature cognito, cum per confragosa loca transeundum Parthis esset, omni peditatu in insidiis locato, cum equitibus, quorum habebat haud magnas copias, se ostendit. Celeriter contemptu paucitatis ad pugnam, deinde ad insequendum refugientem moti hostes, priusquam animadvertere quo progredierentur spes et cupiditas sineret, locis iniquis a peditatu circumventi sunt. Illa clades, (nam et magna pars exercitus ceciderat, et ipse dux Osaces paucis post diebus interierat ex vulnere,) expulsi Pacorum Syria; diuque post a Parthorum armis quietam provinciam præstitit.
41. Interim M. Bibulus, quem aliquamdiu in obsidione

Parthi habuerant,<sup>d</sup> Antiochiam venit. Atque is quidem, quauddiu eis Euphratem fuit hostis, pedem porta non extulit. Neque tamen legatis et amicis ac quaestore suo Ciceronem ad subsidium vocantibus, ea de re literas scribere voluit; omnia perpeti malle, quam videri auxilio Ciceronis egnisse præ se ferens.

42. Atque hoc ut malevoli animi, sic quod sequitur, constantissimi moderatissimique specimen fuit. Duos simul egregiæ indolis filios amiserat, occisos a quibusdam eorum equitum qui cum A. Gabinio Ptolemæum in regnum reduxerant, deinde conserauerant Alexandriae. Id ille infortunium ingenti animo tulit. Quippe nuntiata morte filiorum, postridie processit ad solita munia: posteaque remissos ad se interfectores a Cleopatra, quæ parenti recens defuncto successerat, 'intactos reduci' iussit 'ad reginam;' addito 'potestatem hujus vindictæ non suam, sed senatus esse debere.' Is igitur Bibulus, cum Antiochiam venisset, accepto exercitu, in Amano monte, qui plenus erat hostium sempiternorum, materiam triumphi cœpit quærere. Sed contra quam sperauerat, res cecidit; amissa cohorte prætoria, et Asinio Dentone, qui primi pili centurio fuerat.

43. Felicior in eodem monte Ciceronis expeditio fuit: nam communem ille cum Bibulo Amanum habebat, aquarum divortiis dividendibus provincias. Magna ille multitudine hostium occisa, Fugeranam, quod erat Amani caput, præterea Sepyram, et Ceminorim, cum aliis aliquot castellis cepit. Hinc ad oppidum Eleutherocilicum Pindenissum admoto exercitu, locum munitissimum, aggeribus, vincis, turribus oppugnavit, vallo et fossa cinxit, magnoque labore post septimum atque quinquagesimum diem in potestatem redegit. Inde Tibarenos petiit, qui finitimi Pindenissensibus, similiter receperant fugitivos, Parthorumque adventum expectabant. Sed hi obsides dare, quam bellum pati maluerunt. His rebus gestis, per loca dubia aut recens pacata M. Cicero exercitum

Cic. ad  
Att. vi. 8. et  
vii. 2.  
Cic. ad  
Fam. ii. 17.

Cæs. de  
B. Civ. iii.  
Val. Max.  
iv. 1.

Senec.  
Consol. ad  
Marc. c. 14.  
Val. Max.  
Cic. ad  
Fam. viii. 4.  
Val. Max.

Cic. ad  
Att. v. 20.  
Cic. ad  
Fam. ii. 10.  
Cic. ad Att.

Cic. ad  
Fam. ii. 10.  
et xv. 4.

<sup>d</sup> M. Bibulus, quem aliquandiu Metelli Scipionis res gestas in  
in obsidione Parthi habuerant] proconsulatu Syriae exagitat.  
Hoc tradit Cæsar eo loco, ubi Crev.

Cic. ad Att. v. 21. distribuit, Quintumque fratrem præfecit hybernis: ipse ad conventus agendos in provinciam profectus est.

Signon. in Fast. Capit. et Pigh. Ann. 44. Jam erant ad Urbem imperatores duo, qui ex eadem Cilicia triumphare cuperent: Appius Claudius, cui Cicero successerat, et P. Lentulus, qui provinciam ante Claudium obtinuerat. A multis enim annis inquietæ ibi res fuerant, vicinitate Parthorum, et ferocibus Cilicum accolarumque ingentiis. Et Lentulus, rebus bene gestis, cum ante biennium decessisset, his consulibus, triumphavit. Sed Appius, majestatis reus a P.

Cic. ad Att. v. 21. Dolabella factus, abjecta postulatione triumphi, Urbem ingressus est. Causam pro eo dixerunt M. Brutus Appii gener, et Q. Hortensius, ille adolescens, hic quarto et sexagesimo ætatis anno, paucis ante mortem diebus. Nec illo solum iudicio, sed etiam ambitus postea absolutus, censuram petiit, censorque designatus est.

# SUPPLEMENTUM

## LIBRI CIX.

### HISTORIARUM

#### T. LIVII PATAVINI.

---

1. **CUM** inter hæc novi tribuni plebis inissent, C. Curio statim in principio acceptæ potestatis ferventissime concionari instituit, quasi reipublicæ cura et amore tangere-  
tur. Sed ille C. Cæsarem non aliam ob causam oderat, quam quia contentus erat ab homine, qui servulos etiam libertosque potentium paulo gratiosiores qualibet impensa solebat adjungere. Id acrius urebat adolescentem; et quod voluptatibus atque libidinibus, et comparandis quorumlibet studiis effuso patrimonio, magnum æs alienum contraxerat. Nam sestertium sexcenties<sup>a</sup> aliquando debuisse legitur. Idcirco Cæsar, necessitate ac ingenio hominis cognito, venalem linguam, ne sibi noceret, omnino redimendam ratus, æs alienum ejus omne dissolvit; eoque transduxit ingenium nequam, ut simulatione pro republica contra Pompeium et Cæsarem, sed revera pro Cæsare staret.

Dio, XL.  
Liv. Epit.  
Vell. II. 48.  
Cic. ad  
Fam. VIII. 4.  
Dio.  
Sueton.  
Cæs. c. 27.  
Vell.  
Dio.  
Val. Max.  
IX. 1.  
Lucan. 1.  
270.  
Sueton.  
Cæs. c. 29.  
Dio.  
Plut.  
Pomp. et  
Cæs.  
Appian.  
Civ. II.  
Vell.

2. Hac re perfecta, consulibus L. Æmilio M. F. Paulo, C. Claudio C. F. Marcello easdem machinas admovit.\* Sed Marcello quidem firma adversus pecuniam constitit integritas: Paullus hactenus flexus, ut adversari desine-

Appian.  
et Plut.

<sup>a</sup> Sestertium sexcenties] Marcus argenti nostrates 234375. Crev.

\* A. U. C. 702. A. C. 59.

ret, acceptam mercedem, trecenties sexagies sestertium,<sup>b</sup> basilicæ suæ impendit, quam post anni sequentis incendium juxta forum extruxit, quo loco prius Fulvia steterat : quasi perituram timeret pessimi facinoris memoriam, nisi admirandi operis dedicatione consecraretur.

Plin. ii. 56. 3. His consulibus, lana pluit circa castellum Cossanum, ubi loci non multo post occisus est Milo. Mula pariens, bonorum interitum, mutationem legum, turpes matronarum partus significasse credita est : sed non erat prodigiis opus, cum pericula et libertatis interitus jam oculis hominum obversarentur. Quotidianæ enim de successione Cæsaris contentiones erant : cum adversus Pompeii potentissimam factionem ille haud minori robore resisteret : neque plus illi prodesse, qui amicitiam profitebantur, quam qui simulabant odium.

Dio et Appian. 4. Cujus rei summus artifex Curio minabatur in speciem Cæsari, consilia communicabat cum Pompeianis : ut et illorum perdisceret intimos sensus, et, donec animum nudare opportunum videretur, plus ex occulto noceret. Maximum hominis vaframentum in eo erat, ut, multis, sed inanibus, effusis in Cæsarem dictis, sensim ad ea quæ Pompeium et optimates offensura erant progrediretur : tanquam neutrarum partium, et libertatis custodiam cuivis gratiæ anteponebat. Nec eo animo ista proponebat, ut decretum iri speraret, aut omnino cuperet decerni : sed his negatis ansa dabatur ei, et quæ contra Cæsarem parabantur citra suspicionem impediendi. Igitur his contentionibus cum temporis permultum esset consumptum, indigne se id ferre simulans, ut intercalaretur postulare cœpit, tanquam spatio indigens ad perferenda quæ vellet.

Dio. Cic. ad Fam. viii. 6. Dio. 5. Erat autem intercalandi apud Romanos, ex magno veterum errore in anno constituendo, orta necessitas : deinde ex ambitione aut ignorantia sacerdotum, quibus ea commissa cura fuerat, mirabilis confusio. Cum enim ad lunæ cursum institutus a Numa Pompilio annus esset,

<sup>b</sup> Trecenties sexagies sestertium] quæ summa male hactenus apud Marcas argenti 110625. Plutarchus et Appianus mille et septuagies quinquies sestertium. Crev. a Cæsare Paulum memorant :

cito apparuit legibus universi hunc ordinem non congruere: futurumque ut quibus mensibus bruma fuisset, iisdem post annos haud plurimos messis esset futura. Igitur dies qui ad solarem annum deerant, inseri constituto jam anno oportuit.

6. Hæc insertio intercalatio appellabatur, ex eo quod nova luna pontifex, calata, hoc est vocata in Capitolium plebe, quot numero dies ad Nonas superessent, indicabat. Unde etiam dies qui primus calabatur, Kalendarum nomen retinuit: et quoniam aliorum mensium quintanæ sunt Nonæ, aliorum septimanæ, calabatur cum hoc discrimine, ut pro ratione mensis, aut, 'dies te quinque calo Juno novella,' aut, 'septem dies te calo Juno novella,' pronuntiaretur. Ceterum non singulis annis, sed per octennia moris erat intercalari: e eaque ipsa res quandoque propter superstitionem omissa erat: nonnunquam vero intempestive usurpata, cum publicanorum cupiditati quidam pontifices gratificati, productiorem aut breviorum annum ex illorum commodo facerent. Non alio autem mense quam Februario intercalari fas erat, Terminalibus jam peractis.

7. Id eo quoque anno fieri Curio cum postularet, non ignorans alienum esse, (nam et ipse erat eo sacerdotio præditus,) ceteri pontifices reclamabant. Igitur cum obtineri non posset de intercalatione, (neque etiam hoc volebat,) quasi per iram, ne ceterarum quidem rerum quicquam agi passus est. Mox apertius pro Cæsare loqui, et, quo agitaret optimates, multas jactare leges cœpit: non quod perferri posse speraret, sed obtentui habiturus ad intercessionem quas parabat: Alimentariam inprimis, et Viariam (qua numerus definiebatur vehiculorum et comitum iter facientibus, prætextu, opinor, Clodianæ necis,

<sup>c</sup> Non singulis annis, sed per octennia moris erat intercalari] Immo altero quoque anno, ita ut alternis binos et videnos, alternis ternos et videnos intercalarent dies: nisi quod tertio quoque octennio, non nonaginta, sed sex et sexaginta dies intercalabant. Vide Macrobr. Cret.

<sup>d</sup> Et Viariam, qua numerus definiebatur vehiculorum et comitum iter facientibus] Addidimus duas primas voces ex Cælii epistola. Ceterum neque Cælius, neque Appianus de numero vehiculorum et comitum ea lege definito quicquam habent. Cret.

Varro de  
Ling. Lat. v.

Macrobr.

Dio.

Cic. ad  
Fam. VIII. 6.  
Dio.

Appian.

Cic.

Appian.

aliaque de muniendis sternendisque viis continebantur) utque ea curatio sibi <sup>1</sup> in quinquennium daretur, ferebat.

Cic. de  
Leg. Agrar.  
II. 8.

Atqui hoc caput contra Liciniam Æbutiamque leges pugnare non ignorabat, ideoque Rullum agrariæ legis auctorem, cum similia peteret, vehementer exagitatam fuisse: sed consulto promulgabat quod a Pompeianis reprehensum, justam sibi causam istis partibus irascendi dedisse videretur.

Appian.

Cic. ad  
Fam. VIII.  
8. et 9.  
Appian.  
Dio. Plut.

8. Cum inter hæc Kalendæ Martiæ venissent, quibus ex senatusconsulto referri de successione Cæsaris oportebat, Caiusque Marcellus ea de re verba fecisset; plerisque assentientibus, collega Marcelli Paullus siluit: Curio, laudato Marcelli animo, 'addendum' monebat, 'ut pariter Pompeius provincias et exercitus suos dimitteret.' Sciebat hoc minime facturum Pompeium Curio: sed prætextum quærebat, per quem Cæsar, quæ habebat, excusatius retineret.

Cic. ad  
Fam. VIII. 9.  
Appian.  
Dio. Plut.

9. Igitur iniquam rem postulare Curionem patres dicebant, Scipio præsertim, qui et nuper sententiam dixerat, 'ne quid conjunctim referretur:' quod tempus imperii Pompeio nondum exierat. Contra Curio 'summam rempublicam agi' vociferabatur: 'neque aut pacem aut libertatem in tuto fore, nisi aut ambo deponerent imperium, aut ambo retinerent. Nam et ab inermibus nihil periculi, et, si uterque habeat exercitum, contra alterius cupiditates in altero præsidium fore.' Hæc in speciem tam honesta populo mire probabantur, cui alioquin ob legem ambitus, qua largitiones accisæ fuerant, cœperat Pompeius esse vilior.

Plut. Pomp.  
Vell. II. 48.  
Cic. Tusc.  
I. 35.  
Juv. Sat.  
x. 283.  
Dio. XI. 1.  
Cic. ad  
Att. VIII.  
16. et IX. 5.

10. Sed apud ceteros mortales auctoritas ejus et fama longe erat maxima: idque hoc tempore apparuit, cum Campaniam obiens, Neapoli graviter ægrotare cœpisset. Tum enim, auctore Praxagora, Neapolitani pro salute ejus publice vota susceperunt, qui ante eum honor nemini Romano contigerat: et hoc exemplum, aliis amore, multis per simulationem paria facientibus, universa imitata Italia est. Deinde postquam convaluit, inaudita passim

<sup>1</sup> *Soli pro sibi legebatur ante Crev.*



lætitia et gratulatio orta, coronati Neapolitani, coronati Plut. Puteolani, feriæ ubivis per multos dies fuerunt. Quocumque adisset, infinita multitudo procedebat obviam: vici portusque sacrificantium epulantiumque agminibus complebantur: excipiebatur cum facibus, in deducendo floribus spargebatur.

11. Atque ea res mirifice inflavit Pompeium, ut jam valde inciperet contemnere Cæsarem, minusque se pararet ad tam grave certamen. Præmisit tamen ad senatum <sup>Appian.</sup> literas, et Cæsaris honorifica facta mentione, ad suarum rerum enumerationem transiit, quas ab initio ad ea usque tempora gessisset. ‘ Neque se affectasse nimios honores: sed tertium consulatum, exercitumque et provincias ultro delatas, quo præsidium constituendæ reipublicæ haberet, accepisse. Nunc autem, quæ ingesta recusanti essent, volentem se reddere repetentibus, licet nondum exactum imperii tempus haberet.’

12. Hoc eo pertinebat, ut et suam modestiam commendaret, et invidiam faceret Cæsari, qui ne finito quidem imperio decederet. Mox ad Urbem cum venisset, in eandem sententiam locutus, ‘ idem etiam placere Cæsari’ affirmabat, ‘ post tot exantlatos pro republica labores, victoriarum suarum præmiis in urbano otio, honoribusque, et sacerdotiis, frui desideranti.’

13. Sed astutiam ejus Curio coarguit, siquidem eo esset animo, statim deponere potestatem jubens: neque hoc agere, ut, ipso retinente imperium, Cæsari successor mittatur. Postremo aperte invectus in Pompeii cupiditatem, nisi nunc metu Cæsaris cogatur in ordinem, nunquam deinde abiturum imperio dietitabat. ‘ Idcirco sibi placere decerni, uti ambo simul accipiant successores: utique, nisi voluntati senatus paruerint, hostes judicentur; legionesque scribantur ad bellum.’ Hac sententia maxime textit fraudem, ut æqualiter animatus in utrumque, neque emtus a Cæsare crederetur. At Pompeius, supra modum irritatus, cum multis in Curionem minis, ad suburbanæ prædiæ se recepit.

14. Senatus jam utrumque suspectum habere cœperat: modestiorem tamen Pompeium judicabat, et quam esset

contentim a Cæsare consule habitus, recordabatur. Igitur multi ea in sententia erant, non ante dimittendos a Pompeio exercitus, quam Cæsar provincia decessisset; cuius absentiam et spiritus minus civiles vehementius perhorrescebant. Adversus hos cum pugnando nihil efficere Curio posset, ne quid forte contra Cæsarem decerneretur, pro tribunitia potestate senatum dimisit. Tum primum serio doluisse Pompeium ferunt, quod eam potestatem, a Sylla propemodum abolitam, restituendi auctor fuisset. Nihil igitur decretum nisi, 'singulas legiones a Cæsare et Pompeio in Syriam ad Bibulum mitti, propter Parthicum bellum amplioribus copiis egentem.'

Dio, x. l.  
Plut.  
Pomp. et  
Cæs.  
Hirt. de B.  
Gall. VIII.

15. Non fallebat Cæsarem hoc ab inimicis agi, ut duabus ipse legionibus spoliaretur. Quippe Pompeius, quam post Titurii cladem ad Cæsarem miserat, tanquam ex suo numero dabat. Tamen et hanc remisit incontanter, et ex suis quintamdecimam, quam in Gallia citeriore habuerat. Militibus duccenos quinquagenos denarios<sup>e</sup> dono dedit. Hos qui adduxerant, dolo an stultitia incertum, mire deprimebant Cæsarem. 'Nihil eo apud exercitum odiosius esse, cunctis finem laborum, conspectum patriæ, et ab diuturna dominatione libertatem et otium respicientibus: neque dubitare, transituros ad Pompeium universos, simul atque reducti in Italiam forent.' Id quoque negligentiore effecit Pompeium, cuncta sibi, simul annuisset, proclivia fore existimantem. Legiones, quia Parthi recessisse nuntiabantur, retentæ nihilominus in Italia, Capuæ hyemarunt.

Plut. et  
Appian.

Plut.

Cic. ad  
Fam. II. 17.  
Hirt. Dio.  
Appian.

Dio, p. 85.

16. Namque Bibulus provinciæ suæ pacem, conflato inter Parthos civili bello, procuraverat. Ornodapantes satrapa, infestus regi Orodi, ut receptum apud Romanos haberet, cum Bibulo amicitiam instituerat. Hunc igitur erebris nuntiis impulit, ut, Pacoro rege constituto, bellum Orodi faceret.

Id. p. 93.

17. At Cæsar neque lubenter positurus imperium, cui tam diu assueverat, et, si deponeret, in potestate futurus

<sup>e</sup> *Duccenos quinquagenos denarios*] Marcus argenti ternas, uncias 7. grossos 2. *Crer.*

inimicorum, omnes rationes suas ita parabat, ut, si volentibus obtinere quod cupiebat nequiret, vel invitis omnibus assequeretur. Igitur jam a multo tempore nihil, quod aut ad gratiam hominum parandam, aut ad opes suas stabilendas pertinere, prætermiserat. Forum inchoaverat de manubiis, solo tantum super sestertium millies<sup>f</sup> emto: munus populo epulumque pronuntiarat in filiae memoriam, cum in mortibus matronarum id adhuc nemo fecisset: legionibus stipendium in perpetuum duplicaverat: frumentum sæpe sine modo ac mensura præbuerat: mancipia, prædia viritim distribuerat: regibus captivorum millia dono dederat, et citra senatus populive jussum auxilia, quotiens et quo petissent, miserat: Italiae, Galliae, Hispaniarum, Asiae quoque et Graeciae urbes munitissimas præcipuis operibus exornarat. Tum vero et milites conscrip-

Sueton.  
Cæs. c. 26.  
Plut. Cat.  
et Cæs. et  
Pomp.  
Plin.  
xxxvi. 15.  
Sueton.  
Cæs. 26. et  
28.

Dio.

18. Inter hæc et provinciam ordinavit summa humanitate; nisi quod, imposito tributo, victam se fateri Galliam coëgit. Id quoque pro magnitudine et opibus provinciarum modicum: quadriagenties<sup>g</sup> in singulos annos stipendii nomine conferri jussit. Deinde per speciem commendandi M. Antonii, qui auguratum petebat, in Galliam Togatam transgressus, municipia et colonias appellavit: haud minoribus exceptus honoribus, quam antea Pompeio fuisse exhibitos scripsimus. Hæc omnia Cæsar eo fecerat studiosius, quod adversarii ejus valde exultabant consulibus designatis L. Lentulo, C. Marcello, et Ser. Galba repulso, qui legatus Cæsarum fuerat; quamquam is gratia suffragiisque plus valuisset. Quippe plurimum in Urbe Pompeius poterat, plerisque suffragantibus, et inter hos Ap. Claudio censore.

Hirt.  
Sex. Ruf.  
Vell. ii. 39.  
Sueton.  
Cæs. c. 25.  
Eutrop. vi.  
Hirt.

19. Nam et postremam liberæ reipublicæ censuram Appius hic, collega L. Pisone, exercuit. Et Piso quidem studebat genero Cæsari: Appius inimicus dum nocere conatur, plus etiam invitus insciisque proderat.

<sup>f</sup> *Super sestertium millies*] Vocem *super* addidimus ex Suetonio. *Sestertium millies* summa est immanis, marcæ argenti

390625. *Crev.*

<sup>g</sup> *Quadriagenties*] *Marcas argenti* 156250. *Crev.*

Cic. in  
Pis. c. 25.  
Dio.

Nam Piso, ob affinitatem Cæsaris et alioquin negotiorum minime appetens, (quippe opinionibus Epicureorum deditus, ne censuram quidem suscipere voluerat,) notabat neminem : Appius multos equites senatoresque notando, ut postmodo Cæsaris partibus cupidius se applicarent efficiebat.

Cic. in  
Sallust.  
Acron in  
Hor. Sat.  
l. 2.  
Cic. de  
Div. l. 16.

20. Jam primum libertini generis quotquot erant, movebat senatu : deinde multis etiam nobilibus eandem impingebat ignominiam. Hos inter et Sallustius Crispus curia exactus est : cum censoribus in senatu ' se non matronarum, sed libertinarum sectatorem esse ' respondisset. Notavit et C. Ateium, virum bonum et civem egregium, qui M. Crasso ad bellum Parthicum proficiscenti tribunus plebis obnuntiaverat. ' Ob eam causam ' subscripsit censor ' populum Romanum calamitatem maximam accepisse. ' Similis ejusdem, sed justior, severitas in eos qui signa tabulasque ad ornamenta munerum a sociis mutuati, postea pro suo retinuerant.<sup>h</sup>

Cic. ad  
Att. vi. 8.  
et ad Fam.  
viii. 14.  
Dio.

21. Sed maxima cum Curione dimicatio fuit. Notaturus enim et hunc Appius, quanquam Pisone collega, et cognato Curionis Paulo deprecantibus, sententiam suam in senatu palam ostenderat : quæ res acerrimos excitavit motus. Quippe Paullus præ dolore vestem scidit. At consul Marcellus sperans hac occasione contra Cæsarem aliquid decretum iri, ea de re statim referre cœpit. Curio primum repugnare, nec jure, nec more facturum dicere, si de se sententias roget. Mox animadverso, magnam presentium partem Cæsaris totam esse, ceteros plebrosque, ne quid adversus illum audeant, metu prohiberi ; ' Ego vero, ' inquit, ' vitam actionesque meas ita institui, ut illius non pudeat, hæ ad patriæ pertineant utilitatem. Neque recuso vobis rationem omnium reddere, patres conscripti. Vos, uti videbitur e republica et fide vestra, de me statueritis. ' Ibi C. Marcellus consul ita Curio-

<sup>h</sup> Qui signa tabulasque . . . a sociis mutuati, postea pro suo retinuerant] Id tantum colligitur ex Cicerone et Cælio, Appium circa signa tabulasque severum censorem egisse. Quidam Ci-

ceronis interpretes, quos secutus est Pighius, sive Schottus, ex prava Ciceronis verborum lectione et interpretatione id commenti sunt, quod hoc loco Freinshemius habet. *Crev.*

nem accusavit, ut damnatum iri plane confideret. Sed postquam plurimum sententiis absolvi reum, atque adeo defendi ornarique vidit, ira correptus, senatu se proripuit.

22. Plane is erat animorum habitus, ut promiores in Pompeii causam patres essent; sed tamen saepe Cæsarianorum violentia superati his utiliora decernerent. Et consules quidem designati Pompeianarum partium erant. Igitur Cæsar literas ad senatum misit, ‘ne sibi beneficium populi adimeretur; aut saltem reliqui etiam imperatores ab exercitibus discederent.’

23. Erant hæc astutissime excogitata: quicquid enim esset factum, pro Cæsare futurum erat. Nam si tam æqua conditio repudiaretur, favorem hominum erat habiturus, tanquam ab inimicis contra fas et æquitatem premeretur: relicta potestate, magis confirmabatur: sin et Pompeius dimitteret exercitum, celerius se convocaturum veteranos suos, quam Pompeium novos milites, sperabat. Has literas cum pro concione recitasset Curio, seque diceret enixe laboraturum, ut rempublicam omni metu liberaret; maximo favore plausuque populi exceptus est, floresque etserta in eum jaeta.

24. At, ubi est his de rebus in senatu relatum, Cæsari plerique omnes abrogarunt imperium, relinquebant Pompeio: nam astutia consulis seorsim, de utroque relatum erat. Igitur Curio denuo conjunctim referre cœpit, ‘placeretne discedere utrumque ab armis, exercitusque dimittere?’ Ibi duobus tantum et viginti renuentibus, trecenti septuaginta in sententiam Curionis discesserunt. Hoc ubi factum est, C. Marcellus senatum dimittens, ‘Vincite,’ exclamat, ‘ut dominum habeatis Cæsarem.’ Intercessione tamen amicorum Pompeii, adjuvante consule, res effectu caruit.

25. Sed et falso rumore venientis cum exercitu Cæsaris Urbs exterrita trepidabat: quo usus C. Marcellus senatu coacto retulit de legionibus quas retentas fuisse Capuæ diximus, uti contra Cæsarem mitterentur. Sed obsistebat C. Curio, frustra que hæc dici eredi que testabatur. Ergo consul, ‘Quandoquidem,’ inquit, ‘de communi senatus sententia reipublicæ consulere prohibeor, at

Plut. Dio. Appian. ego saltem pro potestate mea consulam.' Simul exsiliens curia, 'in suburbium, ubi Pompeius agebat, procurrat; porrectoque ei gladio, 'Jubemus te,' inquit, 'contra Cæsarem bellare pro patria, copiasque tibi tradimus, et quæ nunc Capuæ, aut per ceteram Italiam sunt, et quas

Plut. Dio. ex novis parare delectibus voles.' Nam una secum consules designatos adduxerat, ne res a se solo suscepta parum haberet momenti. Jam enim in exitu consulatus ei erat: sub quod tempus designatorum jam multum valebat auctoritas, quibus et literæ tradebantur ad senatum scriptæ; et alia quædam gerere pro consulibus licebat.

Appian. Dio. 26. At Pompeius, cum semper fuisset in ejusmodi rebus accuratus et diligens; cupidius quam prudentius oblatum accepit imperium, neque a quibus sibi, neque quomodo mandaretur, considerans: in speciem tamen modestiæ, hic quoque illud suum, 'Nisi quid melius,' subjecit. Hoc pacto palam susceptis cum Cæsare inimicitiiis, cum segnius cetera quam pro magnitudine rei administraret, nihil profecit ultra, quam ut Cæsari retinendarum legionum honestiorem prætextum conciliaret; simul laxaret vincula spei et pudoris, quibus hactenus retenta cupiditas] ejus ambiguis inter pacem et arma consilii fluctuaverat.

Appian. Dio. Appian. 27. Sed Curio, cognitis, quæ essent acta, cum aliud pro Cæsare nihil posset, continuis concionibus apud populum tempora reipublicæ deflebat; Pompeium et consules accusans: jubebatque hos edicere ne quis nomen daret conscribenti milites Pompeio. Quod ubi frustra tentatum est, atque interea tribunatus tempus exivit; sibi quoque timens, ad Cæsarem excurrit, qui tum recens cum peditum millibus quinque et equitibus trecentis (tertia decima legio erat) Ravennam pervenerat; quæ extrema provinciæ ejus urbs, eademque Italiæ proxima erat.

Hirt. Appian. Plut. Anton. 28. Ne tamen inimicos Pompeius in Urbe desideraret, M. Antonius inuito tribunatu plebis, rogationem promulgavit, 'ut legiones duæ, Parthici belli causa in Italiam deductæ, ad M. Bibulum mitterentur: Pompeio scribendi militis jus ne esset: neve quis delectum habenti respondere ad nomen cogeretur.' Quin et in concione populi

A. D. x. Kalendas Januarias habita, in Pompeium in-  
vectus, omnia ejus acta, jam usque a toga pura, petulan-  
tissime traduxit.

29. Interea Cæsar comiter exceptum Curionem in con- Appian.  
siliium adhibuit de præsentibus. Neque dubitabat ille,  
quin arcessendus prope exercitus, et experiendum armis  
esset. At Cæsar, speciem præferens æquitatis et elemen-  
tiæ, cum interim nihilo segnius pararet bellum, ad amicos  
in Urbem scribit, ‘uti cum adversariis paciscantur, quo Plut. Cæs.  
dimissis octo legionibus, Transalpinaque Gallia, Cisalpi- et Appian.  
nam et Illyricum cum duabus legionibus retineret, donec  
consul iterum factus esset.’ Simul Curioni dedit ad sena- Dio, xlii.  
tum literas, quibus post commemorationem eorum quæ et Appian.  
per tot annos pro republica strenue fortiterque gessisset,  
purgabat objecta sibi crimina: paratum ostendens ab  
exercitu discedere, si Pompeius idem faciat. Sin vero,  
neque se commissurum, ut inermis objiciatur inimicorum  
crudelitati; sed affuturum impigre, quo reipublicæ suam-  
que injuriam defendat.

30. Has literas A. D. Kalendas Januarias, quo die C.  
Claudius M. F. M. N. Marellus, L. Cornelius P. F.  
Lentulus inierunt, C. Curio consulibus tradidit; \* triduo  
cursu ad centum sexaginta millia passuum<sup>1</sup> emensus.  
Sed neque pacta cum adversariis, neque literæ quicquam  
ad concordiam valuerunt. Sane M. Cicero, qui recens  
reversus e provincia triumphi petendi causa ad Urbem Plut. Cic.  
erat, magnopere conabatur his malis mederi: jamque eo et Cæs. et  
profecerat, ut Pompeius flecteretur: neque Cæsar’s amici Pomp.  
recusarent, quominus ‘una legione cum Illyrico provincia Cic. ad  
contentus Cæsar esset.’ Sed mirus invaserat furor homi- Fam. xvi.  
num mentes, ut potius civili bello collidi cuperent: Len- 11. Plut.  
Cic. ad  
Fam. xvi.  
12.

\* A. U. C. 703. A. C. 49.

<sup>1</sup> Centum sexaginta millia pas-  
suum] Lencas nostrates plus 53.  
Ceterum sequitur hic interpre-  
tem Appiani Freinshemius. Nam  
Appianus ipse Curionem trecenta  
supra ter mille stadia emen-  
sum esse dicit, id est, millia pas-  
suum plus quadringenta. Qui

numerus stare non potest. Ra-  
vennæ enim tum erat Cæsar:  
quæ urbs longe propius ab Ro-  
ma abest. Distantia tamen,  
quam Appiani interpret et Frein-  
shemius exprimunt, justo bre-  
vior est. Sed multo minor est  
error. Crev.

Vell. II. 49. tulo præsertim implacabili, qui, salva republica, salvus esse non poterat; et M. Catone, negante facturum ulla de republica pactiones.

Cæs. de B. Civ. I. Dio. Plut. Anton. 31. Quin neque literas Cæsaris in senatu recitare consules volebant; quanquam Curio, ne supprimerentur, in ipsa curia exhibuerat: donec Q. Cassius Longinus, M. Antonius tribuni plebis recitari publice jusserunt. Erant illæ cetera quidem lenissime scriptæ; sed postrema verba effecerant, ut minaces et acerbæ viderentur. Sane cum recitarentur, bellum haud obscure denuntiari conclamatum est. Secessionem deinde facere consules ceperunt, veriti ne forte, si voce sententiæ dicerentur, multi verecundia, plures metu Cæsaris mitius censerent. Ibi cum de Cæsare referretur, 'ipsumne ponere imperium vellent?' in eam partem omnes discesserunt; Pompeium nemo sustinuit offendere: armatus enim hic, et ad Urbem erat.

Cæs. 32. Marcus tamen Marcellus non ante referendum de republica censuit, quam præsidium senatus haberet, tuto et libere, quæ vellet, decernendi. M. Calidius Pompeium jubebat in suas provincias proficisci, ne qua esset armorum causa: eandemque sententiam M. Cælius Rufus, modo ædilitate perfunctus, sequebatur. Præterea C. Curio haud dissimulanter pro Cæsare pugnabat. Sed horum sine magistratu studium levioris operæ fuit. M. Antonius, tribunitia potestate subnixus, quemadmodum Plut. Cæs. et Anton. Curio nuper, de utroque conjunctim referendum esse clamitabat cum assensu patrum: et erant qui discessionem flagitarent. Sed ea quidem res a consulibus impedita est: senatusconsulto, quod fiebat in sententiam Metelli Scipionis, 'uti ante certam diem exercitum dimitteret Cæsar, aut pro hoste esset,' tribuni plebis intercesserunt.

Cæs. Appian. Dio. Plut. Cæs.

33. Postridie cum iterum senatus haberetur, L. Piso censor, itemque prætor L. Roscius, quorum alter socer erat Cæsaris, alter legatus in Gallia fuerat, ad Cæsarem ituros obtulerunt, ut eum docerent de rebus omnibus: fuerunt et ab aliis sententiæ dictæ, legatos mitti ad Cæsarem oportere, qui ei voluntatem exponant senatus. Sed

Cæs. de B. Gall. v. Cæs. de B. Civ. I.



his omnibus Pompeiana factio, Cæsarisque inimici, consul præcipue Lentulus, Scipioque et Cato restiterunt. Cum iterum hic dies sic abivisset, ut decerni nihil posset, Dio. senatus vestem mutandum censuit: tribunis tamen intercessionem non remittentibus, fieri senatusconsultum nequivit; auctoritas perscripta est.

34. At Pompeiani patres, veste lugubri sumta redierunt in curiam, confestimque referri de intercessionem tribunorum postularunt; Pompeianum exercitum præsidium suum, Cæsarem hostem reipublicæ appellantes. Cum acerbissimæ sententiæ dicerentur, et consul Lentulus, priusquam perrogatum esset, exire tribunos, sibi que consulere juberet, ‘ne longe ab his sacrosancta potestas esset;’ exurgens Antonius magno clamore vim incusans ipsisque, et Cæsari, et juri tribunitio illatam; ad prostremum quasi furibundus imprecari diras, vaticinari bella, cædes, exilia, proscriptiones denuntiari ausus, ex curia profugit. Exeuntem collega Cassius, Marcusque Cælius et C. Curio secuti, ultimum discrimen haud multo anteverterunt. Jam enim armati e Pompeianis ventitabant cincturi curiam. At illi proxima nocte, servili habitu sumto, meritoria rheda ad Cæsarem perfugerunt.

35. Exactis ex curia tribunis, sententiæ dicuntur, ‘ne illi atque eorum satellites pro senatoribus habeantur:’ ad illud extremum atque ultimum senatusconsultum, quo nisi in summo omnium periculo descensum non fuerat, decurritur: ‘dent operam consules, prætores, tribuni plebis, quique pro consulibus sint ad Urbem, ne quid reipublica detrimenti capiat.’

36. Post paucos dies, senatu extra Urbem habito, uti Pompeius interesset, tumultum esse decreverunt. Pompeium delectus habere tota Italia jusserunt, veteranorum præcipue, donec ex eo genere centum triginta militum millia conficerentur: sed et ex vicinis nationibus, uti quæque virtute præstaret, mercede conducere; in eos usus pecunias ex arario sumere. Magnæ tamen summæ a privatis offerebantur: et per oppida missi, qui festinanter et acerbè conquirent. Provinciæ quoque privatis

Cæs.

Appian.

Cæs.

Dio.

Appian.

Plut.

Anton. et

Cæs.

Appian.

Dio. Cæs.

Oros. vi.

15.

Appian.

Dio.

Cæs.

Cic. ad

Fam. xvi.

11.

Cæs.

Dio.

Plut.

Pomp. et

Cæs.

Appian.

Cæs.

Cic. ad  
Fam. xvi.  
12.  
Cæs.

datæ: duæ consulares, reliquæ prætoriam. Scipioni<sup>2</sup> Syria obvenit: L. Domitio Gallia ulterior. Nam citerior prætoriam Considio Noniano obtigerat. In reliquas prætoriam mittuntur, cum neque ad populum ex more latum de imperio illorum esset, neque paludati votis nuncupatis exirent.

Appian.

Plut. Cæs.  
Cæs.

37. Sed Pompeius ad omnia satis se spatii habiturum rebatur, donec exercitum Cæsar e provinciis arcesseret. Et ille quidem miserat adducturos: sed interim plus in celeritate quam viribus esse reputans ad primos belli terrores, apud milites quos habebat Ravennæ, concionatur: omniumque temporum injurias inimicorum in se commemorat, (placet enim quæ a se tum dicta tradit ipsius verbis exponere,) ‘a quibus deductum et depravatum Pompeium’ queritur ‘invidia et obtreptione laudis suæ, cujus ipse honori et dignitati semper faverit adjutorque fuerit. Novum in republica introductum exemplum, ut tribunitia intercessio armis notaretur atque opprimeretur, quæ superioribus annis<sup>3</sup> esset restituta. Syllam, nudata omnibus rebus tribunitia potestate, tamen intercessionem liberam reliquisse. Pompeium, qui amissa restituisse videatur bona, etiam quæ ante habuerit, ademisse.

38. ‘Quotiescumque sit decretum, darent magistratus operam, ne quid respublica detrimenti caperet, (qua voce et quo senatusconsulto populus Romanus ad arma sit vocatus) factum in perniciosis legibus, in vi tribunitia, in secessione populi, templis locisque editoribus occupatis: atque hæc superioris ætatis exempla expiata Saturnini atque Gracchorum casibus’ docet. ‘Quarum rerum illo tempore nihil factum, ne cogitatum quidem: nulla lex promulgata, non cum populo agi cœptum, nulla secessio facta.’ Hortatur, ‘cujus imperatoris ductu IX. annis rempublicam felicissime gesserint, plurimaque prælia secunda fecerint, omnem Galliam Germaniamque pacaverint, ut ejus existimationem dignitatemque ab inimicis defendant.’

<sup>2</sup> L. præponunt edd. ante Crev.

<sup>3</sup> Armis post annis invenitur in edd. ante Crev.

39. Auctore Lælio<sup>k</sup> primipili centurione, conclamant milites, ‘ sese paratos esse imperatoris sui tribunorumque plebis injurias defendere.’ Igitur Cæsar tribunis centurionibusque imperat, ‘ uti, relictis armis aliis, gladio tantum accincti cum delectis pergant Ariminum, eamque coloniam, quanto possint silentio, occupent.’ Ita clam præmisso Q. Hortensio, oratoris filio, cum cohortibus decem, qua tantula manu ‘ terrarum orbem,’ ut ait Livius, ‘ adortus est,’ ipse, ne qua suspicio oriretur, gladiatores perspectavit, et formam qua ludum erat ædificaturus inspexit, et ex consuetudine convivium frequens ingressus est: sed incipiente nocte discedens, tanquam leviter affecto corpore, et rediturus, comiter compellatis convivis, paucos amicorum secreto monuit, ut cum equitibus alius alia via sequerentur: mulisque e proximo pistrino ad meritorem vehiculum junctis, cum aliud iter ingressus, paulo post ad Ariminensem viam extinctis luminibus deflecteret, per impedita loca diu oberravit. Sub lucem deinde duce reperto per angustissimos tramites pedes evasis, præmissasque cohortes circa Rubiconem assecutus est.

Lucan. 1.  
356.  
Cæs.  
Plut. Cæs.

Appian.  
Oros. vi.  
15.  
Suet. Cæs.  
31.

Plut. App.  
et Suet.

40. Fluviole is modicus est inter Raveunam et Ariminum: hodie vocatur Pisciatello.<sup>1</sup> Sed majoribus hoc termino Galliam ab Italia discriminare placuerat. Viso Rubicone primum substitit Cæsar, quantam bellorum molem transitus hic exciturus esset, reputans: conversusque ad proximos, quos inter et Asinius Pollio aderat; ‘ Etiam nunc,’ inquit, ‘ regredi possumus: quod si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt. Sed quid agam, si transitus meus humano generi calamitosus est futurus, reditus mihi?’

Jo. Bocat.  
de Flum.  
Lucan. 1.  
213.  
Plut. Cæs.  
et Pomp.  
Appian.  
Suet.

Appian.

Suet.

41. Dum ita contatur Cæsar, repente quidam apparuit in proximo, canens arundine. Quem ad audiendum videndumque, nam erat magnitudine et forma non vulgari, cum multi ex stationibus milites accurrissent, interque eos et æneatores; rapta ille tuba procurrat in flumen, et

<sup>k</sup> Auctore Lælio] Parvi refert; sed tamen annotare non pigebit Lælium a Lucano non hac in concione nominari, sed in eamquam Cæsar Arimini habuit, de qua infra, c. 42. *Crev.*  
<sup>1</sup> Hodie vocatur Pisciatello] Quidam existimant Rubiconem potius esse fluviole, qui dicitur Luso. *Crev.*

- ingenti spiritu classicum exorsus, in alteram ripam evasit. Tum Cæsar, ‘Eatur,’ inquit, ‘quo Deorum ostenta, et inimicorum iniquitas vocat. Jacta alea est.’ Statimque trajectis militibus, nihil moratus tenebras, Ariminum pergit; idque oppidum sub lucem ingressus occupat.
- Plut.  
Appian.  
Dio. Plut.  
Oros.  
Cæs. Dio.  
Sueton.  
Appian.
42. Ibi concione militum advocata, tribunos plebis, qui Urbe pulsati supervenerant adhibuit, ut erant servili habitu tecti. Hæc tam fœda species mirifice inflammavit militum animos, cum præsertim neque Cæsar ipse, neque tribuni deessent rem per se satis tristem exaggerare verbis. Curio etiam, ut erat promptæ eloquentiæ, jussu Cæsaris acta docuit milites, vehementer accendens ad vindictam animos. ‘Nihil enim ultra rite ac ordine Romæ geri: non fas respici, non jus: sacrosanctam potestatem conculcari: penes malos omnem potentiam: melioribus aut tacitam servitutem, aut, si loqui ausint, fugam, cædem, pericula esse proposita.’ Et quo vehementiores adhiberet mentibus faces, flens Cæsar, et a pectore discissa veste, fidem militum invocabat. Assensere milites ingenti fremitu; cum ad omnia promptos imperatori liberalitas ejus, et fortuna faceret: errore quoque concionis extremæ adjuvante, quæ promissum omnibus jus aureorum annulorum cum equestri censu inde credidit, quia Cæsar ad satisfaciendum militibus annulum quoque æquo animo sibi detracturum dicens, sæpius digitum lævæ manus ostenderat. Sic incitatis cohortibus, ad vicina quæque porrigens manus, quantum pro copia præsentem poterat, opportuna loca recipere instituit.
- Sueton.  
Lucan.
- Sueton.
- Appian.  
Dio.
- Appian.  
et Lucan.
43. Sed hæc, non qualia erant, sed multis modis majora, terror subitus, et agrestium fuga per Italiam ac in Urbe vulgaverat; venire Cæsarem cum omni exercitu, Gallorumque et Germanorum ingentibus auxiliis. Ergo sævius quam ullo Gallico Cimbricove tumultu percussi omnium animi, sine consilio, sine spe, trepidabant. Neque vulgi tantum hæc recordia, sed magis etiam patrum erat: quorum<sup>4</sup> pavore et querelis Pompeius quoque, ne pro sua virtute et peritia rebus præsentibus consulere posset, turbabatur.
- Plut.  
Appian.

<sup>4</sup> Cum pro quorum legebatur ante Crev.

44. Alii præterita objiciebant, quæ jam emendari non poterant: ‘ nunc dare ipsum pœnas sprete optimorum virorum consilii, qui Cæsaris amicitiam ipsi patriæque funestam fore prædixissent.’ Hæc exprobranti Catoni Pompeius respondit, ‘ illum melius divinasse, se egisse simplicius et amicius.’ Plures erant, quos conditiones Cæsaris non admisisse pœniteret. Plerique cum Pompeio expostulabant, ‘ quid ita, cum esset tam flagitiose imparatus, acerrimum ducem exercitumque provocasset?’ Nam quærenti L. Volcatio Tullo viro consulari, ‘ ecquid paratas haberet copias?’ hæsitanter responderat, ‘ duas legiones, quæ essent missæ a Cæsare, paratas esse: arbitrari et de novis delectibus legiones quinque cogi posse.’ Ibi exclamavit Tullus, ‘ Decepisti nos, Pompei!’ Nuper enim in senatu legiones habere sese paratas decem confirmaverat. M. Favonius adjecit, ‘ nunc esse tempus pede pereutiendi terram:’ quod aliquando jactabundus dixerat, ‘ ubi pede terram pulsasset, affatim exsilituras equitum peditumque copias.’

Plut. Cat.  
et Pomp.Appian.  
Plut.Cic. ad  
Att. vii. 15.  
Plut. Pomp.Cæs. de  
B. Civ. 1. 6.  
Plut. Cat.  
et Pomp.  
Appian.

45. Et vincebat ille quidem adhuc Cæsarem militum numero, adjunctis Hispaniensibus; sed a suis consiliis trepidatione patrum velut fluctu auferebatur. Tullus mittendos de pace legatos censere: abnuere Cato, et Pompeio summam imperii decernere, ‘ eorundem esse magna mala et facere et comprimere’ dictitans. In hanc sententiam itum: et Pompeius ‘ non esse in parietibus rempublicam’ ferens, sequi jussis magistratibus omnique senatu, et, si quis remansisset, pro hoste habiturum denuntians, Urbem reliquit.

Plut. Cæs.

Plut.  
Pomp. et  
Cat.Cic. ad  
Att. vii. 11.  
Appian.  
Dio.

46. Consules statim, ne sacris quidem solennibus factis, (quod ante id tempus acciderat nunquam,) secuti sunt. Reliqui patrum inopes consilii stupentesque in curia pernoctarunt. Diluculo demum, paucis, qui Cæsaris aut neutrarum partium erant, manentibus, (quanquam et ex illo numero quidam dicuntur profecti,) excesserunt.

Plut. Cæs.  
Cæs.  
Appian.Plut. Cæs.  
Dio.

47. Ergo tanquam ex hostili terra fit fugæ similis profectio: complentur agminibus exeuntium viæ, completur clamoribus tumultuque cælum: fit deserentium emittentiumque suos comploratio: moram caritas, festinationem metus imperat: nemini non res misera, acerba, atrox vi-

Appian.  
Plut. Cæs.  
et Pomp.  
Lucan.  
Petron.  
Carm. Dio.

detur. Nam et qui cum tota familia egrediebantur, desperato reditu, vix poterant ab extremo patriæ conspectu avelli: et qui suos relinquebant, plus angebantur, carissima pignora mox in potestate ejus futura reputantes, contra quem ipsi ferrum stringerent. Plebs autem Romana consiliis armisque orbam, et expositam lubrici victoris Urbem reputans, superiorum civilium bellorum mala, direptiones, cædes, incendia loquebatur: majori timore, quod a Cæsare magna barbarorum adduci multitudo diceretur.

Appian.  
Dio.  
Lucan.  
Petron.

48. Aggravabant angebantque horrorem nuntiata nuper prodigia numero et feditate terribilia. Nam in ipsa Urbe lupi noctuæque frequentes apparuerant: sanguinæ pluviæ, terræ motus crebri cum mugitibus, etiam Romæ, simulacrorum sudores, multis ex locis nuntiabantur. Sed et fax ab occidente in orientem ferri conspecta erat: multa fana fulmine taeta; ipsum Capitolium, ubi et sceptrum Jovis et galea Martis percussa sunt, itemque æra legum. Ædificia multa, quæ inter et Quirini fanum, incendio hausta. Sol totus obscuratus est. Monstrous animalium partus editi: minacia carmina pro Sibyllinis vulgata; passimque furore correpti dira multa cecinerunt. In Cumano arbor subsedit, paucis ramis eminentibus. Ob eam rem aditi libri, repertumque interneconem hominum fore, tantoque majorem, quanto propius ab Urbe ostentum factum esset.

Plin.  
xvii. 5.

Dio.

49. Sed et ominibus accensa est moris antiqui prætermissio, quod nullus feriarum Latinarum causa præfectus Urbi creatus fuit: idque anno sequente pariter omissum, vices præfecti prætoribus interim obentibus. Eodem anno M. Perperna mortuus est, novissimus omnium quos consul in senatu sententiam rogaverat: neque plus septem in vita reliquit ex iis, quos ante septimum et tricesimum annum cum L. Philippo censor in senatum legerat. Ea quoque res, quemadmodum et cetera quæ acciderant, finem senatus, mutationemque reipublicæ visa portendere.

Val. Max.  
viii. 13.  
Dio.  
Plin.  
vii. 48.  
Val. Max.  
Dio.

Cæs.

50. In hoc metu cum plerique mittendos ad Cæsarem legatos dicerent, non abnuente Pompeio, quin et mandata privati officii addente, L. Cæsar, cujus pater legatus erat

Cæsaris, et L. Roscius prætor, Ariminum profecti, Cæsarem orare instituerunt, discederet ab armis, suasque injurias reipublicæ donaret. Cæsar paulo diversa ab his quæ per epistolam postulaverat, respondit. ‘ Pompeius eat in Hispaniam: delectus et præsidia contra se comparata dimittantur. Se ulteriorem Galliam Domitio, citiorem M. Considio Noniano traditurum: ad consulatus petitionem venturum. Neque jam velle rationem haberi absentis: trinundinum petiturum.’ Et quo facilius conveniret, petiit ut colloquendi causa propius accedat Pompeius, aut se accedere patiatur. Cum his mandatis reversi Pompeium et consules Theani repererunt, ante diem VIII. Kalendas Februarias; quo die ad eos T. Labienus, damnata Cæsaris causa, venerat.

Cic. ad  
Fam. xvi.  
12. et ad  
Att. vii. 13.  
Dio. Cæs.

Cic. ad  
Att. vii. 14.  
et 13.  
ep. 12.

51. Is diu ab inimicis Cæsaris sollicitatus, a quo maximis auctus honoribus, omnibusque nuper trans Alpes copiis præfectus fuerat, fortunam imbecillo animo ferens, Cæsarem, jam et ipsum propter insolentiam hominis in amore frigidiorum, reliquerat; speciem magis, quam vires, ut exitus docuit, prælatis partibus afferens. Huic tamen Cæsar, pro solita animi magnitudine, pecuniam, cujus ille prædives erat, et sarcinas omnes remisit.

Hirt. de B.  
Gall. viii.

Dio.

Plut. Cæs.

52. Conditiones Cæsaris nec rejectæ omnes, nec probatæ sunt. De colloquio dissimulatum. Scripta mandata per eodem remissa ad Cæsarem, ‘ ut ille de his oppidis, quæ extra suam provinciam occupavisset, præsidia deduceret. Id si fecisset, ad Urbem redituros patres, ut de iis ipsis conditionibus quas obtulerat, senatus haberi Romæ posset. In Hispanias iturum Pompeium esse.’

Cic. ad  
Fam. xvi.  
12. et Cæs.

53. Neutri ducum satis pax placebat. Pompeius, si populo Romano potestas omnis restitueretur, haud dubie inferiorem se gratia Cæsaris rebatur: Cæsar ab ineunte ætate cupidissimus imperandi, prætermittere occasionem nolebat, gnarus non aliud sibi ad principatum iter, quam per conculcatum Pompeium, esse. Itaque mala fide secum agi cavillatus, quod ante quam diem iturus in Hispaniam Pompeius esset, expressum non fuerat, toto animo in bellum versus, per omnem Italianam literas mittebat: ‘ sive jure secum, sive armis ageretur, paratum ad

Dio.

Suet. Cæs.  
c. 30.

Plut. Cæs.  
et Anton.  
Cæs.

Dio.

disceptationem' ostendens; simul hortatus omnes, 'bono essent animo, neque se conjungerent res turbare cupientibus. Non minus se his consulturum pro suis, qui in neutra, quam qui in sua castra venissent.' Quamquam Pompeius, auctore solo principum Domitio, 'pro hostibus se habiturum, qui reipublicæ defuissent,' edixerat.

Sueton.  
Cæs. c. 75.  
Suet. Ner.  
c. 2.  
Plut. Pomp.  
Dio.

54. Interim non expectato legatorum reditu, acerrime delectum habere Arimini, opportuna loca occupare, præsidia imponere. M. Antonius cum quinque cohortibus Arretium mittitur, ibique præsidium imponit. Fugit in Campaniam Scribonius Libo, qui tutari debuerat Etruriam. Pisaurum, Fanum, Anconam, ab Arimino Cæsaris singulis cohortibus occupat. Curionem cum tribus cohortibus ad Iguvium recipiendum ire jubet, validum Umbriæ oppidum, quod a Quinto Minucio Thermo quinque cohortibus tenebatur. Sed ille voluntati diffisus Iguvinorum, quos addictiores Cæsari esse sciebat, profugit. Milites ejus in itinere discedunt, domumque se conferunt.

Appian.  
Cic. ad  
Att. VII.  
17. et 18.  
Cæs.  
Cic. ad  
Att. VII. 12.  
Flor. IV. 2.  
Lucan. II.  
462.  
Cic. ad  
Fam. XVI.  
12. Cæs.  
Plin. III.  
14. Cæs.  
Cic. ad  
Att. VII. 13.  
Flor. Luc.

55. His rebus et municipiorum voluntate cognita, Cæsaris, aucta fiducia, cum legione tertiadecima Auximum proficiscitur, Piceni<sup>5</sup> urbem, quam P. Attius Varus præsidio tenebat, agendis in Piceno delectibus intentus. Auximates Varum terrent, et decedere oppido cogunt. Fugientem per impedita loca quidam Cæsaris milites assecuti consistere cogunt. Post brevem pugnam deseritur a suis Varus: alii domum, plerique ad Cæsarem pergunt. Hæc Romam perlata, cum jamjam adesse Cæsarem, conspicique equites ejus falso dicerentur, sic exterruerunt Lentulum consulem, qui ex mandato Pompeii, quod A. D. VII. Idus Februarias per C. Cassium tribunum plebis Capuam erat allatum, ad pecuniam promendam Pompeio venerat, ut aperto sanctiore arario, protinus ex Urbe profugeret.

Cæs.  
Plin.  
III. 13.  
Cæs.  
Cic. ad  
Att. VII. 21.  
Cæs.

56. Delectus intra Urbem omittitur: neque ullo inter Romam ac Capuam fiditur loco: Capuæ demum se confirmant, ibique delectum instituunt agere, parum prolixè

Cic. ad  
Att. VII. 14.  
Cæs.



respondentibus Campanis, quod beneficio et lege Cæsaris deducti eam in coloniam fuerant. Gladiatores quos ibi Cæsar alebat (ad duo millia fuisse putantur) Lentulus equis attributis sequi se iusserat. Sed posteaquam id reprehendebatur sermonibus, singulis patribus familiarum binos Pompeius distribuit, custodiae causa.

57. Sed Cæsar Auximo progressus, totum Picenum, volentibus præfecturis omnibus, recepit. Etiam Cingulo, quanquam id oppidum Labienus sua pecunia exædificaverat, legati ad Cæsarem venerunt. Cum interim legio duodecima accessisset, Cæsar cum duabus legionibus Asculum Picenum contendit, ubi Lentulus Spinther curabat, vir consularis, cum cohortibus decem. Sed neque hic ceteris constantior, profugit ex oppido; desertusque a majore parte militum, reliquos L. Vibullio Rufo tradit, a Pompeio forte venienti <sup>6</sup> ad Picentes retinendos in partibus. Vibullius acceptis militibus, ex his et delectibus Pompeianis aliquot cohortes conficit: mox venit ad eum C. Lucecius Hirrus <sup>m</sup> cum quinque cohortibus Camerino fugiens, ubi in præsidio fuerat. Hi magnis itineribus Corfinium proficiscuntur, quo loco L. Domitius Ahenobarbus consederat.

58. Nam ille, successor Cæsari missus, cum quatuor millibus ex novo delectu Galliam versus iter instituerat: deinde, occursu Cæsaris cognito, deflexerat in Pelignos Marsosque. Harum ex nationum delectibus, cum copias suas ad numerum cohortium duodecim adauxisset, jamque ad eum Vibullius et Hirrus cum undeviginti cohortibus accessissent; observare Cæsarem instituit, repugnaturus, si propius ad se accessisset: sin vero secun-

6 Veniente Cler. Venientem reliquæ ante Crev. edd.

<sup>m</sup> C. Lucecius Hirrus] Idem videtur esse, qui supra l. CVII. c. 14. memoratur tribunus plebis rogationem promulgasse de Pompeio dictatore creando. Hoc loco legebatur Lucilius. Sed Pompeii epistola C. Hirrum tantum

nominat: nomen corruptum est apud Cæsarem. Cognomen Hirrus satis indicare nobis visum est, nomen ei fuisse Lucecio. Et ita sentit Mantius in not. ad Ep. Pompeii. Crev.

Cæs. et Cic.  
Cæs.  
Ep. Pomp.  
ad Cic. VIII.  
ad Att. ep.  
II. Cæs.

Appian.  
Ep. Pomp.  
ad Coss. et  
ad Domit.  
VIII. ad

Att. Ep. 12.

dum mare ad Pompeium ire cœpisset, confestim ducturus in Samnium, ut cum Pompeio se conjungeret.

Cæs. 59. Sed Cæsar, Asculo recepto, conquiri milites qui a Lentulo discesserant, instituique delectum jubet: nec  
Dio. Cæs. amplius uno die moratus, Corfinium pergit. Occurrunt  
Lucan. II. præmissæ a Domitio quinque cohortes, pontemquæ fluminis, ad tertium ab urbe milliare, conantur interrumpere.  
481. Sed levi prælio rejectæ ab antecursoribus Cæsaris, in oppidum se recipiunt. Cæsar, flumine superato, castra juxta murum Corfinii ponit.

60. Domitius, magno proposito præmio, regionum peritos ad Pompeium cum literis mittit, rogans et obtestans, ne se cum tot cohortibus, magnoque senatorum et equitum Romanorum numero, recidere in potestatem Cæsaris sinat. Ea res summa sollicitudine Pompeium affecit. Nihil enim tam contrarium consilii ejus fieri potuisset. Tironi non audebat confidere; duas legiones quæ nuper prætextu Parthici belli abductæ a Cæsare fuerant, propiores illis partibus rebatur. Igitur omnes undique copias ad se convenire maluisset. At, quoniam id propter vigilantiam atque celeritatem adversarii nequibat, quatuordecim cohortes ex duabus illis legionibus contraxerat Luceriam, eo consilio ut, si propius accederet Cæsar, Italiam relinqueret, ut paulo post factum est. Sed, accepto, Domitium obsideri, sive dissimulans mentem suam, sive putans tot et tales viros descri non oportere; scribit ad Lentulum consulem, magni interesse reipublicæ, omnes copias primo quoque tempore in unum locum convenire. Quod ab omnibus ita est acceptum, cum universis viribus Pompeium ad Corfinium venire constituisse.

61. Hac opinione paulisper recreati sunt hominum animi, nuntiataque Domitii constantia, qui sane suos cohortatus, tormenta disposuerat in muris, et cetera tanquam ad tolerandam obsidionem administrabat. Etiam, ut promptiore exercitu uteretur, militibus quaterna jugera agri, centurionibusque et evocatis pro rata parte promiserat ex suis possessionibus. Nam occasione Syllanorum temporum ad maximas opes pervenerat.

62. Sed accidit ei, quod futurum Pompeius ei scripse-

rat; ut nec expedire posset copias tribus in oppidis distributas, (partem enim Albæ, partem Sulmone collocaverunt) nec cum iis, quos habebat secum, satis firmus ad resistendum esset. Namque Sulmonenses, missu Cæsaris venienti Antonio aperuerunt portas, universique et oppidani et milites (septem ibi cohortes Domitius collocaverat, cum Antonius quinque tantum adduceret) obviam gratulantes exierunt. Q. Lucretius senator et C. Attius Pelignus, qui oppidum præsidio tenebant, de muro se dejecerunt. Lucretius effugit. Attius ab Antonio deductus ad Cæsarem, et ab eo incolumis dimissus est. Pompeiani proditum ab eo fuisse Sulmonem crediderunt.

Ep. Pomp.  
ad Coss. et  
ad Domit.

Cæs.

Oros. vi. 15.  
Cæs.

Cic. ad  
Att. viii. 4.

63. Cæsar, cum et illis cohortibus auctior esset, et ad eum legio octava cohortesque ex novis Galliæ delectibus duæ et viginti venissent, cum trecentis circiter equitibus, quos ei rex Noricus miserat; altera castra ad alteram oppidi partem ponit, Curione præfecto, qui cum præsidiis, quæ in Umbria et Tuscis fuerant, ad eum accesserat. Inde circumdare obsessos operibus instituit. Quorum parte maxima perfecta, literæ Domitio redduntur, quibus negabat Pompeius ire se subsidio posse; jubebatque, si ulla ratione etiam tunc efficere posset, explicaret sese, et Brundisium veniret. Sed hoc jam serum erat, obsesso atque circummunito oppido.

Ep. 3.  
Pomp. ad  
Domit.  
viii. ad  
Att. ep. 12.  
Dio.  
Cæs.

64. Igitur Domitius clam cum paucis familiaribus de fuga colloqui cœperat. Sed quanquam voce consilium non prodebat, ex trepidatione vultuque et hoc genus indicis patuit. Ideirco milites inter se collocuti, Domitium publice custodiunt; legatosque mittunt ad Cæsarem, 'paratos esse portas aperire, et L. Domitium vivum tradere.' Sed quia serum diei erat, veritus Cæsar, ne per nocturnam licentiam oppidum diriperetur, id quod suis rebus erat futurum alienissimum, quas opinione clementiæ confirmare cupiebat, asservari interea oppidum a Domitianis militibus jubet. Ipse suorum vigiliis stationesque densas circumponit, non adversus eruptionem modo, sed etiam adversus furtivos egressus singulorum.

Dio.  
Appian.  
Cæs.

65. Circa quartam vigiliam Lentulus Spinther de muro Cæsarianos inelamat, deducique ad Cæsarem petit. De-



ductus orat ut se pro pristinis suis beneficiis incolumem velit, omnia enumerans, quod per Cæsarem in collegium pontificum venisset; quod ex prætura Hispaniam habuisset provinciam; quod in petitione consulatus fuisset ab eo adjutus. Cæsar plura commemorari non passus, neminis odio, sed ut tribunos plebis in suam dignitatem, et populum Romanum paucorum factione oppressum in libertatem restitueret, arma cepisse interfatur. Ergo Lentulus jam securus de salute sua, petit ut in oppidum reverti liceat, quo ex sua incolumitate ceteri ad spem revo-centur. ‘Esse enim nonnullos, qui de morte consciscenda deliberent.’

Plut. Cæs.  
Senec. de  
Benef. 11f.  
24. Plin.  
vii. 54.  
Sueton.  
Ner. c. 2.  
Plut. et  
Senec.

66. Sane Domitius, Cæsaris iram metuens, cui semper fuerat adversatus, a medico eodemque servo suo venenum poposcerat. Sed idem, lenitate cognita victoris, deplorare conditionem suam cœpit, quod, quam relicturus fuisset inimicus, sibi ipsi vitam homo temerarius stultusque præcidisset. Ibi medicus, qui adolescenti Domitio rem aperuerat, seque jusserat asservari, donec eventus docuisset, utrumne venenum datum patri foret, tantummodo soporiferam potionem se dedisse indicavit. Hac re exhilaratus (neque enim Lucano credendum est, in gratiam Neronis, cujus hic Domitius abavus fuit, omnia alia fingenti) manumisit medicum: atque ita, postquam illuxit, cum ceteris ad Cæsarem deductus est.

Lucan. 11.  
509.  
Sueton.  
Senec. Cæs.

67. Erant senatorii ordinis Domitius et Lentulus consulatu functi; præterea L. Vibullius Rufus, Sex. Quintilius Varus quæstor, L. Rubrius: præterea multi adolescentes nobiles, equitumque Romanorum et decurionum, quos Domitius ex municipiis evocaverat, magnum agmen. Hi a Cæsare increpiti, quod neutiquam convenientem meritis suis gratiam retulissent, incolumes omnes dimittuntur, seque ad Pompeium recipiunt. Aurum etiam quod secum Corfinium deportaverat Domitius, sestertium sexagies,<sup>o</sup> quanquam pecunia publica esse diceretur, Domitio redditum: quia Cæsar non minus fugiendam sibi inopiæ, quam crudelitatis famam judicabat. Ita Cæsar, septem

Dio. Cæs.  
Appian.  
Plut.  
Liv. Epit.  
Vell. 11. 50.  
Cæs.

<sup>o</sup> Sestertium sexagies] Marcæ argenti nostrates 23437. uncie 4. Crev.

omnino dies ad Corfinium commoratus, Domitianas cohortes protinus in Siciliam mittit. Ipse in Apuliam ducere instituit.

68. His rebus auditis, Scipio Luceriam omisit, militibus Brundisium transductis, quo Pompeius expeditus legiones antecesserat. Eo conduci jusserat quicquid habebat copiarum, nullum auxilii genus aspernatus: nam et ex pastoribus servisque equites circiter quadringentos effecerat. Sed Cæsaris per Apuliam cursus majorem ei delectuum partem, passim relictis præsiidiis fugientium, abscidit. Alba L. Manlius Torquatus prætor cum sex cohortibus discesserat; Tarracina, cum tribus prætor Rutilius Lupus. Sed Rutilianæ cohortes, cum equitatum Cæsaris conspexissent, cui Vibius Curius<sup>o</sup> præerat, ad eum signa transtulerunt: idem reliquis itineribus, a nonnullis cohortibus, quæ in Cæsarem aut equites ejus inciderant, factum.

69. Venit et in potestatem Cn. Magius præfectus fabrum Pompeii, quem Cæsar cum mandatis ad Pompeium remisit; 'interesse reipublicæ, ut, quoniam iturus Brundisium esset, una colloquerentur.' Neque diu contactus, cum legionibus sex A. D. VIII. Idus Martias Brundisium venit; cujus exercitus magna pars ex recentibus delectibus, et iis, quos in itinere exceperat, confecta erat. Sed Pompeius jam Cn. filium majorem ex duobus, cum socero Scipione in Syriam, auxilia gentium ac regum concituros, consules autem Dyrrhachium præmiserat, cum triginta cohortibus. Ea res abruptit negotium pacis. Nam et Lentulus consul a Cornelio Balbo, cujus pater Lentuli erat familiarissimus, mandata Cæsaris habente, conveniri non potuit; et cum Scribonius Libo, qui erat Sex. Pompeii socer, a Caninio Rebilo inductus, cum Pompeio de conditionibus egisset, responsum est, quod consules absint, sine illis de compositione agi non posse.

70. Nec deerant qui existimarent, dimissos a Pompeio consules fuisse, ne quid novi consilii contra suas rationes eaperent; suspecta præsertim levitate Lentuli. Sed ne-

Lucan. II.  
472.  
Cic. ad  
Att. VIII.  
3. et 9.  
Cæs.

Cic. ad  
Att. IX. 6.  
Cæs.

Ep. Cæs.  
ad Opp. IX.  
ad Att. ep.  
8.

Plut. Pomp.  
Cæs.

Cic. ad  
Att. IX. 3.  
et Cæs. ad  
Opp. IX. ad  
Att. ep. 13.  
Cæs.

Plut. Pomp.  
Lucan. II.  
631. Cæs.  
Appian.

Dio. Plut.  
Cic. ad  
Att. IX. 9.

Cic. ad  
Att. VIII. 9.  
et Balb. ad  
Cic. VIII.  
ad Att. 15.  
Cæs. Dio,  
XLVIII.  
Cæs.

Dio, XLI.  
Cic. ad  
Att. VIII.  
15.  
Vell. II. 51.

<sup>o</sup> Vibius Curius] Variant in hoc nomine tum Cæsaris, tum Ciceronis editiones. Crev.

Cæs. que Magius remissus ad Cæsarem est, si Cæsari credimus.  
 Sueton. Ceterum ille multa, suæ causæ serviens, de industria per-  
 Cæs. c. 56. peram edidit; quod et Pollio Asinius affirmare est solitus,  
 qui cum eo transiit Rubiconem, rebusque his interfuit.

Ep. Cæs. Ex iis hanc de Magio querelam esse puto, cum ipse Cæ-  
 ad Opp. et sar iisdem diebus ad Oppium et Cornelium Brundisio  
 Cornel. scripserit, a Cn. Pompeio missum esse Cn. Magium de  
 ix. ad Att. pace: se quæ visa fuissent respondisse.  
 ep. 13.

Cæs. 71. Sic pacis cogitatione quibuscumque de causis peni-  
 Cic. ad tus abjecta, hoc agere cœpit, ut aut Pompeium quampri-  
 Att. ix. 14. mum trajicere cogeret, aut exitu prohiberet. Igitur, cas-  
 tris ad portas oppidi positis, opus magnum et multorum  
 dierum, propter altitudinem maris, instituit, ab utroque  
 portus cornu moles jaciens. Ejus operis ratio non melius  
 exponi, quam ab eo ingenio potest, a quo excogitatum  
 Cæs. jussumque fuit. Qua fauces erant angustissimæ portus,  
 molem atque aggerem ab utraque parte littoris jaciebat,  
 quod his locis erat mare vadosum. Longius progressus,  
 cum agger altiori aqua contineri non posset, rates dupli-  
 ces, quoquoersus pedum xxx. e regione molis colloca-  
 bat. Has quaternis anchoris ex quatuor angulis destina-  
 bat, ne fluctibus moverentur. His perfectis, collocatisque,  
 alias demceps pari magnitudine rates jungebat. Has  
 terra atque aggere contegebat, ne aditus atque incursus  
 ad defendendum impediretur: a fronte, atque ab utroque  
 latere cratibus ac pluteis protegebat. In quarta quaque  
 earum turres binorum tabulatorum excitabat, quo com-  
 modius ab impetu navium incendiisque defenderet.

72. Contra hæc Pompeius naves magnas onerarias,  
 quas in portu Brundisino deprehenderat, adornabat. Ibi  
 turres cum ternis tabulatis erigebat, easque multis tor-  
 mentis et omni genere telorum completas, ad opera Cæ-  
 saris appellebat, ut rates perrumperet, atque opera distur-  
 baret. Sic quotidie eminus utrimque fundis, sagittis, re-  
 liquisque telis pugnabatur. Cum ad hunc modum dies  
 exacti novem essent, naves quæ consules transportave-  
 rant, Brundisium redierunt. Harum adventu Pompeius,  
 sive Caesaris operibus permotus, quorum ferme dimidia  
 pars effecta erat, sive quia jam ab initio consilium Italiae

Dio.  
 Appian.  
 Cæs.

relinquendæ ceperat; una de re sollicitus, quemadmodum tuto discederet, portas obstruit, partemque viarum parietibus inædificat, aliis fossas transversas<sup>7</sup> præducit, easque stipitibus præacutis replet, cratibus humoque aggesta insidias tegens. Aditus autem duos qui extra muros ad portum ducebant, maximis acutissimisque trabibus in densum ordinem structis obsepit. Brundisinos, quibus parum confidebat, domi se continere jubet.

73. His paratis, milites silentio conscendunt naves: tum expediti, quos ex evocatis sagittariisque atque funditoribus, ad speciem retinendæ urbis in muro disposuerat, certo signo revocantur: relictis actuariis navibus, quibus, per itinera nota digressi, suos assequerentur. Dum hæ geruntur, Brundisini ex tectis profectionem Pompeianorum nutu significabant. Ergo Cæsariani, scalis positos muros transgressi, in fossas et sudes incidissent, nisi moniti ab oppidanis, et longo itinere circumducti ad portum forent. Ibi duas adhuc naves, cum militibus qui inerant, ad molem Cæsaris hærentes, lintribus scaphisque circumvenerunt; injectisque ferreis manibus retraxerunt ad litus, repugnantibus aliquot interfectis.

74. Sic expulsus Italia Pompeius, non modo rempublicam, sed omnem gloriam suam, omnem virtutem perdidisse, factusque plane alius esse videbatur, pristina ejus facta cum hoc recenti comparantibus. Urbem, quam defendi totius imperii periculo æquius erat, adversario reliquerat, pecunia refertam, præsidio vacuum; Themistoelis usus consilio, cum tempora Periclem magis poscerent. Nunc etiam Italiam, sedem imperii, robur et seminarium Romanæ militiæ, deserebat: ex eodem portu legiones et opes, quas poterat, avehens, contra cives usus, in quem olim captivum aurum et orientis spolia locupletandæ patriæ invexerat; dimissis eodem loco militibus, ut timere cives sui desinerent. Et qui antea barbarorum immensas regiones populo Romano subjecerat, is nunc ibat illorum copias excitum, ut Italiam et Romam vastaret atque pre-

<sup>7</sup> *Parietibus aliis inædificat, aut fossas transversis* edd. ante Crev. et mox *ad portam pro ad portum*, ex Cæs. emendatum, habent cæd.

Plut. Pomp.  
Front. 1. 5.  
Dio.  
Lucan. 11.  
Cæs.  
Plut.

Appian.  
Plut. Front.  
Cæs.

Plut. et  
Cæs.

Dio.  
Plut. Cæs.

Lucan.

Liv. Epit.  
Dio.  
Lucan. 11.  
726.  
Cic. ad  
Att. VIII. 7.  
Cic. ad  
Att. VIII.  
2. et 3.  
Cic. ad  
Att. VII. 11.

Dio.

Lucan. 11.  
633.

Cic. ad  
Att. ix. 9. meret : jam olim hoc consilio dimissis, qui classem Alexandria, Colchis, Tyro, Sidone, ceterisque omnibus insulis, maritimisque civitatibus aut regnis, quorum ille studia habebat, ad intercludendos commeatus Italiae, et ad occupandas frumentarias provincias, cogerent.

Cic. ad  
Att. ix. 1.  
et 12. 75. Ergo etiam, priusquam excederet Brundisio, magna pars optimatum in Urbem redierat, praetoresque et aediles partibus suis, tanquam in pace, fungebantur. Nec hi tantum dolores Pompeium urebant, sed futuri metus et sollicitudo plus angebant hominem prodigiis etiam terrificis et minacibus. Ut enim primum Dyrhachium apulit, priusquam littus tangeretur, milites quidam fulmine percussi : signa telis araneorum sordidata sunt : et cum Pompeius exscendisset, euntis vestigia serpentes advoluti delerunt.

Dio.



# SUPPLEMENTUM

## LIBRI CX.

### HISTORIARUM

#### T. LIVII PATAVINI.

---

---

1. C. CÆSAR, intra sexaginta dies in potestatem Italia redacta, cum propter inopiam navium sequi Pompeium, priusquam ille transmarinis auxiliis confirmaretur, non posset; sed nec Italiam propter duces Pompeianos, qui erant in Hispania, tuto relinqui putaret; Brundisii, Tarenti, Sipontique singulas legiones collocavit, ad maritimos exitus adventusque claudendos. Ipse quamprimum in Urbem decurrere statuit, ubi jam olim ut quam plurimi senatores essent enixe contenderat, quo nimirum speciem aliquam auctoritatis publicæ suis armis circumdaret: ea re perfecta profecturus in Hispaniam, 'ut veterem Pompeii exercitum,' quemadmodum inter suos erat professus, 'donec esset sine duce, opprimeret; inde reversurus ad ducem sine exercitu.' Sed, ut rei frumentariae provideret, duo Italiae horrea, Sardiniam a Q. Valerio legato, Siciliam a Curione occupari jubet; quorum Valerio legionem unam, Curioni tres attribuerat. Hunc enim pro pretore mittebat, cum sex fascibus laureatis, et mandato, recepta Sicilia protinus in Africam transmittendi. His rebus auditis, priusquam venire Valerius in Sardiniam posset, Caralitani M. Cottam, qui eam provinciam obtinebat, oppido suo eicieunt: atque ille, Sardorum mente cognita, statim in Africam profugit.

Plot.  
Pomp. et  
Cæs.  
Cæs. de  
B. Civ. 1.  
Dio xli.  
Appian.  
Civ. 11.  
Cæs.  
Cic. ad  
Att. ix. 15.  
Dio. Ep.  
Cæs. ad  
Cic. 1. ix.  
ad Att. ep.  
6. et Ep.  
Balbi et  
Oppii ad  
Cic. ix. ad  
Att. ep. 8.  
et Cic. ad  
Att. ix. 9.  
&c.  
Sueton.  
Cæs. 34.  
Lucan. 11.  
55.  
Flor. iv. 2.  
Appian.  
Cæs.  
Cic. ad  
Att. x. 4.  
Cæs.

2. Siciliae Cato praerarat; atque hactenus egregie se compararat ad bellum, habendis in insula et vicina Italia delectibus, et classe conficienda: ita ut spes magna esset, teneri Siciliam nullo negotio posse. Sed ubi praemissus Asinius Pollio interroganti, 'utrumne senatus, an vero populi jussu venisset?' 'Mandatu ejus adesse' respondit, 'qui tum Italiam haberet in potestate; simul Pompeii fugam, et Curionis nuntiavit adventum: pro concione ostendit 'satis sibi virium esse ad expellendum Sicilia Pollionem; sed quia cum aliis copiis Curio expectetur, se innoxios exitioso bello implicaturum non esse. Ceterum mirari consilia Deorum, et perplexas abstrusasque rationes, qui Pompeio multa prava incipienti semper favissent; nunc pro libertate patriae pugnantem desererent.' Pauca deinde questus est de Pompeio, 'qui rebus omnibus imparatissimus, tantas turbas commosset, senatuique persuasisset, omnia ad bellum egregie provisa et comparata se habere.' Hæc in concione locutus, Coreyram abnavigavit, ut Pompeio se conjungeret.

3. Interea Cæsar, militibus in proxima municipia deductis, ut a labore reficerentur, ad Urbem profectus, de republica cum patribus qui tum aderant satis frequentes egit. Quippe senatum M. Antonius, Q. Cassius tribuni plebis, extra pomerium coegerant. Ibi Cæsar, commemoratis inimicorum injuriis, suaque lenitate; in eos qui civibus suis præter necessitatem facerent bellum, non sine gravi imprecatione invectus est. 'De se vero sperare omnes omnia' jussit, 'qui et alios permultos adversariorum conservasset, et præcipue L. Domitium dimisisset, cum magna pecunia.' Fuit et auctor mittendæ senatus nomine legationis ad Pompeium et consules. 'Neque enim se reformidare, quod Pompeius dixisset, ad quos legati mitterentur, iis auctoritatem attribui, timoremque eorum qui mitterent significari.' In eandem sententiam cum populo quoque, qui et ipse ad eum ex Urbe confluerat, locutus, miserrima necessitudine excusata, quod adversariorum armis ad arma cogeretur; frumentum promisit ex insulis, et trecentos nummos viritim.

4. Ita specie reversa pacis, senatus ad vestitum rediit. Ceterum neque satis levatus hominum timor est, similia

Marium olim, similia Syllam pollicitos esse reputantium, donec cupita assequerentur: præsertim cum Urbs plena Cæsaris militibus esset. Irrita quoque fuit de legatis mittendis deliberatio. Nec enim reperiri poterant, qui Cæs. mitterentur: et qui delecti fuerant, id munus ancipiti metu subterfugiebant. Nam et Pompeium timebant, ne Plut. tanquam relictus sæviret; et Cæsarem, ne aliud, quam quod præ se ferret, intime cuperet. Idque postea magis Dio. est creditum, ubi Pisonem, licet socerum, offendisse fama fuit, quod ea de legatione verba liberius fecisset. His Cæs. disputationibus excusationibusque triduum periit. Quæ res ubi festinanti Cæsari cœpit esse fastidio, nihil jam nomen patrum, aut juris antiqui moratus imaginem, cetera ex usu præsentis administravit.

5. Igitur contenta L. Metelli tribuni plebis intercessionem, quam inimici Cæsaris comparaverant; ‘Quas tu Plut. leges advocas,’ ait, ‘non belli, sed pacis respiciunt tempora: nunc reipublicæ consulendum est. Nec opus esset tibi reddi rationem factorum meorum, in quem animadvertere, sicut et in ceteros quos cepi adversarios, jure meo potuissim.’ His dictis ad ærarium profectus, quod erat in æde Saturni, quia claves ablatæ a consulibus fuerant,<sup>a</sup> effringi jubet. Eodem et Metellus accurrit, ut vim prohibeat a foribus. Ibi vero tribuno mortem minatus est Cæsar, hac voce addita: ‘Atqui, adolescens, non te latet, factu hoc mihi quam dictu esse facilius.’ Perterritus hac denuntiatione Metellus, non ægre auscultavit monenti Cottæ tempore cedere. Quod nisi esset factum, non dubitatur, quin itum in cædes foret, semel deposita simulatione pacis. Nam et iratus ultro Cæsar erat, et a multis incitabatur. Amoto tribuno, cum adhuc obstare religio Appian. videretur, quia sanctius ærarium recludi, præterquam tumultus Gallici causa, magnis additis execrationibus atque

<sup>a</sup> Quia claves ablatæ a consulibus fuerant] Omnes scriptores testantur claves ærarii non comparuisse. At eas a consulibus ablatas esse, nusquam diserte expressum reperio. Ceterum non inepte Pighius notat Cæsarem hujus facti invidiam videri

declinare voluisse, dum memoravit consulenti Lentulum apertò ærario profugisse. Vid. supra cix. 55. Sane de hac sua cum Metello ad ærarium contentione omnino siluit. Vid. et quæ Freinshemius observat de C. Magio, supra cix. 70. Crev.

Lucan.  
111. 115.  
Appian.  
Plut. Cæs.  
et Apoph.  
Rom. et  
Pomp.  
Lucan.  
Cic. ad  
Att. x. 4.

Appian.

diris, majores vetuerant ; ‘ abivisse jam tempus istius curæ ’ dixit : ‘ sua enim opera provisum esse, ne Gallos ulterius Roma timeret.’

Oros.vi.15. 6. Protulisse tum ex ærario Cæsari dicitur auri pondo quatuor millia centum triginta quinque.<sup>b</sup> Argenti prope nongenta millia apud Orosium leguntur. Majorem longe summam Plinius indicare videtur, laterum aureorum sex et viginti millia<sup>c</sup> commemorans. Etiam laserpitium, pondo centum undecim,<sup>d</sup> inde prolatum a Cæsare idem scriptor annotavit. Offendit ea res plebis animos, nec obscurum id Cæsari fuit. Idcirco cum ei certissimum fuisset, antequam proficisceretur, concionem habere, non est ausus.

Dio. 7. Igitur rebus ut poterat constitutis, Aristobulum Judæum cum duabus legionibus in Syriam mittit, Pompeiana consilia turbaturum. Proscriptorum a Sylla liberis jus honores petendi reddit : M. Æmilius Lepidum Urbi præficit ; M. Antonium tribunum Italiæ, et quas in ea relicturus erat, copiis. Hujus fratri Caio Illyricum ; Licinio Crasso citerior Gallia traditur. Paratur et gemina classis, ad Superum Inferumque mare tutandum. Alteri harum, quæ ad Adriaticum mare excubabat, P. Cornelius Dolabella ; alteri Q. Hortensius filius oratoris præficitur. At Cæsari primum ad legiones iter Ariminum fuit : inde trans Alpes in ulteriorem Galliam profectus, cognovit Vibullium Rufum, quem Corfinii dimiserat, Pompeii mandato in Hispaniam isse : L. Domitium ad occupandam Massiliam profectum. Quippe Domitius, cum diu incerti de eo rumores fuissent, in Cosanum suum se contulerat, ibique et in conjuncta Cosæ insula Igilio, naves actuarias septem a privatis coactas, servis, libertis, colonis suis compleverat.

8. Forte sub idem tempus Massiliensium legati rever-

<sup>b</sup> *Auri pondo quatuor millia centum triginta quinque*] *Marcas 6460. uncias 7. semunciam 1. Argenti ... nongenta millia. Marcæ 1496250. Crev.*

<sup>c</sup> *Laterum aureorum sex et viginti millia*] *Editio Plinii a Clar. Harduino adornata habet, late-*

*rum aureorum viginti quinque millia ; argentorum triginta quinque ; et in numerato sestertium quadringenties. Crev.*

<sup>d</sup> *Pondo centum undecim*] *Libras nostrates 86. uncias 11. semunciam 1. Crev.*

Plin.  
xxxiii. 3.  
Plin. xix. 3.

Cic.

Dio.  
Joseph.  
xiv. 13.  
Dio.  
Appian.  
Cic. Phil.  
ii. 23.  
Appian.

Cic. ad  
Att. x. 7.  
x. 4.  
Appian.  
Oros. vi. 15.

Cic. ad  
Att. viii.  
et ix.  
Cæs.

tebantur, quos ab Urbe discedens Pompeius erat hortatus, ne nova Cæsaris officia veterem suorum beneficiorum in eos memoriam expellerent. Horum<sup>8</sup> adventu Cæsaris in Hispaniam festinantis expeditionem Massilia moratur: portas claudit: omnibus viribus ad tolerandum, si opus foret, obsidionem se comparat. Cæsar, evocatis quindécim primis, cum his agit, ‘ne initium inferendi belli a Massiliensibus oriatur.’ Illi cum ad suos fuissent reversi, ex auctoritate publica memorabile responsum referunt: ‘esse se socios populi Romani, omnibusque Gallicis Hispanisque bellis communia cum illo populo fata habere voluisse. Nunc etiam eandem sibi mentem, idem propositum manere, si contra externos hostes aquilæ Romanæ moveantur. Sed intelligere populum Romanum in partes discessisse, Pompeio et Cæsare ducibus, patronis civitatis suæ. Utrius causa sit æquior, neque se inquirere curiose; neque tantarum rerum arbitria peragere posse. Igitur pari utrimque jure, paribus beneficiis, uter venisset inermis, ei se aditum in urbem suam, honoremque et beneficia deferre. Sed neutrum duorum contra alterum juvare, oppidoque aut portubus recipere.’

9. Non erat difficile sentire Cæsaris animum hoc responso mirifice offensum fuisse, neque æquo animo passurum excludi se Massilia, cui caput terrarum Romæ patuisset. Igitur hoc metu, et quia proniores in Pompeium erant, L. Domitium advenientem recipiunt, urbiq; præficiunt: onerarias naves, quas ubique possunt, exceptas in portus suos deducunt, frumentum in publicum conferunt, reliquas merces recondunt. Ergo Cæsar, tribus adductis legionibus, urbem obsidet, turres vineasque agere instituit: naves longas duodecim Arelate fieri imperat. His intra tricesimum diem, quam cæsa materia fuerat, ædificatis armatisque D. Brutum præficit.

10. Erat haud procul muris tumulus, æquali fastigio, et satis ad castrorum spatium patenti, ubi Cæsar con-sederat. Inter hunc et adversam oppidi partem, quæ

<sup>8</sup> Omnia verba inter *hortatus* et *horum*, quæ ex Cæs. inserit Crev. absunt ab edd. priorr.

- pari altitudine erat conspicua, profunda vallis intercedebat. Id spatium explere Cæsar decreverat, insani laboris opus: sed ille jam multa talia, inausa aut inaudita ceteris, perfecerat. Prius tamen visum, urbem, qua terræ committitur, (nam tres fere oppidi partes mari alluuntur,) circumvallare, ductis utrimque a loco castrorum ad mare fossis aggeribusque, et per idonea spatia turribus interpositis. Ad hæc opera cum materia deesset, antiquæ religionis lucum excindi jussit, militibusque superstitione contantibus primus arripuit securim. Ceterum prospiciens longioris moræ negotium esse, quam ipsius rationes paterentur, C. Trebonium obsidioni præfecit, in Hispaniam profecturus, quo jam C. Fabium legatum cum legionibus sex præmiserat.
11. Massiliensium factum, cum et per se luculentum esset, et prope certam spem faceret, in Hispauis pro Pompeio esse omnia, quia, si secus esset, homines et vicini et diligentes minus animi habituri videbantur; M. Cicero, post longam et ancipitem dubitationem, ad Pompeium abnavigavit: ejusque exemplum alii quidam senatores, qui nondum excesserant Italia, secuti sunt. Itaque his ad eos adjunctis qui ante transgressi fuerant, major in castris Pompeii, quam in Urbe species senatus erat; et quasi de sententia patrum multa decernebantur. Quorum illud plurimum favoris adjunxit partibus, quod Catonem secuti, 'civem Romanum præterquam in acie neminem occidi; neque oppidum ullum quod populo Romano pacatum esset diripi debere,' sanxerant. Ciceronem tamen clam corripuisse Cato dicitur, 'quod præter necessitatem in castra venisset, plus profuturus patriæ, si medium se gessisset, idoneum conciliatorem habituris partibus, quandocumque redire ad sanitatem cœpissent.'
12. Inter hæc C. Fabius, adhibita celeritate, præsidium L. Afranii ex Pyrenæo saltu dejecerat, magnisque itineribus ad exercitum Afranii contendebat. Sed Afranius ceterique legati adventu Vibullii Rufi, qui fuerat a Pompeio missus, ita composuerant, 'ut Petreius cum omnibus copiis ad Afranium proficisceretur, Varro cum duabus legionibus Hispaniam ulteriorem omnem obti-
- Cæs. Civ. 11. 1.  
Lucan.  
Oros. Cæs. Civ. 1.  
Cic. ad Att. x. 12.  
Plut. Cic.  
Dio.  
Plut. Pomp. et Cat.  
Plut. Cic.  
Cæs.

neret. Petreius et Afranius, Asturum Vettonumque LUC. IV. 7.  
 et Celtiberorum coactis auxiliis, ceterarumque gentium Cæs.  
 quæ ad oceanum colunt, Herdam (quæ hodie leviter  
 transpositis elementis Lerida vocatur) belli sedem de-  
 ligunt, propter opportunitatem loci. Quippe in colle LUCAN. IV.  
 modico ad Sicorim amnem posita, pontem lapideum ha- 11.  
 bebat, camposque circa patentes et fertile solum. Nec  
 longe abinde Cinga fluvius, in Iberum evolvens aquas.  
 Juxta tumulus erat paulo editior. Eum ceperunt castris  
 locum, omnibus eo contractis copiis. Afranius tres ha- Cæs.  
 bebat legiones, duas Petreius: auxilia magna Hispano-  
 rum coegerant, cohortes circiter octoginta, equitum utri-  
 usque provinciæ circiter quinque millia. Duces communi  
 consilio parique jure administrabant omnia, et alternis LUCAN.  
 signum toti exercitui dabant.

13. Fabius contra hos castra metatus ad Sicorim, duos Cæs.  
 in flumine pontes effecerat, inter se distantes millia pas-  
 suum quatuor. His pontibus pabulatum crebro mittebat:  
 quod idem cum et ab hostibus fieret, crebræ velitationes  
 erant: nec sine magno præsidio emitti pabulatores pote-  
 rant. Accidit igitur, cum legiones Fabianæ duæ flumen  
 transissent, impedimenta que et omnis equitatus sequere-  
 tur, ut pons vi jumentorum et aquæ magnitudine inter-  
 ruptus, maximam partem equitum a legionibus divelleret.  
 Hoc ubi ex aggere et cratibus quæ prono flumine defere-  
 bantur, hostibus cognitum est, Afranius celeriter equita-  
 tum omnem legionesque quatuor suo ponte transduxit.  
 Ergo L. Planeus, qui legionibus Fabianis præerat, locum  
 superiorem occupat, cujus auxilio adversus multitudinem  
 hostium se tutaretur. Prælio ab equitibus commisso, procul  
 visa sunt signa duarum legionum, quas C. Fabius, id quod  
 erat suspicatus, subsidio suis ulteriore ponte miserat. Harum  
 adventu prælium dirimitur: copiarum utrimque in castra re-  
 vertuntur, cum aliquamulti Fabianorum essent desiderati.

14. Eo biduo Cæsar supervenit, cum equitibus non-  
 gentis, quos sibi præsidio retinuerat: et ponte noctu re-  
 fici jusso, cum omnibus copiis, præter sex cohortes, quæ  
 ponti castrisque præsidio relinquebantur, ad Afranii castra  
 proficiscitur, pugnandique potestatem hostibus facit. Cum

Frontin.  
Strat. i. 5.  
Cæs.

hostes pugnare nollent, Cæsar ad quadringentos passus ab imis radicibus collis, quo in colle castra hostium erant, castra ponere statuit: sed veritus ne vallum eminus conspiceretur, tantummodo fossam pedum quindecim a fronte duci iussit. Idque opus cum, prima et secunda acie in loco ubi erant instructæ perstantibus, tertia acies faceret, ignaro hoste perfectum est. Intra hanc munitionem nocte transacta, postridie, quia longius agger petendus erat, tota castra, quemadmodum instituerat, permunit, singulis legionibus singula latera tribuens: ipse cum reliquis tribus Afranium Petreiumque ad turbandum opus venientes absterret. Ita castris permunitis cohortes et impedimenta, quæ superioribus in castris reliquerat, eodem transduci jubet.

Dio.Lucan.  
Cæs.

15. Erat inter oppidum et Afraniana castra planities passuum circiter trecentorum, et in medio fere spatio tumulus surgebat, quem si occupasset Cæsar, oppido et ponte prohibiturus hostes videbatur. Igitur, eductis instructisque tribus legionibus, unius antesignanos cursu contendere ad capiendum locum jubet. Sed Afraniani propiore spatio præcipiunt collem: ortaque pugna Cæsar's milites repelluntur. Igitur subsidio adducta legio nona, cum invicem pepulisset hostes, fervore certaminis cedentes insecuta iniquum in locum successit. Quinque horis ibi dimicatum est; magno Julianorum periculo, in quos ex superioribus locis tela certo jactu adigebantur. Multo tamen plus vulnerum quam cædis fuit: hostium supra ducentos ceciderunt: Cæsar amisit circiter septuaginta. Victoriâ utraque pars ascribebat sibi: Pompeiani propter tumultum retentum, qui pugnandi causa fuerat, et coactos terga vertere hostes; hi, quod numero et loco impari prælium tot horis sustinnerant, et ad extremum virtute commisi ascenderant montem, adversariosque inde in oppidum fugaverant.

Lucan.Dio.  
Appian.  
Cæs.

16. Majus inter hæc periculum, resolutis montium nivibus, aquarum subita inundatio interminata est, quæ una die utrumque Cæsar's pontem interrupit. Castra erant inter duo flumina Sicorin et Cingam, quod spatium erat passuum circiter millia triginta. Inter hoc conclusus tan-



tus exercitus, neque juvari ab amicis civitatibus, quæ trans flumina erant positæ, nec ab iis comitatibus, qui per magni ex Gallia Italiaque veniebant, adjuvari poterat: et qui longius erant pabulatum egressi, ne ad castra reverterentur magnitudine fluminum excluderentur. Ex proximis autem locis frumentum olim ab Afranianis comportatum Herdam fuerat; reliquum superioribus diebus copię Cæsaris absunserant. At hostibus frumentum ante provisum erat: adhuc quotidie undique comportabatur: eratque pabuli et rerum omnium magna copia, cum ponte saxeo ad Herdam secure uterentur, et loca trans flumen integra, quo pervenire Cæsar non poterat, sine periculo haberent in potestate.

17. Idcirco magnis in difficultatibus Cæsar erat, multosque amittebat quotidie, qui pabulandi frumentandive causa progressi, ab Hispanis facile excipiebantur. Hispani enim, quia sine utribus in bellum ire non consueverunt, in hos vestimenta conjiciebant: ipsi cetris suppositis facile superabant flumina. Aliquot dies manserunt aquæ. Per quos comitatum qui ex Gallia veniebat ad Cæsarem Afranius subito aggressus, interceptit sagittarios Ruthenorum circiter ducentos, cum equitibus Gallis paucis, cum reliqui in montes proximos refugissent. Inter hæc in- Plut. Cæs. Flor. 1v. 2. Cæs. gravescebat in castris Cæsaris fames, tanta jam caritate annonæ, ut denariis quinquaginta<sup>e</sup> in modios frumentum emeretur. Hæc cum etiam inflatiora, quam erant, Romanam perscriberentur, multi eorum qui adhuc in Italia Dio. Cæs. hæserant, ad Pompeium profecti sunt: alii ut principes hoc perferrent nuntium, alii ne post omnes venisse viderentur.

18. At Cæsar, frustra sæpius tentata pontium reficiendorum spe, cum irritus ejus conatus aquarum et hostium vi redderetur; naves facere instituit, quales Venetis ac Lucan. Cæs. Britannis in usu sunt, Pado aut mari stagnantibus. Carinæ fiebant ex levi materia: reliquum corpus viminibus contextum, coriis integebatur. Has idoneo numero pro-

<sup>e</sup> Denariis quinquaginta] Unciis argenti nostratibus 6. grossis 2. *Crcv.*

fectus Cæsar carris junctis noctu ad millia passuum duo et viginti a castris deportat: ibique militum aliquo numero trajecto continentem ripæ collem communit, priusquam adversarii rem cognoscerent. Eo postea transducit legionem, et utraque ripa potitus, pontem sine molestia perficit biduo. Sic ad eum perveniunt qui ex Gallico comitatu evaserant, quique frumentandi causa profecti ex prioribus castris fuerant. Eodem die transmittit equites, et per hos maximam hominum jumentorumque multitudinem, quæ pabulatum egressa fuerat, intercipit, et de contratis cohortibus, quæ subsidio suis venerant, unam longius procurrentem secludit a reliquis atque delet. Ita res frumentaria paulatim<sup>2</sup> expeditur.

Sidon.  
Apoll.  
Carm.  
xxiii. 13.  
Dio.  
Lucan. iii.  
Cæs.

19. Eodem tempore D. Brutus Massilienses navali prælio vicit. Longas illi habuerant septemdecim, e quibus erant undecim tectæ. His complura minora navigia addiderant, terrorem ipsa specie multitudinis illaturi. Inerat magnus sagittariorum numerus, magnus Albicorum, qui supra Massiliam incolunt, montanum durumque genus, et exercitatum in armis. Suos quoque servos et pastores L. Domitius in naves imposuerat, si bene et gnæviter se gerent, libertate promissa. Brutus pauciores quidem naves ducebat, sed firmiores, delecto virorum robore repletas. Quippe Cæsar fortissimos ex antesignanis legionum, id muneris poscentes, in classem imposuerat. Igitur hi virtuti confidentes, et quia celeritate navium et arte gubernatorum vincebantur, manicas et uncas præpararunt, quibus hostium naves retinerent.

20. Massiliensium ea ratio fuit, ut, donec liceret, maritimis artibus uterentur; quoties deprehensi essent, armis montanorum fiderent, qui non multum inferiores virtute Romanis erant. Igitur post acrem pugnam, cum singulæ ferme Romanæ naves, binis hostilibus prehensis, in utrumque latus dimicarent; hic pugnae fuit exitus, ut magno Albicorum et pastorum amisso numero, Massiliensium naves caperentur aut deprimerentur novem. Nescio an isto prælio, (bis enim pugnatum est classibus,) illo certe bello,

Infra, c. 35.

memoranda C. Acilii virtus extitit, qui decimæ legionis miles, abscissa dextra, quam in puppim hostium injecerat, læva retinuit navem : deinde in eam insiliens, umbone propulit hostes, neque prius pugnare destitit, quam captam profundo mergeret.

Lucan.  
Sueton.  
Cæs. c. 68.  
Val. Max.  
III. 2.  
Plut. Cæs.

21. His ad Herdam nuntiatis, ubi jam pontem Cæsar effecerat, omnia repente mutantur : hostes ex maxima fiducia in maximum metum veniunt, Cæsaris res omnibus modis fiunt superiores. Igitur aliquot Hispanorum populi, qui Pompeianarum partium semper fuerant, ad Cæsarem defeecerunt : Oscenses et his contributi Calagurritani, Tarraconenses, Jacetani, Ausetani, Illurgavonenses, quinque magnæ civitates. Ab his frumento adjutus Cæsar difficultates omnes pulchre explicat : quibus rebus permoti alii populi longius colentium, et quia falsum fuisse rumorem apparebat, Pompeium cum legionibus per Mauritaniam venire, ad Cæsaris amicitiam se transtulerunt. Perterritis hinc adversariis ut acrius instaret Cæsar, fossas pedum triginta ducere instituit, quibus pars aliqua fluminis averteretur ; quo vado transiri posset, neque longo circumitu per pontem transmittendi equites forent.

Dio.  
Lucan. IV.  
Appian.  
Flor.  
Plut. Cæs.  
Oros.  
Liv. Epit.  
Cæs.

22. Hoc opere prope confecto, Afranius et Petreius, timentes, ne prævalido Cæsaris equitatu penitus frumento pabuloque intercluderentur, bellum ad Iberum fluvium in Celtiberiam transferre statuunt. Igitur ad Octogesam, quod ad Iberum est oppidum, pontem fieri imperant : legionibusque duabus Sicorim transductis castra muniunt. Hæc ubi sunt Cæsari per exploratores cognita, noctes diesque labore continuato eo rem deducit, ut jam, licet agre, possent tamen atque auderent equites ejus flumen transire. Igitur hostes festinandum rati, præsidio Herdæ imposito, omnibus copiis Sicorim transeunt, et se cum præmissis legionibus conjungunt.

23. Cæsar legiones immittere non poterat, anne interposito : et, si per pontem duceret, interea hostes evadebant, non amplius viginti passuum millibus distante quam petebant Octogesa, quæ confici ab exercitu eodem die poterant. Igitur, quod solum erat reliquum, equites transire, et morari agmen jubet. Hi, transmisso flumine,

commodum superveniunt, ut noctu moventibus tumultum facerent, iterque prohiberent. Eā res spectari, luce red-dita, ex collibus, qui conjuncti Cæsaris castris erant, poterat. Accensi ergo milites tanta occasione victoriae, per tribunos et centuriones Cæsarem orant, ‘ ut se trans flumen duceret; qua equitatus transisset, ea se quoque audere transmittere.’ Cæsar etsi timebat exercitum tantæ magnitudinis et rapiditatis flumini objicere, tamen alacritate suorum, et spe bene gerendæ rei excitatus, magnum jumentorum numerum infra supraque constituit: medio spatio transire milites jubet. Erat adhuc ea fluminis altitudo, ut tantummodo humeris et summo pectore extarent. Transducti tamen sunt incolumes, cum paucos, qui fluminis vi abrepti fuerant, equitatus excepisset. Strenue deinde pergentes, ut simul corpora frigore aquarum affecta cursu refoverent, ad horam diei nonam assecuti sunt eos qui de tertia vigilia exiverant. Hostes, viso Cæsaris exercitu, locum superiorem ceperunt, aciemque struxerunt.

24. Cæsar interim suos requiescere jubet: deinde iterum progredientes hostes insequitur. Illi cum haud amplius quinque millia passuum abessent a montosis et angustis locis, quæ si modico præsidio occupassent, immunes ab equitatu Cæsaris ad Iberum pervenire, eumque tuto transmittere poterant; tamen totius diei pugna et itinere defatigati, castra posuerunt. Nocte proxima excepti ab equitibus aquatores, Cæsarem certiores fecerunt, adversarios silentio proficisci. Idcirco signum dari, vasa militari more conclamari, et præter adversariorum castra mulos agi cum fremitu, sonumque continuari jussit: hoc astu adeptus quod quærebat, ut sine fatigatione sui militis hostes detinerentur. Nam illi audito tumultu, nocturnam pugnam, aut Cæsaris equitatum veriti, consilio mutato, copias in castris tenuerunt.

Frontin.  
1. 8.

Cæs.

25. Postero die, cum Petreius, locis exploratis, redisset, deliberatum a ducibus est, quando exeundum castris foret. Tandem, nocturno itinere damnato, quo neque fallere Cæsaris diligentiam, neque vim repellere possent, prius luce sequentis diei constituerunt proficisci.

Quod ubi tempus advenit, Cæsarem cum omnibus copiis retrocedere viderunt, tanquam Herdam reverteretur. Id <sup>Frontin.</sup> propter inopiam fieri reputantes, quod sine jumentis impedimentisque profectum animadverterant; læti procurrebant ex castris, contumeliosisque vocibus Julianos prosequabantur. Sed alia longe mens Cæsari fuit: qui ad præoccupandos montes festinans, quia castris adversariorum præclusum iter erat, per transversas valles et aspera saxa enitebatur, ut his superatis haud longo circumitu in destinatam partem flecteret. Id ubi est ab Afranianis animadversum, tam segnis nemo fuit, quin effuso cursu eosdem petendos esse montes putaret. Eo res erat deducta, ut, si prævenisset Cæsar, omnia in ejus potestate essent futura: præventus ab hostibus, impedimentis tamen, et cohortibus quæ in castris eorum erant relictæ, potiretur. In hoc certamine celeritatis Cæsarem difficultates viarum male habebant; Afranius et Petreius per Cæsaris equites impediabantur. Hæc molestior mora fuit: priorque Cæsar, itinere confecto, aciem in planitie inter magnas rupes sita struxit.

26. Afranius a Julianis se circumventum videns, in colle quodam constitit; emissisque cohortibus cætratis quatuor, montem qui erat in conspectu excelssimus occupari jussit, castra ibi positurus. Sed cætrati ab equitatu Cæsaris ad unum omnes interficiuntur. Hoc facto pugnandi cupiditate Cæsaris copiæ accenduntur, præliumque postulant: si hæc prætermittatur occasio, se postea, cum Cæsar vellet, non esse puguaturos minantur. Cæsar tamen neque suos objicere vulneribus et periculo volens, neque cives occidere, quibus elementiam suam omnibus modis approbare studebat, abstinuit prælio, futurum sperans, ut sine pugna bellum conficeret, quod et aqua et re frumentaria hostes intercluserat. Igitur castra quam proxime hostem posuit: et postridie cum Pompeiani frequentes aqutum exivissent, immisso equitatu, nihil eis tutum aut tranquillum esse passus est. Ea re cognita, Afranius atque Petreius id consilii capiunt, ut a vallo ad aquam brachiis ductis, aquationem expédiant.

27. Hujus operis causa cum longius paulo discessissent.

liberam colloquendi facultatem nacti milites, de pace agere incipiunt: paulatimque eo progrediuntur, ut incolunitatem ducibus pacti, per primores centurionum Cæsari pollicerentur, se signa ad eum translaturus esse. Cum jam omnium voluntate pro confecta pax haberetur, tanquam una ex duobus castra facta essent, permixti milites, ut quisque suos in tentoria abduxerant, aut secuti fuerant, multa lætitia et gratulatione noctem celebrabant. His rebus auditis, Afranius in castra recurrit, ita comparatus, ut quicquid accidisset, laturus non iniquo animo videretur.

28. At Petreius familiam armat, et cum hac, et prætoriam cohortem, et paucis barbaris equitibus beneficiariis suis, subito advolat, et quotquot deprehendere Cæsaris militum potest, obtruncat; tanto furore, ut etiam tribunum e suis, qui retinere impetum ejus voluerat, confoderet. Deinde flens circumit manipulos, ne se, neu Pompeium absentem deserant prodantque obsecrat. Miles, subito immutatis animis, in prætorium concurrit. Ibi jusjurandum concipit Petreius, ‘se exercitum ducesque non proditurum, neque deserturum, neque sibi separatim a reliquis consilium capturum.’ In hæc verba jurat ipse prior: adigit et Afranium in eadem: tribuni centurionesque, deinde manipuli sequuntur. Juliani, qui adhuc in castris essent, produci jubentur. Qui producti sunt, interficiuntur in prætorio. Plerosque tamen ii qui receperant, celant, nocteque per vallum emittunt. Cæsar tamen admissam in se perfidiam non sustinuit imitari, quamvis multos sane suorum amiserat: sed conquistos, qui Pompeianorum sua in castra venerant, remisit omnes, exceptis aliquot tribunis et centurionibus, qui sponte apud eum remanserunt.

Appian.

Cæs.

Sueton.  
Cæs. 75.  
Cæs.

29. Renovato bello, Afraniani pabuli et aquarum inopia premebantur: frumenti nonnullam copiam habebant, quod ab Herda cibaria dierum duodecim extulerant. Sed auxiliares, quod unius diei inire se iter putabant, neque ad portanda onera erant assuefacti, fame infestabantur. Idcirco ex eo genere crebra ad Cæsarem transfugia fiebant. In his angustiis nihil erat Pompeianis ducibus re-

liquum, quam ut vel Herdam reverterentur, vel Tarracoenem pergerent. Tarraco longius aberat; et Herdæ nonnihil frumenti erat relictum. Igitur hoc probato consilio, profectionem instituunt. Cæsar cum legionibus sequitur; equitatu carpit novissimos. Ad hunc repellendum sæpe se convertunt hostes. Ita simul inceditur, simul sine intermissione pugnatur.

30. Cum ægre ad millia quatuor confectæ via esset, montem excelsum capiunt, et a fronte muniunt, quasi castra metarentur. Sed onerata jumenta retinuerant: et postquam Cæsarem castra possuisse, et equites pabulatum dimisisse sensissent, sub meridiem subito discesserunt: ut, priusquam revocare Cæsar equites posset, aliquantum itineris conficeretur. Is quoque vanus eis conatus fuit. Cæsar statim cum legionibus subsequutus, et post paucas horas equitatus superveniens, castra, ubi minime voluissent, metari cœgit. Substitit etiam in propinquo Cæsar: sed tabernacula poni non est passus, quo paratus esset ad insequendum, quodcumque movissent. Nam prælio abstinere superioribus de causis decreverat. Afraniani tota nocte castra proferunt, commodiorem captantes locum. Sed quo plus procedebant opera, longius ab aqua discedebatur; eoque res deducta erat, ut priora mala non nisi aliis malis corrigi possent. Ea nocte aquatium nemo profectus est. Postero die, præter castrorum præsidium, universus exercitus ad aquam educitur: pabulatum it nemo.

31. Tum Cæsar, ut his incommodis vexatos ad deditio-nem sine pugna cogeret, vallum fossamque circumducere cœpit, ne qua possent erumpere. At illis omnis in hoc uno spes erat reliqua. Ideirco, et inopia pabuli, et quo expeditiores essent, omnibus sarcinariis jumentis interfec-tis, tertia die quam circumvallari cœperant, circiter ho-ram octavam, aciem pro castris constituerunt. Eduxit et Cæsar suos, sed ita paratus animatusque, ut læscentibus repugnaret; signa non inferret prior. Præter pristinas rations alienum dimicationi tempus arbitratur, quod ad-versarios ira et necessitas stimulabant: quæ res etiam igna-vis animum viresque facere consueverunt. Accedebat ad

Frontin.  
11. 13.  
Cæs.

Frontin.  
11. 1.

Cæs.

hæc, quod in tanta vicinitate castrorum, vix enim mille passus intererant, nihil ad summam erat profecturus, parato hostibus, si pellerentur, receptu. Sic neutris pugnam incipientibus, cum ad noctem usque perstitissent acies, in castra reductæ sunt.

32. Postridie dum Cæsar operibus suis perficiendis instat, Afraniani vadum Sicoris tentare cœperunt. Cæsar ut hanc quoque spem illis amputaret, Germanos levis armaturæ cum equitum parte transire flumen, crebrisque stationibus observari ripas jubet. Cum ita quartum in diem equi hostium pabulo carerent; ipsi aqua, lignatione, frumentatione prohiberentur, et in maxima siti terram fodiendo, frustra puteos intra castra quæsivissent; colloquium defessi duces petunt, et id, si fieri posset, remoto a militibus loco. Colloquium concessum est, de loco negatum.

Lucan. iv.  
292.  
Cæs.

33. Igitur utroque exercitu coram, Afranius excusare incipit, 'quod fidei suo imperatori servandæ causa, contra Cæsarem tetendissent. Id se adeo nullo Cæsaris odio fecisse, sed præoccupatos legatione a Cn. Pompeio, priusquam ulla civilis belli suspicio extitisset. Omnia expertos eo devenisse necessitatis, ut victos se esse fateantur.' Tandem misericordiam Cæsaris suppliciter appellat.

Lucan.

Cæs.

34. Cæsar ad hæc leviter exprobrans ducum pertinaciam, 'qui neque Cæsaris lenitatem, neque suorum ipsi militum desiderium reveriti, quæsitam confectamque pacem pati nolissent, accidere ipsis' ait, 'quod soleat hominibus nimie arrogantiae, ut quod paulo ante contemserint, flagranter expetant. Se tamen neque illorum culpa, neque opportunitate temporum posse permoveri, uti ab sua pristina mansuetudine discedat. Igitur, quantumlibet sibi in manu sit retinere victas legiones, idque etiam facere debeat, si easdem illas contra se et paratas, et tot per annos retentas esse reputet; tamen se contentum fore, si effecerit ne hoc exercitu adversarii contra se amplius uti possint. Unam igitur hanc esse conditionem pacis, ut Afranius et Petreius Hispaniis excedant, copiasque dimittant. Id si fiat, nemini se nociturum.' Ea res ac-



ceptissima militibus Afranianis fuit: quod ultro commodum haberent missionis, qui a victore pœnam timuissent. Idcirco, cum de loco et tempore dimittendi cœptum esset agi, gestu ac voce significarunt, ‘statim mitti velle. Nec enim postea fidem promissorum præstituros duces, si præsens necessitas abscessisset.’ Tandem ita convenit, ut qui possessiones haberent in Hispania, statim; reliqui ad Varum flumen, qui Galliarum et Liguriæ terminus est, dimitterentur. Proximo biduo milites, si quas inter se controversias haberent, ultro ad Cæsarem in jus adierunt.

35. Interea tertia ferme copiarum dimissa parte, Q. Fufio Kaleno legato Cæsar deducendos reliquos dedit. Profectio sic instituta est, ut duæ legiones Cæsaris antecederent, ceteræ sequerentur, in medio Afraniani essent; et terna castra in vicino ponerentur. Ubi perventum ad Varum, reliquus exercitus dimissus est. Duces cum insignioribus centurionum et militum ad Pompeium profecti sunt: aliorum magnus numerus, feliciora auspicia sequi certus, sacramento apud Cæsarem dixit. Plut. Dio.

36. Cæsar, his rebus gestis, quanquam multis magnisque causis in Italiam revocabatur, tamen nisi perpacata Hispania excedere volebat: veritus, quia in citeriore provincia maximas clientelas Pompeius habebat, ne iterum bellum ingens existeret. Idcirco, Q. Cassio Longino tribuno plebis cum duabus legionibus præmisso, ipse sexcentos equites magnis itineribus ducit Cordubam, quo convenire magistratus principesque provinciæ jusserat. Nulla fuit civitas, quæ detrectaret imperium. Contra Varroni, qui hæcenus eam provinciam obtinuerat, et, completis duabus legionibus, triginta cohortes alarias adjecerat, subito infesta omnia fiunt. Cordubenses præsidium ab eo missum in sua potestate habent; Carmonenses ejiciunt. Varro Gades ire destinaverat, in ea insula, frumento navibusque comparatis, duci bellum posse ratus: oppidoque C. Gallonium familiarem Domitii præfecerat. Sed is Gaditanorum minis territus profugit. Varroni cum Gadibus, cum Italicæ præclusus aditus esset, et una legio ex duabus, ipso inspectante, discessisset e castris, Cæs. de B. Civ. II.

alteram, cum publicis rationibus, et pecunia quam habebat, Cæsari transdit.

37. Cæsar, Gades profectus, pecunias monumentaque referri in templum Herculis jubet, quæ erant inde jussu Varronis deprompta, Gaditanis civitatem Romanam dat; idque beneficium postea populus Romanus habuit ratum. Provincie Q. Cassius præficitur, quod quæstor olim Pompeii gentis mores perdidicisse credebatur; eique legiones quatuor attribuuntur. Nemini ulla fit a Cæsare injuria, præterquam quod pecunia ubique grandis exigebatur. His rebus ita constitutis, Cæsar Varronianis navibus Tarraconem revertitur, ibique conventum provincie citerioris agit: et quemadmodum in ulteriore fecerat, publice privatimque præmia bene meritis distribuit. Pedestri deinde itinere Narbonem digressus, cum per Pyrenæum pergeret, tropæum nullum posuit, quod ea res Pompeio quoque crimini erat data: sed aram laud procul Pompeianis monumentis ingenti mole ex polito lapide struxit, Alexandrum imitatus, qui ad imitationem Herculis et Liberi multis locis ad propagandam victoriarum suarum memoriam aras erexisse ferebatur.

Liv. Epit.  
Dio.  
Appian.  
Cæs.  
Dio.  
Cæs.  
Dio.  
Cæs.  
Dio.  
Q. Curt.  
VIII. 11. et  
IX. 3. Vid.  
et Freinsh.  
Indic. in  
Curt. in  
voce *Aræ*.  
Cæs.

38. Cum Narbonem pervenisset, cognitis quæ interim erant ad Massiliam gesta, eo proficisci statuit. Quippe Massilienses nihil damno navalis pugne deterriti, C. Trebonio, quem obsidioni præfecerat Cæsar, strenue restiterant: et maxima ejus opera, tormentorum multitudine et loci natura ac munitione adjuti, perruperant, ea machinarum violentia, ut asses pedum duodecim, ferreis præfixi cuspidibus, ingentibus ballistis per quatuor ordines cratium transacti in terram penetrarent. Interim L. Nasidius, imprudente Curione, per Siculum fretum, cum navibus septemdecim ad Massiliensium castellum Tauroenta pervenit: auctorque fuit civitati, ut denuo maritimæ pugne fortunam tentaret. At Brutus, ad priorem classem additis navibus, quas de Massiliensibus nuper ceperat, iterum eos profligavit, navibus demersis quinque, quatuor captis. Una enim Nasidianis navibus discessit, quæ, vix cæpto certamine, profugerant. Nec tamen eo secius in

defensionis suscepto proposito perseveratum fuit: quam Caesar jam Hispanias accessisse fama tulerat.

39. Ingentia deinceps opera Trebonii et incensa ab hostibus, et a Trebonio resecta sunt: quorum anotare rationem nihil attinet, cum Caesaris commentarii vivant, quibus tota ista obsidio inimitabili nostris temporibus elegantia describitur. Ad ultimum, omnibus defatigati malis, nam ad incommoda belli, e victu tenui et corrupto (hordeo et panico vetere alebantur) pestilentiae malum accesserat, Caesaris fidei se permiserunt. Fuerat iis Caesar, nec sine causa, iratissimus. Igitur praeter vitam et libertatem nihil ferme reliquit victis. Arma, naves, pecuniae statim, cetera mox ademta sunt. Postea tamen subinde remisit aliquid irae, nomini parcens et vetustati civitatis. Sed paucis ante diebus quam in potestatem Caesaris Masilia concederet, L. Domitius cum una nave profugerat.

40. His rebus ita gestis, Caesar, praemissis aliquot legionibus in Italiam, proficisci ad Urbem statuit: quod se dictatorem esse dictum Narbone cognoverat. Rem tantam temporum potius licentia, quam jure et more majorum M. Aemilius Lepidus praetor perlexerat, is qui postea cum Antonio et Octaviano Caesare triumviratum invasit. 'Falso credi' jactabat, 'nisi a consule dictatorem dici non posse: nam et olim a tribuno militum A. Cornelio Mamercum Aemilium dictum esse de sententia collegii, cum itidem propter intempestivam quorundam dubitationem augures consuli senatus censuisset.' Ita, ceteris invitissimis, propositum Lepidus tenuit, senatus tamen obtendens auctoritatem populi que jussum: cum in his nominibus nihil tum, praeter ipsa nomina, foret.

41. Sed arma hostium, jura civium pari impetu proterentem, pars exercitus, quo adjutore haec omnia egerat, terrere seditionibus cepit. Nona legio, praemissa cum aliis in Italiam, postquam Placentiam attigerat, tumultum movit: missionem postulans; 'quam olim etiam decreto senatus jussam, tot iniquis laboribus vulneribusque abunde meruissent. Praeterea sibi ad Brundisium denarios quingenos<sup>n</sup> promissos, nequedum representatos

<sup>n</sup> Denarios quingenos] Marcas argenti 7. uncias 6. semunciam 1. Crev.

Dio.

Flor. iv. 2.  
Caes.Cic. Phil.  
viii. 6.Flor. Oros.  
Dio.Cic.  
Strabo, iv.p. 181.  
Caes.Appian.  
Caes.Cic. ad  
Att. ix. 8.  
Dio.

Liv. iv. 31.

Plut. Caes.

Lucan.  
v. 237.Sueton.  
Caes. c. 69.Cic. ad  
Fam. viii.  
8. Dio.  
Appian.  
Dio.

esse.' Verior tamen causa erat, militum cupiditas et ira; quod prædæ suæ cuncta cessura sperantes post victoriam, ab omni injuria temperare cogebantur. Simul ea opinione ferociam augebant, quod, armato adhuc Pompeio, suæ opis egere Cæsarem arbitrabantur. At ille, insolens cogi, semperque in maximis periculis maximum animum habere suetus, minime cessit tumultuantibus: quanquam eo jam esset provecta seditio, ut in perniciem imperatoris eruptura videretur.

Lucan. et  
Sueton.

Frontin.  
1. 9.

Dio:  
Appian.

42. Vocatos igitur in concionem milites, (nam audito hoc motu celeriter Massilia advolaverat,) simul adesse jussis quos ipse adduxerat, præsidii causa, et ut plures discerent, quam immotum adversus ejusmodi terrores imperatorem haberent, ita circumfusos affatus est: 'Quis novus hic incessit animis vestris furor, ut omnibus his bellis tranquilli et obsequentes, hoc maxime tempore seditionem captetis, quo ego, fine jam instante laboris, de præmiis vestris attentissime cogitabam? Quæ vos omnia vecordissima audacia corrumpitis: priora merita obliteratis: me, quem semper vestri cupidissimum estis experti, ex imperatore vestro inimicum atque hostem redegistis.

Lucan.

Sueton.  
Luc. Front.  
Appian.  
Dio.

43. 'An enim stolidas illas minas, et temerarias voces vestras, terrore potius, quam ira pectus hoc repleturas putavistis? Scilicet qui barbarorum ferocissimos domui, civium potentissimos coëgi in ordinem, non timui Pompeios, non timui Scipiones, militum meorum voces, militum meorum manus timeam! En adsum C. Cæsar, nudumque pectus et paratum percussuris offero. Peragite scelus, et ejus ante hanc fortunam imperio semper parvistis, nunc omnium late victorem, si audetis, contemnite! Quod si vero, uti res docet, tantum animorum non est, ut vel conspectum meum ferre possitis; quanto intervallo meam vestramque conditionem fata disreverint, discite. Missionem postulatis, tanquam carere vobis hoc tempore nequeam. Ecce autem do quod petitis, vosque a signis meis discedere jubeo. An enim existimatis, si a vobis deserer, defuturas mihi manus, quibus paucas has bellorum reliquias profligem? Bonus et felix imperator ubivis reperit milites; et, si nulli usquam essent, abducerem vel ex hostium castris.

44. ‘ Utrum ego vobis, an vero vos me magis indigeatis, hæc tam recentia, tam certa documenta admonere vos non potuerunt? Nuper tantum bellum cum paucis cohortibus orsus, intra vicesimum diem supra quatuor legiones hostium meas feci. Atque illi milites læti lubentesque imperata faciunt; et, quod me potius imperatore ferunt arma, fortunæ suæ gratulantur. Vos quoque, si aliis sub ducibus merentes in meam venissetis potestatem, idem faceretis. Nunc secunda tantum, imperatoris vestri virtute, non vestra (ne erretis) experti, neque cui militetis, neque qui vos ipsi sitis, agnoscitis. Agite si placet, et vel ad Pompeium transite. Equis vestrum tam est arrogans, ut non multis modis T. Labieno se fateatur inferiorem? At ille meis auspiciis ubique magnificus, ubique victor, cum imperatore mutavit fortunam, et quasi repente factus esset alius, ignarus antea timoris et fugæ, nunc nusquam locorum audet consistere.

45. ‘ Ite, ite, et hoc exemplum sequimini, quando vos felicitatis vestræ piget. Stipendia vobis justo tempore dantur; annonæ nunquam defuit; nihil operæ vobis, nihil periculi injunctum est, cuius vos pœnitere debeat. Majore sudoris quam sanguinis impensa res omnium pretiosissimas, securitatem, gloriam, victoriam quærivistis. Neque dona vobis atque præmia defuerunt, quæ semper larga manu distribui; in pœnis parcior, nec temere ultra verborum castigationem progressus. At nunc, ut sentiatis quem provocaveritis, utque vestræ pœnæ exemplum a pari insania Romanos exercitus absterreat, morem majorum et clarissimorum ducum instituta secutus, legionem decimabo. Sane amari semper a militibus meis, quam timeri malui. Sed quoniam alterum, cum præstare deberetis, omisistis; alterum, quod effecistis necessarium, subite.’

46. Cum hæc ad vocem orta militum comploratio esset, tribuni centurionesque exquisitissimis precibus placare Cæsaris iram nisi, vix tandem effecerunt ut flecti videretur. Igitur resumto sermone, ‘ Nihil quidem concedi,’ ait, ‘ oportebat, ita meritis: sed tamen contentus pœna paucorum, dabo multitudini pœnitentiæ locum. Vos autem, quibus hæc venia conceditur, quid actum sit hodie,

et qua spe pactoque dimittamini, diligenter mementote. Nam si postea vel minimi motus aut auctores alii, aut socii fueritis, veteris simul recentisque delicti pœnam non effugietis. Militem non solum indefessum ad labores, impigrum ad prœlia, sed etiam vel maxime morigerum duci esse oportet: hoc si absit, reliqua sæpius in perniciem omnium, quam cujusquam commodo cedunt. Majores nostri, penes quos aliquot sæculis summa belli gloria per homines fuit, nullius rei diligentiores, quam disciplinæ militaris, custodes fuerunt. Iisdem illis certum immotumque semper fuit, plus in duce quam in exercitu reponere. Atque hoc universa rerum natura docere paulisper attentos debuisset. Ubique minoris est quod regitur, quam quod imperat. Ideoque Jovem, cujus in potestate omnia esse credimus, optimum maximumque vocamus: et in homine, membris omnibus totoque corpore una mens, a qua reguntur, potior est.

Dio.

47. 'Hæc prius intelligere vos voluissim, et erat melius. Ut tamen simul et necessariæ severitatis, et solitæ clementiæ meæ ratio habeatur, in paucos edam exemplum quod in totam legionem oportuisset. Centum et viginti seditionis auctores depono, unde duodecim ad pœnam sorte vocentur; et erit aliquod pœnitentiæ signum, si pessimos homines obedienter tradideritis.' Sortes ita de industria sunt temperatæ, ut seditiosissimus quisque duceretur. Sed cum ex hoc numero unum tempore seditionis abfuisse constaret, centurionem cujus calumnia nomen delatum innocentis fuerat, pro illo Cæsar occidi jussit. His securi percussis exauctorata legio, non ferens ignominiam, cum repudiari suam operam cerneret, non destitit satisfacere imperatori, donec multis et supplicibus precibus exorato, pristinum in sacramentum reciperetur.

Appian.

Dio.

Appian.

Frontin.  
IV. 5.

Sueton.

Lucan.  
v. 374.Plut.  
Appian.  
Dio.  
Lucan.

48. Placentina seditione composita, Cæsar legiones maximis itineribus in Apuliam et Bruttium mittit, navium undique contrahendarum causa: ipse Romam in faciem pacis cum inermi comitatu profectus, dictaturam iniit, ut roganti scilicet populo Romano gratificaretur. Ceterum ille consul in annum sequentem creari voluerat, ut tyrannicam potestatem, quam usurpabat, legitimi magistratus vocabulo

obtegeret. Simul servari speciem reipublicæ volebat. Et, quia consules ambo secuti Pompeium fuerant, nec prætoribus creandi consules jus esse dicebatur; necessario faciendum putavit, ut comitiorum habendorum causa daturam assumeret.

Cic. ad  
Att. ix. 9.  
Cæs. de  
B. Civ. 111.

49. In hoc magistratu exulibus, præter T. Annium Milonem, reditum decrevit; et proscriptorum a Sylla liberis jus petendorum honorum contra legem Corneliam dedit.<sup>o</sup> Aristobulum quondam Judææ regem, deinde triumphatum Pompeio, remisit daturum in Syria turbas. Sed ille quidem a Pompeianis veneno esse interceptus traditur: filium Alexandrum, acceptis ea de re Pompeii literis, Scipio securi percussit Antiochiæ, atrociniâ obijciens. Habuit deinde comitia, seque et P. Servilium designavit consules. Is enim erat annus, quo consulatum ei gerere per leges licebat; quarum vim cum vi majore solveret, speciem ubivis magna veneratione sectabatur. L. Pisonem collegam assumpturus videbatur. Sed quia legatos ad Pompeium mittendos Piso censuerat, eratque eam ob causam increpatus ab Isaurico; illi honorem libertas abstulit, huic adulatio dedit. Comitia ceterorum quoque magistratum sunt habita; pontificum etiam, in loca demortuorum: feriæque Latinæ celebratæ.

Appian.  
Plut.  
Dion. Hal.  
viii.  
Sueton.  
Cæs. c. 41.  
Dio et  
Joseph.  
Ant. xiv.  
13. et 15.

Dio.  
Cæs. de  
B. Civ. 111.  
Lucan.  
Dio.  
Plut.

50. Oppressis deinde ære alieno consulendum putavit; sed ita, ne subruere fidem, et, dum aliorum necessitati cupidius consulit, aliorum juri vim facere intolerandam videretur. Constituit igitur, 'ut arbitri darentur' (nam ipsius verba libentissime pono) 'per quos fierent æstimationes possessionum et rerum, quanti quæque earum ante bellum fuisset: atque eæ creditoribus transderentur.' Hi arbitratores, ne quis alteri parti addictiores electos quereretur, sorte creabantur. Hac conditione quarta fere pars crediti deperibat: sed facile patiebantur homines, quia timor novarum tabularum, quæ vulgo postulari cœperant, tollebatur. Quia deinde rumor percrebuerat, multos aurum ar-

Dio.  
Lucan.  
Cæs.  
Appian.  
Dio.  
Sueton.  
Cæs. c. 42.  
Cæs.

Dio.  
Sueton.  
Cæs.  
Dio.

. ° *Proscriptorum a Sylla liberis  
jus petendorum honorum . . . dedit*  
Hoc supra jam, c. 7. Cæsar fe-  
cisse memoratur primo ad Ur-

hem adventu. Nimirum diver-  
sos Freinshemius auctores secu-  
tus est, illic Dionem, hic Plu-  
tarchum. *Crev.*

gentumque, ne creditoribus solverent, suppressere; horum nequitia abusus, legem tulit, 'ne quis supra sestertia sexaginta<sup>p</sup> in numerato haberet.' Sic providebatur, ne quis magnarum opum fiducia adjicere ad res novandas animum posset. Plebs ad hæc addi postulabat, ut præmia servis, qui dominos in hanc legem peccantes detulissent, decernerentur: sed abnuvit Cæsar, juratusque negavit servis adversus dominos crediturum.

Lucan. iv. 51. Inter hæc tam prospera non modicam accepit per  
402. duces suos in Illyrico cladem. P. Cornelium Dolabellam,  
Oros. vi. cum a Cæsare naves haberet, M. Octavius et L. Scribo-  
15. nius Libo, quos Liburnicæ atque Achaicæ classi Pom-  
Sueton. peius præfecerat, victum exutumque copiis Dalmatia ex-  
Cæs. c. 36. pulerunt. Sed ille quidem, amissa classe, perfugit ad C.  
Flor. iv. 2. Antonium, qui ad Curictam (Japodum littoribus assita est  
Cæs. Dio. insula, ad maris Adriatici fauces) castra habebat. Sed  
Oros. Flor. ipsum quoque Antonium, cum ulcisci Dolabellam cupe-  
Strabo, ret, cum Q. Hortensio qui ab Infero mari classem addux-  
vii. p. 315. erat, Pompeiani duces superarunt: quanquam ei L. Mi-  
Ptolem. nucius Basilus, C. Sallustius Crispus, ex singulis legioni-  
11. 17. bus quibus præerant, cohortes aliquot subsidio misissent.  
Dio. Oros. Antonius Curictam refugit, asperitate situs et incolarum  
virtute confisus. Sed ubi Octavius et Libo cum ingenti-  
Lucan. bus copiis classicorum affuerunt, desertosque a sociis ur-  
Dio. gere fames cœpit, et ad Pompeianas partes palam trans-  
Cæs. de gressus vir fortissimus T. Pusio sollicitare; Antonius se  
B. Civ. III. cum quindecim cohortibus dedit: omnesque ad Pom-  
c. 68. peium a Libone deducti sunt. Evasere tamen prius pauci  
Liv. Epit. ad Basilum, qui copias instructas ex adverso littore os-  
Appian. tenderat.  
Oros. Dio.  
Lucan.

52. Ea spes audaciam parti militum fecit, ut nova ratione tentarent per mare fugam. Namque refluxu expectato, rates conscenderunt ita contextas, ut geminatis cupparum ordinibus incumberent, quo inter utrumque ordinem occulto remigio proveherentur. Series cupparum ad firmitudinem catenis ferreis colligabantur. In medio ratis erecta turris erat, unde, sicubi vim faceret hostis, de-

<sup>p</sup> Sestertia sexaginta] Marcus argenti 234. uncias 3. Crer. -



fendi posset. Ex tribus ejusmodi ratibus prima et sequens æstus beneficio litus optatum tenuerunt: tertia, quæ vehebat Opiterginos, in occultos quasi casses incidit, quos Pompeiani Cilices, usitata sibi cum adhuc piraticam facerent arte, funibus sub mari circumductis paraverant. His deprehensa ratis, et ad scopulos unde religata vincula fuerant attracta, cum ab hostibus terra marique oppugnaretur, defensa tamen est, quia supervenientes tenebræ prælium diremerant.

Flor.  
Lucan.

53. Præerat Opiterginis tribunus, Vulteius nomine. Hic, cum neque vincula rumpere tentantibus res succederet, neque aliud sperari eflugium posset; ‘Parvum,’ inquit, ‘deliberandi spatium noctis hujus mora præstat, milites. Neque etiam multa deliberandi aut anceps materia est. Si possemus et mortem et ignominiam effugere, hoc nimirum prorsus esse faciendum nemo ambigeret. Nunc quoniam alterutrum necessario legendum est, utrum sit optabilius, aliqua esse dubitatio timidis, et ignavis, et Cæsarem prodituris, posset. Nobis quidem neque ingratum esse adversus eum cujus maximis beneficiis sæpe usi sumus libeat, neque virtutis nostræ gloriam turpi commaculare infamia.

54. ‘Quid igitur afferri potest, quominus libertate, donec adest, utamur, et in præstantissimam conditionem nos vindicemus; ut neque adversariis quicquam in nos liceat, et facinus nostrum æterna fama sequatur? Præsertim quia fortes ab ignominia mors absolvit; post ignominiam nihilominus subeunda mors est. Promittent haud dubie vitam. Sed quid nobis opus est vita agenda precario? Quid si vero fallant fidem? Et qui mori per virtutem potuimus, turpes irrisique alieno arbitrio cervicem demus? Quid si ad longius neque simplex supplicium servati, ad Pompeium adducamur, tam inimicum nobis semper, quam propitius Cæsar fuit? Ad Marcellum, ejus animum supplicio Novocomensis illius experti sumus? Hos videre, his supplicare Transpadanus quisquam poterit?’

Quintil.  
III. 8.

55. ‘Hoc ne conjuges quidem liberique nostri velint; ob quæ nomina quandoque consilium mutarunt, qui de se decreverant. Pro Cæsare perire omnes optent, quam vel

regnare cum hujus inimicis. Sed neque in eo res est: quin omnia sunt in potestate Cæsaris, et si hunc offendimus, illi perierunt. Sic eadem via quæ nobis ad gloriam et libertatem patet, a civitate nostra famam proditionis, iram victoris, metum, periculum, cladem avertimus, Cæsaremque magis etiam ei conciliamus. Cujus equidem, quia notissima nobis est liberalitas, quis futurum ambigat, quin et nos ille laudet, et ob nostrum factum universæ genti pretium tribuat? Nec fefellit eum animus. Quippe Cæsar, ubi propter ipsum mille circiter Opiterginos, ut fidem ei servarent, in eadem rate mutuis vulneribus concidisse didicit, priusquam ab Urbe proficisceretur, non illi solum oppido, sed omnibus omnino Transpadanis civitatem Romanam dedit.

Flor. Liv.  
Epit. Dio.  
Lucan.

Dio.  
Sueton.  
Liv. Epit.  
Appian.  
Flor. Oros.  
Lucan.  
Cæs. Civ.  
ii. Cæs.  
Civ. i. Cic.  
pro Lig.  
c. 7.  
Cæs. Civ. i.  
Cic. pro  
Lig. c. 1.  
Cæs.

56. Caii deinde Curionis referenda clades est, sub idem tempus in Africa occisi. Sed illi quidem principia nimis læta fuerunt. Recepta sine certamine Sicilia, sicut jussus erat a Cæsare, in Africam transjecit legiones. Provinciam eam obtinere L. Tubero debuerat, ex senatusconsulto sortitus: sed, illo contante, P. Attius Varus, qui Auximo profugiens Uticam pervenerat, clamore multitudinis ad se delatum imperium arripuit; Tuberonemque venientem, quanquam earundem partium esset, exclusit provincia: ne filium quidem valetudine affectum exponere, sed nec aquam haurire passus. Atque iste quidem Varus provinciam eam prius ex prætura obtinuerat. Quo facilius ei fuit, propter hominum locorumque notitiam delectus agere, et alia tuendæ provinciæ parare. Igitur duas jam legiones habebat sub signis: nec minus reponcbat spei in Mauri regis amicitia, cui transditum a patre Hiempsale erat hospitium cum Pompeio, et maxima cum Curione similtas, qui in tribunatu legem de publicando Jubæ regno promulgaverat.<sup>3</sup> Adversus hos duas legiones Curio transportavit, et quingentos equites, navibus longis duodecim, et multis onerariis.

Lucan. iv.  
668.  
Cæs. Civ. ii.  
Dio.

Cæs.  
Appian.

Cæs.

57. Ad hujus classis conspectum L. Cæsar adolescens, qui ad Clupeam adventum Juliauorum cum decem rostra-

<sup>3</sup> Publicaverat edd. ante Crev.

tis opperiebatur, multitudine velorum territus, Adrumetum perfugit. Curio præter Uticam ad flumen Bagradam progressus, excensione facta, castra locat. Inde ad exploranda castra Cornelia (nobilitatem nomenque loco prioris Africani expeditio fecerat) cum equitatu pergit, levique prælio victis Numidis, qui, ut tutum agrestibus receptum facerent, ex castris Vari oppido conjunctis excurrebant, et adventu longarum navium audacior, pronuntiat navibus onerariis, quæ numero circiter ducentæ stabant ad Uticam, ‘pro hostibus se habiturum, qui non extemplo cursum ad castra Cornelia direxissent.’ Obsecuti sunt universi, exercitumque Curionis omnium rerum copia repleverunt. Mox iterum in castra ad Bagradam se recipit Curio, quia adversarii castra Cornelia occupaturum suspicati,<sup>4</sup> aquas veneno infecerant; et acclamatione totius exercitus appellatus imperator, postero die movet Uticam, et castra prope oppidum ponit. Nondum perfectis operibus, fit certior adesse magna Jubæ regis auxilia, Uticamque sine timore pergere. Igitur equitibus immissis hos disturbat, et magnum interfecit peditum numerum, qui tam celeriter in oppidum se recipere nequiverant.

Appian.  
Lucan. IV.  
655.  
Cæs.

Appian.  
Cæs.

58. Sed proxima nocte cum centuriones Marsi duo cum manipularibus aliquot ad Varum perfugissent, in spem ille venit, totum corrumpi Curionis exercitum posse. Igitur, eductis legionibus, ut inter se et Curionem una tantum vallis interesset, tentare milites per Sex. Quintilium Varum cœpit, qui L. Domitii quæstor ad Corfinium fuerat. Igitur notos sibi centuriones militesque compellans, ‘ut ad prius sacramentum redirent,’ obsecrabat, ‘relinquerentque illos, a quibus capti perfugarum in numero haberentur, et per summam contumeliam hoc vocabulo notarentur.’ Postremo largitionem a se et P. Attio ostentat, si prioribus partibus concilientur. Ad hæc neutram in partem significatione voluntatis facta, exercitus in castra reducti sunt.

59. Sed tentati militum animi castra Curionis timore et

<sup>4</sup> *Divinati* legitur in edd. ante Crev.

*Delph. et Var. Clus.*

*Livius.*

suspicione compleverant. Nam, paucis mutatis centuri-  
onibus, iidem ordines manipulique manebant, quales eo  
tempore fuerant, cum ad Corfinium a Cæsare caperentur:  
præterea genus erat hominum, ex municipiis Pompeio ad-  
dictissimis, Peligni Marsique. Hæc omnia non parum  
magnas timendi causas afferebant, et quod superiore nocte  
inter transfugium paucorum excepti graviores quidam mi-  
litum sermones, nonnulli et conficti erant. Igitur in  
principiis de summa rerum sententiæ dicebantur. Alii  
regrediendum in castra Cornelia censebant; quidam op-  
pugnanda hostium castra. Neutrum consilium Curioni  
placuit: alterum abjecti nimis animi, alterum temerarii  
videbatur.

60. Igitur, dimisso consilio, milites ad concionem vocat:  
' quantum eorum fidei Cæsar credat,' exponit. ' Non de-  
bere hunc deserere, a quo maxima sint expectanda præmia;  
præsertim dijudicata jam fortuna belli, duabusque Hispaniis  
receptis. Frustra jactare prius sacramentum adversarios.  
Non legiones illud, sed ducem Domitium abruptisse. Pro-  
ditos ab eo milites, a Cæsare conservatos, non beneficii  
modo gratia, sed in verba Cæsaris sponte adactos, nova  
religione teneri. Quod si causam a Cæsare desciscendi  
nullam habeant, in se quoque nihil esse sperare, quod  
offendat. Præclaram sibi erga milites voluntatem con-  
stare: diligentiam duce dignam præstitisse hactenus:  
etiam fortunam affuisse conatibus. Atque hæc omnia  
nuper adeo consensu uniuersorum esse approbata, cum  
sit imperator ab iis appellatus. Cujus honoris gratiam  
se ipsis facere, si pœniteat.'

61. Adhuc dicentem interruptit militum clamor, in-  
digne ferentium, quod suspecti prodicionis essent; et ad  
omnia pericula fidem suam operamque offerentium. Unde  
Curio jam animosior, postridie eodem loco quo antea, in  
acie astitit. Eduxit et Varus suos, uterque legionum  
Domitianarum fiducia, quas Curio mansuras in recenti  
sacramento, Varus redituras ad vetus, putabant. Sed  
ubi vallem transire Vari equitatus omnis cum parte levis  
armaturæ cepit; equites Curionis cum duabus Marrucii-  
norum cohortibus impetu facto, relictos a suis velites ce-

ciderunt. Qua re Varianos perturbatos cernens Rebilus, legatus Cæsaris, quem ob peritiam rei militaris ex Sicilia Curio secum adduxerat, instare, atque tempore uti jubet.

62. Nec moratus Curio, ut erat acer et audax, primus procurrit in vallem, impeditam adeo, ut ab altera parte, nisi adjuti a suis, ascensum difficulter molirentur. Sed hostes, animis percussis, neque ullius nisi fugæ memores, priusquam ad jactum teli perventum esset, in castra omnes refugerunt, tanta consternatione, ut in portis et angustiis viarum plures obriti oppressique a suis sine vulnere morerentur, quam interfecti in prælio fuerant. Et nisi Curionis milites tantum ad pugnam profecti sola secum arma extulissent, eodem impetu expugnari castra potuerunt. Memorabile tum facinus Pelignus quidam nomine Fabius edidit. Namque fugientibus immixtus magna voce Varum identidem invocans requirebat. Ubi ille, credens unum e suis, restitit, quis esset, et quid vellet, interrogans; Fabius stricto gladio eum petiit: et interfecisset, nisi scuto sublato vitasset ictum Varus. Fabium qui proximi forte erant milites occiderunt. Isque solus Curionis militum ea pugna cecidit: adversariorum desiderati circiter sexcenti, et mille præterea vulnerati sunt. Varus cum suos mirifice perterrefactos animadverteret, exercitum de tertia vigilia ex castris in oppidum reduxit.

63. Curio circummunire oppidum instituit; magna spe, quod Hispaniensem Cæsaris victoriam, quæ multorum literis ac nuntiis in Africam perferebatur, omnium animos inclinaturam in has partes rebatur. Ideirco cum regem Jubam venire cum ingenti exercitu audisset, vix credere potuit; donec minus quinque et viginti millibus abesse didicit regis copias. Tum in castra Cornelia se recepit, ubi into bellum duceret, donec ex Sicilia duæ aliæ legiones, et reliquus equitatus adveheretur. Sed in optimo consilio permanere licitum ei non fuit per Uticensium quosdam, qui in castra ejus perfugerant. Ii revocatum Leptitanorum bello regem discessisse cum maxima copiarum parte nuntiabant; Sabura duce modicam manuum

pergere Uticam, jamque haud procul oppido distare. Sed  
 Lucan. 1v. ea fraus Maurorum erat: præmissusque Sabura rumorem  
 717. eum sparserat. Ceterum rex cum omnibus copiis seque-  
 Frontin. batur.  
 11. 5.  
 Cæs.

64. At Curio, præmissis prima nocte equitibus, quarta vigilia cum legionibus ad castra Saburæ contendit. Huic equites occurrunt, rem a se bene gestam nuntiant. Cupiditas hominis magis inflammatur. Quærit ex captivis, quis castris ad Bagradam præsit? Respondent Saburam; Ille, studio conficiendi itineris, quærit ultra nihil, conversusque ad suos, 'Videtis,' inquit, 'eadem omnia et hos, et perfugas Uticenses dicere.' Summa deinde festinatione procedit ad hostem. At ille simulatione timoris paulatim cedit, juvenilemque animum magis magisque vanæ alacritatis implet. Sic in patentes campos protractus, equitatu Numidico circumvenitur. Fessi erant Romani equites peditesque itineris longinquitate, sedecim millibus passuum<sup>1</sup> confectis; equites etiam superioris noctis prælio. Igitur cum neque timidis ad fugam, neque fortibus ad pugnandum vires superessent, occidione totus exercitus cæditur. Ipse Curio, cum Cn. Domitius præfectus equitum hortaretur, ut fuga salutem peteret, 'nuncquam se venturum' dixit, 'in conspectum Cæsaris, amisso quem suæ fidei credidisset exercitu.' Atque ita, ut res temeritate sua perditas morte sequeretur, prælians interfectus est. His rebus auditis, naves quæ ad castra Cornelia stabant, cum paucis militibus, qui ad primam rei famam eo decurrerant, in Siciliam celeriter se receperunt. Reliqui (nam quinque cohortes præsidio relictæ castris fuerant) Varo se dediderunt.

65. Ceterum Juba suæ victoriæ præmia alieno arbitrio minui non posse dictitans, magnam eorum partem interfecit: ceteros misit in regnum; frustra conquerente Varo suam fidem ab eo lædi. Sed eum adeo rex contemnebat, ut in oppidum invectus, multis populi Romani senatoribus prosequentibus, quæ fieri vellet Uticæ atque in provincia, pro imperio constitueret. Quibus effectis rebus, paulo

<sup>1</sup> Sedecim millibus passuum] Lencis plus quinque. Crev.

post cum omnibus copiis in regnum rediit. Hæc postquam in Urbem, et in Macedoniam nuntiata sunt, diversam pro dissensione animorum, a Romanis mercedem Juba tulit. Pompeius et qui cum eo erant, honorem ei habuerunt, regemque appellarunt: at Cæsar et urbani judicarunt hostem, Bocchumque et Bogudem, quod ejus essent adversarii, reges appellandos esse censuerunt.

66. Interim in Dalmatia M. Octavius, post discessum Liburnicarum navium, quibus Antonianos milites ad Pompeium Libo deducebat, Issam, insularum eo tractu nobilissimam, ab amicitia Cæsaris avertit: Salonas, cum frustra tentasset, oppugnare statuit. At illi cum ob paucitatem resistere non possent, servos puberes manumiserunt, et mulierum præsectis crinibus ad tormenta sunt usi. Octavius, horum pertinacia cognita, quinque castris oppidum clausit. At cum obsessi negligentius agi excubias apud hostem cernerent, pueris atque mulieribus in muro collocatis, ut species propugnatorum servaretur, eruptionem in proxima castra faciunt: hisque perruptis (nam propter æstum multi milites ex stationibus discesserant,) eodem impetu cetera omnia expugnant, Octaviumque majore copiarum amissa parte, cum reliquis in naves compellunt. Octavius tantam cladem passus, cum de Salonis expugnandis desperasset, jamque instaret hyems, Dyrhachium ad Pompeium reversus est.

67. Dum hæc in Illyrico et Africa geruntur, Cæsar deposita in speciem civilis animi dictatura, sub alio nomine eadem omnia habiturus, Brundisium pergere statuit, quo etiam legiones præmiserat, Pompeium petiturus: quem in usum tum aliis e fanis, tum ex ipso Capitolio donaria pleraque omnia sustulerat.

68. Neque mediocriter spem ejus erexerunt objecta tum et paulo post omina. Quippe dum adornat iter, in comitatum ejus lauream supervolans milvus injecit: et postea sacra eo faciente Fortunæ, taurus adhuc intactus effugit, paludemque nactus, eam tranavit. Responderunt haruspices ' Cæsaris fata sic adumbrasse Deos; mentisque exitium, mare transeunti vitam victoriamque

Dio.

Lucan. v.  
56.

Dio.

Cæs. Civ.

III.  
Oros. vi. 15.Strabo,  
vii. p. 315.  
Cæs.Joseph.  
Sarisb.Polyc. III.  
10.Plut. Cæs.  
Appian.Dio.  
Cæs.

Dio.

Flor. Plut. portendi.' Quamvis igitur hyems esset,<sup>r</sup> et ob tempesta-  
 Appian. tes difficilis trajectus speraretur; ordinatis a tergo omni-  
 Dio. Flor. bus, Brundisium intendit iter. Exeuntem prosecuta in-  
 Appian. gens hominum multitudo pacem orabat, et cum Pompeio  
 reditum in gratiam: satis enim apparebat, si vi victus  
 alteruter esset, eundem libertati quem bello finem fore.  
 Dio. Profecto jam Cæsare, pueri ludjera pugna concurrerunt  
 Romæ, superioresque extiterunt qui Julianorum sibi no-  
 men indiderant.

Cæs. 69. Postquam Brundisium Cæsar venit, quo legiones  
 Plut. et duodecim, et omnem equitatum convenire jusserat, vix  
 Appian. tantum reperit navium, ut quinque legiones transportari  
 cum sexcentis equitibus possent. Igitur pro concione  
 hortatus est milites, 'ut æquo animo relinquerent impedi-  
 menta sua, quo plures imponi pugnatorum possent:?' at-  
 que ipsis alaeriter acclamantibus, sine mora compleri  
 Lucan. v. naves jussit. Ceterum ventis reflantibus per aliquot dies  
 430. hæserunt ad anchoras: quo temporis intervallo et consula-  
 Appian. tum Cæsar iniit Brundisii, et aliæ duæ legiones super-  
 venerunt.\* Septem igitur legiones, sed infrequentibus  
 Cæs. signis, quia bellis Gallicis et longo ab Hispania itinere,  
 ad hoc autumnii gravitate in Calabria, valde erant demin-  
 Appian. utæ, in naves onerarias imposuit; rostratis, quarum ha-  
 bebatur haud magnum numerum, ad præsidium Sicili-  
 Cæs. Sardiniaque relictis. Hæc classis, cum pridie Nonas  
 Januarias solvisset, tota nocte propter malaciam propin-  
 quis locis hæsit: postero die Græciam attigit, tempesta-  
 Dio. tibus ad Ceraunios delata montes, ibique, navibus omni-  
 Appian. bus incolumibus, milites exposuit.

<sup>r</sup> *Quamvis . . . hyems esset*] Ap-  
 pianus, Florus, Plutarchus Pom-  
 peio et Cæsare, magno consensu  
 tradunt Cæsarem circa brumam  
 Brundisio solvisse. Sed eos ar-  
 guit Usserius in Annalibus ad  
 annum mundi 3956. deceptos  
 esse annu Romani ante Julianam  
 emendationem perturbatione:  
 docetque Nonas Januarias, quo  
 die Cæsar se terram Ceraunio-  
 rum attigisse scribit, respondi-

se Juliani Octobris diei 15. Quod  
 quidem optime congruit cum ra-  
 tione temporum a Cæsare nota-  
 torum. Is enim Civil. 111. post  
 transitum suum in Græciam  
 'jam hycemem appropinquavisse'  
 significat: et paulo post, 'Pom-  
 peium iter ex Macedonia in hy-  
 berna Apolloniam Dyrrhachium-  
 que habuisse.' *Cæsar.*

\* A. U. C. 704. A. C. 48.



# SUPPLEMENTUM

## LIBRI CXI.

### HISTORIARUM

#### T. LIVII PATAVINI.



1. **I**NTEREA temporis, occupato per varia negotia Cæsare, Cn. Pompeius cum annum ad apparanda quæ vellet liberum habuisset, ingentes terra marique vires contraxerat. Quinque legiones cum adjunctis equitibus trajecerat ab initio: unam deinde effecerat ex Sicilia, quæ facta ex duabus, Gemella vocabatur; et unam ex veteranis, qui in Creta et Macedonia sedes fixerant: duas in Asia conscribendas curaverat Lentulus. Præterea cum duabus Syriacis legionibus, exercitus Crassiani reliquiis, Scipio Metellus expectabatur. Sagittarios tria millia habebat: funditorum cohortes sex: equitum septem millia, maximam partem ex regum auxiliis. Naves insuper rostratas instructas habebat sexcentas: quarum præstantissimæ centum Romani generis milites vehebant: onerariarum præterea maximus numerus aderat.

Cæs. de B. Civ. III. Appian. Civ. II. Oros. VI. 15. Lucan. III. 169. Vell. II. 51. Plut. Pomp. Cæs.

Appian.

2. Eam classem per omnem maritimam oram distribu-  
erat, quæ transitu Cæsarem prohiberet. Navibus Ægyptiis Cn. Pompeius adolescens præerat, Asiaticis D. Lælius, C. Triarius; Syriacis C. Cassius; Rhodiis C. Marcellus cum C. Coponio; Liburnicæ atque Achaicæ classi Scribonius Libo, M. Octavius. Sed universæ rei maritimæ præfecturam M. Bibulus gerebat, cui omnes reliqui dicto audientes esse debebant. Civitates præterea Dyrrha-

Lucan. v. 420. Vell. II. 51. Cæs.

chium, Apolloniam, ceterasque ad eam oram hybernis occupare decreverat.

Lucan. 3. At Lentulus Marcellusque consules, cum eorum in  
v. 8. exitu annus esset, senatum convocarunt. Civilis enim  
Dio, xli. discordia senatum quoque geminaverat, ut et qui Romæ,  
et qui Apolloniæ erant, hoc ad se vocabulum traherent.  
Nam apud Pompeium haud minus ducenti senatores  
erant: tantum ei paraverat auctoritatis suscepta, ut puta-  
Plut.Pomp. batur, libertatis defensio. Igitur et quidam ætatis ex-  
tremæ, præterea claudus altero pede, ad eum se contu-  
et Bruto. lerat; et M. Brutus, quanquam ad id tempus Pompeium,  
cujus jussu pater Bruti fuerat interfectus, neque salutare,  
neque respicere solitus. Ut autem omnia quam fieri  
Dio. posset proxime morem majorum agerentur; Thessaloniciæ  
per augures templum constituendum curaverant, ubi se-  
natus cogi posset, quod alio loco facta senatusconsulta pro  
justis non habebantur.

Varro ap.  
Gell. xiv. 7.  
Lucan.

4. Eo postquam convenit exul senatus, verba de re-  
publicâ facere Lentulus instituit: 'ante omnia decernen-  
dum huic cœtui, hunc esse verum justumque populi Ro-  
mani senatum: qui Romæ sint, desertores causæ publicæ,  
amicos tyranni, purgamenta potius amplissimi ordinis,  
quam membra, nequicquam usurpare vocabulum Curiaë,  
cujus jura prodiderint. Proximum esse, ut provideant,  
quomodo et per quos in posterum gerenda sit respublica.  
Dio. Nec enim consulum haberi comitia attinere, quod de  
eorum imperio ferri lex<sup>1</sup> curiata nequeat. Ideirco re-  
liquos quidem proconsulibus et proprætoribus, suo quem-  
que loco reipublicæ navaturos operam: sed tamen unum  
summum constitui ducem oportere, neque dubitandum,  
Lucan. quin Pompeius is esse debeat.' Erat sane jam anno supe-  
riore datum Pompeio summum imperium, sed consulibus  
adjunctis. Tum vero summam belli rerumque omnium  
uni permitti placuit. Atque is ut animos ad meliorem  
spem erigeret, hujusmodi orationem habuit:

5. 'Ego vero nullum pro vobis et republica laborem,  
nullum discrimen deprecor, patres conscripti: potesta-

<sup>1</sup> *Lege pro lex legebatur ante Crev.*

tem impositam recusarem, nisi vobis omnibus adiutoribus usuro neque consilium, neque collegæ defuturi essent. Ideirco magna mihi spes optimi eventus sollicitum animum consolatur: modo vos quoque bono animo sitis, neque magis umbra rerum et vocabulis, quam rebus ipsis moveamini. Scio a multis consilium meum Urbem relinquendi reprehensum esse: cuius nunc quoque adeo non pœnitet, Appian. ut hoc uno modo conservari potuisse rem Romanam existinem; perdendamque nobis in perpetuum Urbem fuisse, nisi relicta ad tempus foret. Segregavimus a nobis improbos cives, segregavimus timidos: et qui manendo ab illis impetiti, ab his deserti, hostem instantem, copias ambiguas, consilia impedita habuissemus, egregie explicavimus omnia. Vires terrestres maritimasque maximas coëgimus: pecunia, comœatu, regum atque populorum auxiliis abundamus. Neque corpora sua tantummodo nobis præstabant hæ copix, sed animis etiam nobiscum votoque stabunt. Teneat sane vacuum ille Urbem, et Lucan. desertas a dominis domos: dum hic sit senatus, hic Romana civitas, quæ profecto non in ædificiis consistit, sed Appian. in civibus: quemadmodum et olim clarissimorum populorum exemplis præjudicatum est. Athenienses bello Medico urbem, perituram secum si mansissent, reliquerunt; ut salvi atque incolumes gloriosius reciperent haberentque. Quid majores nostri? Cum urbem Galli occupassent, nonne ab Ardea et Veiiis Romanum exercitum eduxit Camillus, alter Urbis imperiique nostri conditor? Quid igitur vetat, quominus eadem secuti consilia, parem sperare eventum debeamus?

6. Cum eo homine nobis res est, qui summam et incredibilem cupiditatem imperandi ne nunc quidem tegere potest, manente bello, et incerto rerum exitu. Quid illum facturum censetis, quod omen Dii prohibeant! victorem, qui nunc arbitrato suo creat magistratus, distribuit exercitus, dilargitur provincias, omnia legum populique, omnia senatus jura sibi uni vindicat? Cum hoc tam superbo, tam impotente tyranno sic est decertandum, ut omnino victoriam vindictamque speremus, sed tamen, etiamsi contra daret fortuna, perire potius optemus, quam

omnium modo terrarum gentiumque dominos, insolentissimum dominum pati.

7. 'Mihi certe fixum decretumque est, non modo quam semper in imperiis præstiti adhibere virtutem, fidem, diligentiam; sed etiam, si fieri posset, augere omnia, majoraque et intentiora præstare. Neque me sic antiquus ille deseret Deorum favor, ut fortunatum in omnibus, demum in optima causa jacere patiantur. Nam de apparatu nostro, quem juxta mecum scitis, quid opus est dicere? Tot civium Romanorum legiones, tot sociorum regum atque civitatum auxilia, tantæ toto mari classes, excitare vel ignavos possent. Vos modo, quod felix faustumque sit, eam adhibete curam atque industriam, quam tempora nostra et reipublicæ desiderant.' Similem deinde ad milites qui aderant concionem habuit, læta omnium acclamatione.

Lucan.

8. Eodem tempore laudati ab hoc senatu sunt sociorum promptissimi; donaque et honores decreti Rhodiis, Spartanis, Atheniensibus. Utque Massiliensium fidei quod posset præmium redderetur, Phocæam, cui suam originem debebat Massilia, liberam esse jusserunt. Cotyi quoque, qui Sadalem filium e Thracia cum equitibus quingentis miserat, actæ gratiæ, reguloque munera missa. Iisdem honoribus rex Deiotarus affectus est, qui sexcentos adduxerat equites, et Rhascipolis, quem secuti erant ex Macedonia ducenti. Sed effusa maxime in Jubam studia fuerunt, cujus victoria magnam civilis belli profi-gatam partem credebant. Ptolemæus quoque Auletæ filius, cui tutor ab senatu datus Pompeius fuerat, rex appellatus est: sororque Cleopatra abstinere regno jussa; quod a propinquis et amicis pueri creptum, in Syria colligendo copias, repetitum ibat.

Eutrop.vi.  
16.

L. Amp.

Lucan.

Cæs. Civ.  
111. fin.

Liv. Epit.

Strabo,  
xvii. 796.

Appian.

Civ. 11.

480.

Dio,p. 112.

Cæs.

9. His ita ordinatis, Pompeius, cum ob tempus anni transmissurum mare Cæsarem non arbitraretur, Thessalonica hyemare constituerat. Eadem opinio præfectis classium fraudi fuit, quo negligentius littora custodirent. M. Bibulus naves centum decem Coreyrae habebat: sed quia neque naves ornatas, neque remiges paratos tenerat, prius ad continentem Cæsar appulit, quam occurri posset.

Neque Lucretius Vespillo et Minucius Rufus, qui cum octodecim Lælianis navibus erant Orici, opponere se ausi erant; quanquam Cæsar haud plures duodecim rostratas præsidio duxerat. Igitur Bibulus, comperto Cæsaris adventu, cum adhuc aliquas excipi naves posse speraret, vacuis occurrit, quas cum Fufio Kaleno legato Brundisium Cæsar ad transportandas reliquas copias remiserat. Ex eo numero nactus triginta, cum ipsis nautis dominisque navium combussit, ut supplicii fœditate ceteros absterret. Summa deinde diligentia usus, a Salonis Oricum usque totum mare classibus prætexuit, ipse per asperissimam hyemem excubans in navibus, neque laborem ullum aut munus despiciens.

10. At Cæsar, misso ad Pompeium L. Vibullio Rufo, quem semel apud Corfinium, iterum in Hispania captum, præstiterat incolumem, ideoque ad perferenda de pace mandata iudicabat idoneum; statim atque milites exposuerat, per asperos angustosque calles, sed ignorantibus adventum ejus hostibus incustoditos, Oricum proficiscitur, ubi L. Torquatus præerat: qui cum frustra Græcos arma capere jussisset, quod contra consulem Romanum ea capturos negabant, aperuit portas, et a Cæsare conservatus est. Inde protinus Apolloniam itum: et, profugiente L. Staberio, postquam itidem Apolloniatas ad Cæsarem inclinare senserat, id quoque oppidum voluntate incolentium receptum est. Nec mora fuit, quin Bullide, et Amanitia, ceterisque finitimis civitatibus, et ex tota denique Epiro legati venirent ad Cæsarem, omnibus imperata facere paratis.

Appian.  
Civ. 11.462.  
Cæs.

11. Haud procul inde Dyrrhachium aberat, horreum Pompeii, quo omnis generis apparatus magnam vim contulerat. Hoc Cæsar ostendit militibus, et, 'quia fortuna tam favente essent usi, ut per infestum tempestatibus et hostibus mare incolumes transirent, totque civitates parvo tempore redeissent in potestatem; ne deessent favori Deorum' hortatus est, 'parumque adhuc laboris adderent, quo, priusquam advenire Pompeius posset, Dyrrhachio potirentur. Eam rem et abundantia hyberna præstituram in præsens, et ad summam belli magnæ utilitati fore.'

Appian.

Cæs.

12. Sed Pompeius, celeriter accepto nuntio, (quippe Vibullius, ut ei Cæsaris adventum cito nuntiaret, dies noctesque, mutatis etiam jumentis, iter continuaverat) nihil ad summam diligentiam reliqui fecit, quo conatum hostis præveniret. In eo itinere, cum neque diebus, neque noctibus intermitteretur, et vix ad cibum capiendum satis daretur spatii, Pompeii milites in eum metum venerant, ut adesse hostem ubique putarent: et in Epiro finitimisque regionibus signa prope omnes relinquerent, complures arma projicerent. Evasit tamen ad Dyrrhachium Pompeius prior, castrisque prope oppidum positis, exercitum ex vehementi consternatione recepit. Ibi Labienus princeps jurare cœpit, 'se eum non deserturum, eosdemque subiturum cum eo casus.' Idem deinceps tribuni, centurionesque, et postremo milites fecerunt.

Dio.

Cæs.

Ptol. III. 13.

Dio.

Cæs.

Lucan.  
v. 471.

Cæs.

13. Igitur, priusquam Antonius cum reliquis copiis se Cæsari conjungeret, huic noceri posse sperans, ad flumen Apsum processit, quod fines Dyrrhachinorum Apolloniatiumque disterminat. Simili spe contra movet Cæsar. Sed ubi ventum ad flumen, majoresque Pompeii vires cognovit, in finibus Apolloniatium posuit castra; ut inter duos exercitus flumen interesset, ceterum videre invicem, et colloqui possent. Eo loco Cæsar expectare Brundisinas copias statuit. Sed illæ cum a Fufio Kaleno adducerentur, literæ Cæsaris ad Kalenum allatæ sunt, quibus omnes portus littoraque teneri classibus adversariorum significabat. Igitur Kalenus, cum paulum progressus a portu fuisset, Brundisium repetiit. Una navis, quæ milites nullos veherat, cum imperio contempto profecta esset, ad Oricum expugnata est a Bibulo, omnesque puberes qui in ea erant supplicio affecti. Cæsaris legiones, quas idem periculum expectabat, literis ejus tempestive perlatis, fortuna servavit.

Dio.

Cæs.

14. Per eadem tempora Cæsar, sive revera cupidus pacis, sive, quod magis est credibile, temporis ducendi gratia, donec auctiores habuisset copias; simul adversariorum pertinaciæ guarus, et ex hac odium illis omnium paraus, nullam occasionem tentandarum conditionum prætermisit. Ad Oricum legati Cæsaris M. Acilius, L. Sta-

tius Murcus, cum Bibulo et Libone collocti, (nam his mare, illis littus obtinentibus, ejus rei facultas inciderat) in spem eam venerant, aliquid ad concordiam profici posse, quia Pompeiani duces cupere cum Cæsare loqui dixerant. Idcirco Cæsar, cum forte cum una legione Buthrotum profectus literas legatorum accepisset, statim recurrit Oricum.

15. Sed cum neque Bibulus ad colloquium processisset, et Libo legatorum, quos Cæsar ad Pompeium mittere cupiebat, præstare periculum nollet; ne inducias quidem concedere voluit, nihil aliud ab hostibus quæri sentiens, quam ut aqua rebusque aliis quibus indigebant, induciarum obtentu, classem reficerent. Nam sicut illi mare, ita terram in potestate Cæsar habebat, stationibusque per littora dispositis, non aquandi, non lignandi, ne religandi quidem naves facultatem dabat. Unde et M. Bibulus, cum in summo frigore et inopia per multos dies, quanquam corpore æger, discedere ex navibus nollet, neque ibi curari posset, aucto morbo diem suum obiit. In ejus locum suffectus est nemo: sed singulis classibus præpositi, suo eas arbitrio regebant.

16. Interea L. Vibullius, qui mandata Cæsaris exponendi otium nondum fuerat nactus, cum Pompeio agere instituit. At ille interfatus, 'Quid mihi,' inquit, 'aut vita, aut civitate opus est, quam beneficio Cæsaris habere videbor? Cujus rei opinio tolli non poterit, cum in Italiam, ex qua profectus sum, reductus existimabor.' Bello perfecto, Cæsar hæc dicta cognovit ab iis qui interfuerant: interfuerunt autem Scribonius Libo, L. Lucecius, et scriptor historiarum Theophanes, quibuscum res maximas communicare Pompeius consueverat. Sed tum etiam alio facinore Pompeiani declaraverunt aversam a pace voluntatem. Crebra inter milites utrimque colloquia fiebant, modico interfluente amne. Eo P. Vatinius mittit Cæsar, qui magna voce sæpius proclamaret, 'Liceretne civibus ad cives legatos de pace mittere, quod prædonibus et fugitivis licuisset?' Responsum est ab altera parte, 'A. Varronem postero die ad colloquium venturum.' Agitur una etiam utrimque, quemadmodum tuto legati venire, et quæ vellent exponere possent. Sed cum in constitutum

Strabo,  
xiii. 617.  
et alibi.  
Cæs.

locum P. Vatinius venisset, et cum eo loqui T. Labienus cœpisset, ex improvise tela sunt in Vatinium conjecta, quæ ille militum armis protectus vitavit. Centuriones aliquot militesque Cæsaris vulnerati sunt, exclamante Labieno, ‘ Desinite ergo de compositione loqui. Nam nobis, nisi relato Cæsaris capite, pax esse nulla potest.’

Liv. Epit. 17. Iisdem temporibus Romæ M. Cœlius Rufus prætor  
 Dio, XLII. novarum rerum materiam quærebat, non amore reipublicæ,  
 Vell. II. 68. aut quod æquum esse quod agebat crederet, sed dolore  
 Cæs. atque indignatione motus, sicut ipse confitetur. Homo  
 Cic. ad erat eloquio animoque Curioni simillimus, cujus etiam  
 Fam. VIII. 17. pellectus amicitia, et odio Appii, quem sciebat in diversis  
 Vell. Cic. partibus fore, ad Cæsarem simul ex Urbe profugerat;  
 Dio. idque ob meritum præturam nuper erat consecutus. Sed  
 quia C. Trebonium prætorem urbanum non sors, sed Cæ-  
 sar effecerat, omnibus in rebus illi se opponere instituit.  
 Vell. Nisi forte homo ingeniosissime nequam, quasi honestiorem  
 hanc causam prætexuit, potius æris alieni magnitudine, ut  
 alii multi, ad res novandas impulsus, quod servari se posse  
 in otio desperabat.

Cæs. 18. Idcirco, tribunali juxta sellam C. Trebonii collo-  
 cato, si quis appellasset, auxilio fore pollicebatur debito-  
 ribus. Sed quia Trebonius juxta Cæsaris constituta judi-  
 cabat, summamque in omnibus æquitatem atque modera-  
 tionem adhibebat, nemo repertus est qui appellare vellet.  
 Iis enim temporibus nondum tanta quisquam erat impū-  
 dentia, ut eum se debere fateretur, integras tenere posses-  
 siones suas postularet.

19. Idcirco Cœlius, ne nihil effecisse videretur, legem  
 promulgavit, ‘ sexenni die, sine usuris, creditæ pecuniæ  
 solverentur.’ Id quoque vanum inceptum fuit, consule  
 Servilio magistratibusque reliquis repugnantibus. Tum  
 Cœlius, ea lege sublata, duas promulgavit novas: unam,  
 qua mercedes habitationum annuas conductoribus dona-  
 bat; alteram tabularum novarum. Hæc et grata tenui-  
 oribus erant, et ab homine deserto jamdudum seditiosis  
 concionibus alienatam plebem inveniebant.<sup>2</sup> Facile igitur  
 inducta est, ut in C. Trebonium faceret impetum,

<sup>2</sup> *Erat . . . inveniebat* edd. ante Crev.



eamque, vulneratis nonnullis, de tribunali deturbaret. Sed is quidem, mutata veste, fugit.

Dio.

20. At Servilius consul, advocatis ex itinere militibus, qui in Galliam destinabantur, praesidioque hoc curiam muniens, de his rebus ad senatum retulit. Patres removendum a republica Caelium censuerunt. Tamen propter intercessionem tribunitiam senatusconsultum non potuit fieri: auctoritas perscripta est. Sed consulem tabulas legum promulgatarum tollere aggressum, Caelius per vim et seditionem repulit. Iterum ergo coactus adhibito praesidio senatus 'videre consulem' jussit, 'ne quid republica detrimenti pateretur.' Hac accepta potestate sellam Caelii curulem fregit. At ille posuit alteram loris intantum: tacite illudens consulem, qui aliquando flagris caesus ab Isaurico patre dicebatur. Ad extremum tamen superior et jure et potentia consul Caelii partes alii cuidam praetori demandavit: ipsum et foro et curia exclusit, violentemque concionari de rostris detraxit. Caelius, ignominia simul iraque permotus, ad Pompeianos scripsit, in Urbem eos advocans, mutatam praesidiis futuram, et studio populi promiorem in illas partes, vacuumque Italiam ostentans: quod etiam saluberrimum illis partibus fuerat. Misit etiam ad T. Annium Milonem clandestinos nuntios, quem inimicissimum Caesari noverat, propterea quod restitutis exulibus, solus ille reditum non impetraverat.

Cæs.

Dio.

Quintil.  
vi. 3.

Dio.

Cæs.

Cic.

Vell. ii. 52.  
Cæs.

Dio.

21. Magnorum haec esse motuum initia poterant, viris claris et audacibus talia molientibus, occupato alibi Caesare, et incertissimis plane temporibus. Ceterum ex tanto metu eeleriter et eitra detrimentum hi conatus in nihilum evaserunt. Quippe Milonem, contracto fugitivorum exercitu, profectum in Campaniam, et quasi mandato Pompeii homines sollicitantem, quotquot ob aes alienum aut facinora credebat idoneos, pauci sunt seenti: Capuaque frustra tentata, confugiendum ei Tifata fuit. Ignarus horum, et meliora sperans Caelius, conjungere se cum illo cupiebat. Sed quia occulta fuga nec satis tuta videbatur, et majus ad omnia momentum erat, si quasi praetor proficisceretur, commeatum a consule petiit, tanquam purgandi sui causa Caesarem aditurus. Consul, simulari

Cæs.

Dio.

Oros.  
vi. 15.  
Dio.

hæc suspicatus, tribunum plebis adjunxit, qui res novas molientem coërceret. At Cælius, haud longedum profectus, audito Milonis incommodo, in itinere substitit: unde, cognito ejus consilio, tribunus hominem in Urbem reducebat. Sed interea senatus Milonem hostem judicaverat, Cælio manere ad Urbem jusso.

22. Id cum esset factum, isque se negligentiùs custodiri sensisset, in Campaniam profugit, vires et consilia cum Milone juncturus. Nam ex magnis in ædilitate datis muneribus aliquem reliquum habebat gladiatorum numerum. Hos igitur Neapolim clam jussit ingredi, proditio- nem oppidi sperans. Ipse Casilinum venit, et sub idem tempus signa ejus militaria Capuæ comprehensa sunt. Ita, consilio patefacto, cum nihil procederet, Campani- que eum pro hoste haberent, agrum Thurinum petiit, ubi pulsum Campania Milonem agere compererat.

23. Et sane, si reperisset superstitem, moliri aliquid conjuncti poterant. Sed Milo jam occiderat, in oppugna- tione castelli Cossani lapide ex muro ictus. Paulo post etiam Cælius haud mitiore fato defunctus est, cum Thu- rios pervenisset. Nam ab equitibus Gallis et Hispanis, quos præsidii causa Cæsar miserat, cum iis contra Cæsa- rem nummos polliceretur, interfectus est. Iisdem tempo- ribus, cum in Epiro præter equestria certamina, his illis- que vado facile transeuntibus modicum annem, nihil re- rum gereretur, (nam Pompeii conatum transducendi co- pias pons interruptus destituerat) Cæsar audacissimo faci- nore morantes Brundisii legiones adducere paravit. Cum enim Pompeianæ classes maria obsiderent undique, hy- bernum sibi tempus aptissimum judicabat, dum hostes, tempestatibus deterriti, vacuum et incustoditum trajectum

relinquerent. Sed Bibuli primum, deinde Libonis dili- gentia factum erat, ut Antonius portu exire non auderet. Quippe Libo parvam insulam, portui Brundisino objec- tam, qua necessarius erat transjecturis egressus, occupa- verat. Et quamvis, propter inopiam aquæ, et acceptum ab Antonio detrimentum, alio coactus erat se recipere; hyems mare claudebat.

24. Idcirco Cæsar, impatiens moræ, fortassis etiam sus-

pectans Antonium, ne expectare eventum vellet; sub alteram vigiliam ignoratus excessit castris, conscensoque vehiculo perrexit ad locum ubi naviculam et optimum gubernatorem opperiri per servos præmissos jusserat, tanquam nuntium Cæsaris transjici oporteret. Cum his servis (tres omnino erant) ipse quoque servili habitu fortunam dissimulans, navem scalmorum duodecim conscendit, licet horrente tempestatibus mari, et ventis pertinacissime flantibus. Magno labore, licet prono alveo, perventum ad ostium annis erat, cum ventis et aestu adverso remorum irritum laborem fore apparuit. Ibi desperanti gubernatori vir ingens animi, et fortunæ suæ cuncta cessura putans, ‘ Quid times?’ inquit: ‘ Cæsarem vehis.’ Ad hanc vocem attonitis omnibus, et summo conatu intendentibus nervos, ostium superatum est: nequicquam. Ventus enim subinde ad littus rejiciebat lembum, donec vicina jam luce, timenti gubernatori ne ab hostibus conspicerentur, Cæsar invitissimus redire permisit.

25. Quia tamen omnino faciendum putabat ut, donec vehementiores venti essent, transitum tentarent sui, hoc maxime auxilio perrupturi, quos in tranquillo mari certum ab instructissimis hostium classibus exitium manebat; Postumium in Italiam misit, cum epistolis severioribus. Plures enim dederat, ut, si Gabinus, aut Antonius, aut Kalenus contarentur, quibus erant priores tradendæ literæ, Postumius haberet quas exhibere militibus posset, quibus eum sequi quotquot voluissent jubebantur. Imperabat autem, ‘ quando portus ab adversariis tenebantur, ut ad Apolloniatium littora ejicerent naves; earum jactura se nihil commoveri, modo viros habeat, per quos adipisci possit omnia.’ Ceterum Gabinus a navigando abhorrens, longo circumitu per Illyricum copias, quibus præerat, instituit ducere. Antonius et Kalenus potius cum periculo tentandum brevius iter existimabant, quam ad imperium et necessitatem Cæsaris serius occurrere. Et erat summa militum alacritas, et ad Cæsarem proficiscendi ardor; eorum etiam qui paulo ante se laboribus fractos objici periculis, quanta firmissimi vix sustinere possent,

erant questi. Quare minimo negotio persuaserunt iis duces, ut, austro flante, conscenderent naves, seque fluctibus traderent.

Cæs.

Appian.

26. Inter hæc Pompeius, ut, priusquam auctiores copiae Cæsaris fierent, pugnaret, iterum instructam aciem transducere conatus incepto repente destitit, ringentibus omnibus, et pulcherrimam occasionem dimitti jactantibus. Sed deterritus adverso omine fuerat, quia duo milites vadum tentantes ab Cæsariano uno erant interempti. Namque felicitas Cæsaris omnia, etiam temere cæpta, in bonum ei vertebat. Itaque et audacissimum ejus cæptum, legiones hyberno mari transjiciendi, non incolumes modo copias illi præstitit, sed ultro cessit adversariis in grave detrimentum.

Dio.

Cæs.

Appian.

Cæs.

27. Quippe dum Dyrrhachium prætervehuntur Cæsaris naves, Q. Coponius, qui Rhodiæ classi præerat, conspectas cum rostratis viginti sequebatur, et remissiore jam vento propemodum attigerat, haudquaquam æquo certamine longis navibus onerarias oppugnaturus; cum subito intendi ventus cæpit, Julianosque longe ab hostibus delvellere. Atque illi Nymphæum tenuerunt, haud procul Apollonia, quanquam haud satis tutum austro flante portum: nempe minoris navium quam legionum interitum æstimabant. Ibi mira felicitate subito conversus est ventus, et pro austro spirare Africus cæpit, contra quem illa erat tutissima statio. Repentina igitur commutatione rerum, qui modo in periculo fuerant, spectaculo periclitantium hostium perfruebantur. Quippe naves Rhodias tam sæva tempestas comprehendit, ut in clauso et importuoso mari constratæ illorum, numero sedecim, ad unam omnes eliderentur. Remiges atque propugnatores, quibus fluctus pepercerant, partim interfecti sunt a Julianis, alii capti, quos Cæsar conquisitos diligenter conservavit, dumque remisit.

Plut. Ant.

Cæs.

28. Duæ tamen Cæsaris naves captæ sunt ab hostibus, diverso vectorum fato. Contra Lissum ad anchoras ambæ constiterant, ignaræ quorsum reliqua classis cursum intendisset. Idcirco Otacilius Crassus, qui Lissi præerat,

multis minoribus navigiis cinctas ad deditionem hortabatur, incolumitate promissa. Tum vero, quantum sit hominibus in firmitudine animorum et experientia casuum præsidii, apparuit. Nam tirones altera navi vehebantur. Ii cum se dedidissent, Otacilii perfidia omnes sunt interemti. Veterani simulatione deditionis extracto tempore, navem impulerunt ad littus: et excensione facta, equites ab Otacilio immissos repulerunt, et ad suorum præsidia pervenerunt incolumes. Otacilius etiam Lissum amisit, quia conventus civium Romanorum, Antonii audito adventu, ad Cæsaris partes se applicuerat, ejus beneficio datum sibi oppidum atque munitum meminerat.

29. Legiones veteranorum<sup>3</sup> tres Antonius transvexit, Plut. Anton. Cæs. unam tironum, (hæc erant circiter viginti militum millia,) equites octingentos. Horum adventus eodem ferme tempore Cæsari Pompeioque cognitus utrumque excivit, ut eodem die castra moverent: hic, ut occurreret venientibus, et ne cum Cæsare conjungi possent impediret; ille, ut conatus Pompeii vanos efficeret. Uno die celerius occurrit Magnus, quia nullum illi transeundum flumen fuerat; Cæsarem vadum quærendum tardaverat. Sed adversus vim hostium Antonius castris se tenuit. Super-ventu deinde Cæsaris Pompeius ad Dyrrhachium posuit castra, loco idoneo, Asparagium vocant. Plut. Cic. Theophanem deinde, quo præfecto fabrum utebatur, misit, qui Rhodios de amissa classe consolaretur, ‘non ab hostibus accepto detrimento, sed illato tempestatibus. Neque navalem illorum deliquisse gloriam; et quod virium decessisset, id abunde beneficio senatus atque Pompeii recuperaturos ex victoria, quam certam exploratamque esse in manibus.’

30. At Cæsar jam abundans copiis, Cn. Domitio Cal- Dio. Cæs. vino tres legiones cum equitibus quingentis, L. Cassio legionem tironum et equites ducentos, C. Calvisio Sabino cohortes quinque cum paucis equitibus attribuit; ut per

<sup>3</sup> Ita emend. Crev. ex Cæs. *Legiones omnino tres legitur in edd. præcc.*

illum Macedonia, per istum Thessalia, per hunc Ætolia reciperentur; simul res frumentaria horum opera fieret expeditior. Ipse Pompeium insecutus, castra castris ejus opposuit, et postridie copiis instructis potestatem pugnandi fecit. Sed Pompeio castris se tenente, postero die per circumitum tectasque arbustis vias Dyrrhachium properat. Recurrit eodem Pompeius: sed quia Cæsaris consilium aliquanto serius cognoverat, exclusus ab oppido, propinquo colle (Petram vocabant Dyrrhachini) castra posuit.

Appian.  
Flor.  
Dio.

Lucan.  
vi. 21.

Appian.  
Lucan.  
Dio.  
Vell. II. 51.  
Oros. vi.  
15.  
Flor. Cæs.

31. Cæsar, frustra expugnatione tentata, propter inexpugnabilem situm loci, mature revocavit suos. Quippe Dyrrhachium in extrema Macedoniae ora, quam olim Illyrica natio Parthini tenuerunt, præter exiguum collem, undique mari cingitur, inaccessis propter fluctuum violentiam rupibus imposita. Igitur Cæsar admirabili, et hodie vix reperturo fidem consilio, Pompeii castra operibus circumdare occipit, his ferme rationibus permotus. Equitatu valebat Pompeius, et comteatum copia: quarum rerum altera vexare et male habere Cæsaris frumentatores poterat, altera facultatem ei tribuebat ducendi quoad vellet belli. Neutrum horum Cæsari placebat, cui nihil æque in votis erat, quam ut maturime ad manus veniretur.

32. Igitur, animadversa loci natura, quod circum castra Pompeiana permulti erant editi et asperi colles, primum ibi castella posuit: deinde opera e castello in castellum instituit ducere, ut a mari ad mare perpetua munitione castra Pompeii circumveniret. Sic equitatus hostilis nullum esse usum videbat, eumque ultro conclusum in angusto loco pabuli inopia afflictum iri: sibi interea liberam frumentandi rationem relinquere: et, quod in bello maximi esset, audito Pompeium obsideri, neque prælio audere contendere, magnam illi deminutionem auctoritatis cum sua summa existimatione fore. Pompeius, cui neque pugnandi copiam fieri probabatur, neque discedere a Dyrrhachio, ubi apparatus omnium belli collocaverat, ratio erat, quod unum videbatur esse reliquum, laborem augere Cæsari, quam latissime extensis præsidiis, insti-

tuit. Quindecim millia passuum<sup>a</sup> complexus, multa intrinsecus castella extruxit, eaque ipsa conjunxit operibus, ne qua parte Cæsar perumperet. Neque tamen hic fatigabatur, quanquam cresceret opus, et ad millia passuum Appian. centum quinquaginta tenderetur.

33. Continua interim, sed parva prælia in occupandis præsiidiis committebantur. Inter quæ nona legio Cæsar's, cum præsidium quoddam occupatum munire conaretur, a sagittariis funditoribusque Pompeii, et magna vi levium armorum, quanquam presente Cæsare, tam vehementer vexata est, ut, quoniam sisti non poterat, relinqui locum oporteret. Sed receptus ipse quam pugna videbatur periculosior; quia per declive regredientibus ex superiore loco hostis imminēbat.

34. Idcirco Pompeius apud suos dixisse fertur, 'non se recensare, quin nullius usus imperator existimaretur, si sine maximo detrimento Juliani se recepissent.' Et Cæsar ut suis, quod posset, consuleret, crates jussit in summo tumulto constitui, quibus tecti milites fossam mediocri latitudine facerent, et quantum possent, locum impeditum redderent. Ipse funditores idoneis locis disponit, quibus secuturi hostes prohiberentur. Sed Pompeiani hoc audacius institerunt, quod cedere Cæsarem metu arbitrabantur. Ergo M. Antonius, qui ei legioni præerat, jussu Cæsar's suos cohortatus, a medio fere spatio impetum in hostes fecit. Atque illi, ex inferiore loco in adversum collem cursu incitati, pepulerunt Pompeianos; interfectisque plurimis, suorum amissis admodum quinque, non ulterius persecti fugientes, neque ultra lacessiti, se receperunt.

35. Erat nova et mirifica obsidionis forma, quod plures a paucioribus, omni copia rerum abundantes a famelico exercitu claudēbantur. Quippe Pompeianis patebant maria, neque ventus flare ullus poterat, quin aliqua ex parte commeatui subvehendo utilis esset. Contra Cæsar's milites, in magna frumenti penuria, carnibus maxime

<sup>a</sup> Quindecim millia passuum} quinquaginta. Quinquaginta leucas. Cret. Paulo infra: Millia passuum centum

- (nam pecoris ex Epiro suppetebat copia) victitabant. Sed et radicibus herbisque vellendis quærebant solatium inopiae. Præsertim uno genere utebantur, quod vocabatur chara: id, admixto lacte, in similitudinem panis subigebant. Ejusmodi panes, cum in colloquiis Pompeiani famem illis exprobrarent, vulgo conjiciebant in eos: 'donec hoc genus radices tellus ferret, nunquam se dimissuros obidionem' dictitantes. 'Imo prius cortice victuros ex arboribus.' Unde, re ad se delata, Pompeium dixisse ferunt, 'cum feris sibi rem esse;' et protinus amoveri jussisse panes, neque cuiquam ostendi, neque sermones vulgari, ne pertinacia hostis cognita, flaccescerent.
36. Sed hæc incommoda spe propinquæ messis levabantur, quod jam frumenta incipiebant maturescere. Simul, quia optima valetudine, aquarumque, et, præter frumentum, commeatus ceteri copia utebantur, sorte sua contenti erant: præsertim quia crebris Pompeianorum transitionibus audiebant in illorum castris præ inopia pabuli vix equos sustentari; cetera jumenta interiisse; ex cadaverum fœtore in angusto spatio morbos invulgari, accedentibus præsertim laboribus quotidianis, et aquæ summa inopia, quod omnes rivos et flumina, ne per Pompeii præsidia decurrerent, magnis operibus Cæsar averterat.
37. Inter hæc, ut tam propinquo hoste, et in nova ratione belli, nihil satis tutum aut quietum erat, et subinde novæ nocendi cavendique artes excogitabantur. Pompeiani, animadverso cohortes Cæsar's noctu ad munitiones excubare, loco stationis ignium indicio deprehenso, confertim accedebant silentio, et simul universi mittebant sagittas intra vallum, et e vestigio se recipiebant ad suos. Hoc pacto cum multi sauciarentur, id repertum remedium est, ut alio loco excubaretur, alio ignes fierent. At sicut in tempestate quidam præ ceteris gravi mole fluctus sunt, quos decumanos appellant; ita inter crebra certamina, dum hi tentant eruptionem, illi repellunt, uno die tribus ad Dyrhachium præliis, totidem ad munitiones concursus est. Quippe Pompeius distinendi hostis causa, pluribus locis tumultum excitaverat; sed ubivis improspere.

Plin.  
xix. 8.  
Appian.  
Cæs.

Plut. Cæs.

Cæs.

Sueton.  
Cæs. c. 68.  
Plut.

Polyæn.  
Strat. viii.

Cæs.

Lucan.  
Cæs.

Flor.

Cæs.



Quippe Volcatius Tullus cum tribus omnino cohortibus legionem Pompeianam loco depulit : Germani, eruptione in oppugnantes facta, compluribus interfectis, incolumes redierunt. Sed præcipuæ ferociæ prælium una cohors legionis sextæ edidit in castello quod Minucii vocabant. Eo Pompeianæ legiones quatuor per confraga et obsita dumetis occulto itinere venerant. Neque territi, licet re improvisa, Juliani, tam paucis militibus, vim tantam per aliquot horas sustinuerunt, centurionis unius incredibilem virtute animati.

Sueton.  
Lucan.  
VI. 126.

38. M. Cæsius fuit, cui Scævæ cognomen. Is strenua pugna multos, qui propius accesserant, interfecit, custodiamque portæ commissæ fortissime retinuit; quanquam sanciato capite, femurque et humerum transfixus, postremo etiam oculum sinistrum amiserat. Tum vero Pompeianum centurionem notæ virtutis appellans, mitti petiit a quo deditus perduceretur. Accurrerunt viri duo, tanto labore et his vulneribus nullam non robur exhauriri potuisse ad summam imbecillitatem rati. Sed ille, confosso altero, altero vulnerato, suis addidit animum, ut tenerent locum, donec ex castris subveniri potuit.

Appian.  
Plut. Cæs.  
c. 23.  
Val. Max.  
III. 2.  
Sueton.  
Lucan.  
Plut.  
Appian.  
Lucan.

39. Quippe Cæsar, ad Dyrrhachium admoturus partem copiarum, P. Syllam castris præfecerat. Is ergo cum duabus legionibus suppetias ferens affluit; cujus ne conspectum quidem ferre Pompeiani potuerunt. Sylla tamen instare quanquam percussis noluit: multis incusantibus, qui judicabant bellum eo die finiri potuisse. Sed Cæsar alias legati atque imperatoris partes esse demonstrans, nihil a Sylla præter rationem factum esse dictabat. His omnibus præliis non ultra viginti suorum desideravit Cæsar, cum ex Pompeianis ad millia duo cecidissent. Sed in castello Minucii nemo militum intacto corpore relictus est: quatuorque centuriones ex ea cohorte perdiderunt oculos. Millia sagittarum circiter centum triginta, quæ fuerant ab hostibus intra vallum ejus præsidii conjecta, Cæsari renumeraverunt. Quarum unus ille Scæva magnum numerum exceperat, scuto illius supra centum viginti foraminibus confosso. Quem ob egregiam virtutem, et commilitones in magna veneratione habue-

Cæs.

Sueton.

Cæs.

Plut. Val.  
Max. Flor.

Appian.  
Lucan.  
Cæs.

runt, et imperator pecunia donatum ab octavis ordinibus ad primipilum deduxit: cohortique stipendium duplex, frumentum, vestem, cibaria, donaque militaria largiter dedit.

Dio.  
Cæs.

40. Dum hæc ad Dyrhachium geruntur, in Macedonia et Græcia legati Cæsaris variam fortunam habuerunt. Sub idem enim tempus quo in provincias illi pervenerant, Scipio Metellus, generi literis excitus, cum legionibus affuit: nudata in metu Parthici belli Syria, et provinciis per quas iter habuerat per varia exactionum nomina crudeliter exhaustis. Quin et ex Ephesino templo pecunias sustulerat; nisi, dum id agit, epistola Pompeii, posthabitis omnibus, iter maturare jussisset.

Dio.  
Cæs.

41. Igitur, summa celeritate usus, per Macedoniam in Thessalos cucurrit, ubi cum sua legione Cassium Longinum agere cognoverat. Eodem et Sadales regulus cum Thracio equitatu venit. Idcirco Cassius, detrimentis quibusdam acceptis, ad montana deflectens Ambraciam petebat. Hunc Scipio sequebatur, quem si esset consecutus, dubium non erat, quin Cassiani omnes se dederent aut trucidarentur. Sed avocavit Scipionem M. Favonii periculum, qui relictus ad Haliacmonem annum cum cohortibus octo, et totius exercitus impedimentis, a Cn. Domitio petebatur. Ea res et Cassio salutem attulit, et Favonio: cum die ac nocte continuato itinere, sub idem ferme tempus, quo Domitius imminebat, Scipio occurrisset.

Dio.  
Cæs.

42. Domitio, ne Macedoniam omnem, multis ad eum accedentibus, occuparet, Faustus Sylla restiterat. Igitur assumtis Ætolis, et Aearnanum, et Locrorum quos Amphilochos vocant, auxiliis, quæ gentes recens opera Cassii Longini, aut Calvisii Sabini receptæ erant, in Thessalorum fines processerat. Postquam eodem, uti diximus, Scipio venit; Domitianis pugnam optantibus, hoc refugiente, castra castris collata sunt, et parva ex insidiis prælia facta, quibus superiores Juliani fuerunt. Inter hæc Caesar plura quoque tentanda ratus, Fufium Kalenum misit, qui Cassio et Sabino adjunctis longius progredetur. Isque Phocidis et Bœotiae quibusdam urbibus voluntate incolentium receptis, quibusdam ex

pugnatis, in Achaïam tamen, Isthmo a Pompeianis munita, penetrare non potuit.

43. Rutilius Lupus tum obtinebat Achaïam, successor a Pompeio missus Ap. Claudio, qui nuper oraculi deceptus ambage, cum sibi læta quæque polliceretur, fato concesserat. Quippe homo psychomantiæ et auguriis delictus, ejus in vanitatis studio multum operæ posuerat, quo scilicet certiore prædictione futura disceret, desitum a multis annis consuli oraculum Delphis sollicitarat. Ibi responsa antiquitus per virginem reddebantur, quæ, recepto maligno spiritu, magno vitæ periculo, jactari inter fata canenda consueverat. Igitur et Phœbas (sic vocabant fatidicam virginem) ad tripodas adire metuens, simulavit responsum; et Appius, rerum istarum minime rudis, agnovit fraudem, imperioque inhibito coëgit in specum descendere. Tum vero responsum a furente redditur: ‘Nihil ad te hoc, Romane, bellum: Eubææ Cæla<sup>b</sup> obtinebis.’ Sic tum appellabatur sinus Euboicus, quatenus hinc ad Rhamnuntem Atticæ, inde Caristum Eubææ oppidum pertinet. Hanc in regionem cum se condidisset Appius, aliter atque existimaverat, morbo solutus, belli discrimen evasit.

44. Dum ista fiunt, resque variis locis armis geritur, Cæs. Cæsar nequaquam consilia pacis omnino deposuerat, quin saltem ad alios potentes viros mitteret, quatenus de voluntate Pompeii desperaverat. Et Scipionem quidem per Clodium utriusque familiarem tentavit; Lentulum prioris anni consulem, per Cornelium Balbum, qui summa audacia sæpius castra Pompeii est ingressus, ut sermones cum Lentulo conferret, certissimo, si deprehenderetur, exitio. Sed neutrubi successere conatus. Lentulus dubitando quanti se venderet, eoque rem extraxit, donec acie decretum est. Scipio, cum ab initio præbuisset aures, a M. Favonio castigatus, Clodium ultra ad colloquium non admisit.

45. Interim ad Dyrrhachium ab utroque imperatore quotidie producebantur instructi exercitus: a Cæsare,

<sup>b</sup> *Cæla*] Sic Livius, voce plane Græca, *Κοῖλα*. Valerius Maximus scripsit *Calam*, quem hic secutus erat Freinsheemius. *Crev.*

Lucan.  
v. 67.  
Cic. de  
Div. 1. 58.  
et de Leg.  
11. 13.

Lucan.

Val. Max.  
1. 8.  
Lucan.

Oros.  
Lucan. Val.  
Max. Liv.  
xxxi. 47.  
Val. Max.

Vell. 11. 51.

Cæs.

quia pugnare summopere cupiebat; a Pompeio, quia nolebat eam de se famam spargi, quasi Cæsari lacescenti non auderet resistere. Sed ut necessitatem pugnandi vitaret, pro castris constituit aciem, non longius primis excurrentibus ordinibus, quam quo de vallo telum tormento emissum pertingere posset. Cum hac ratione multi consumti dies essent, Pompeius, pabuli maxime inopia coactus, erumpere totis viribus statuit. Hoc consilium agitati opportune Roscillus et Ægus Allobroges oblatis sunt, qui, propter interversa equitum stipendia objurgati a Cæsare, transfugiebant. Hos igitur per omnia præsidia circumductos, ut suorum animos augetet, multis ornavit laudibus, civitate quoque promissa. Quod irrisisse Cicero dicitur, atque dixisse, ‘Egregium vero imperatorem! qui Gallis alienam civitatem pollicetur, nobis nostram non potest reddere.’

Lucan, vi.  
81. et 118.  
Cæs.

Macrobr.  
Sat. ii. 3.

Cæs.

46. At Pompeius, ab his edoctus omnia, quæ ratio munitionum, quæ excubiarum atque stationum apud hostes esset, quod munus quo tempore, et quibus accurantibus fieret; imperat militibus, ut sibi quisque tegmen faciat ex vimine, ad galeam contegendam, et ut aggerem comportet. Hoc ubi factum est, noctu aggere et leviter armatis sagittariisque multis in scaphas et actuarias impositis, munitionum Cæsaris eam partem quæ ad mare pertinebat, et a maximis ejus castris erat remotissima, peti jubet; eodem a Dyrrhachio naves longas subigi: eodem ipse cum sex legionibus contendit. Duo diversa castella eo loco Cæsar effecerat, sexcentorum passuum intervallo, quorum alterum in hostem erat conversum, interius diversam partem spectabat. Hæc, transverso vallo secundum mare, conjungere<sup>4</sup> Cæsar instituerat. Sed eæ munitiones spatium octodecim ferme millium<sup>c</sup> complexæ, ob magnitudinem operis absolvi nondum poterant.

Dio.  
Lucan.  
Oros.  
Appian.  
Plut.  
Pomp. et  
Cæs.  
Veil. ii. 51.  
Liv. Epit.  
Cæs.

47. Prima luce se ostenderunt Pompeiani ad objectum castris suis vallum: simul navibus circumvecti milites

4 T $\hat{\phi}$  conjungere præponitur in edd. ante Crev. duo.

//////////

<sup>c</sup> Octodecim ... millium] Sex leucarum. Crev.

alterum aggressi sunt. Strenue rem utrique gerebant, fossas complebant aggere, scalis admotis superare vallum conabantur; adversus ictus lapidum, quod unum Julianis telum erat, vimineis galearum tegminibus muniti. Lentulus Marcellinus quæstor cum legione nona hæc castrorum parte curabat. Ab hoc auxilio missæ cohortes, metu fugientium una ablata consternationem clademque augebant. Fœda ibi cædes et fuga fuit, graviter impulsis Cæsarianis. Aquila quoque legionis tantum non in potestatem hostium venit. Sed aquilifer gravi vulnere affectus eam equitibus forte prætervehentibus restituit: ab his ad Cæsarem relata est.

Appian.  
Cæs.

48. Jam et castra Marcellini victor petebat, haud dubio reliquarumque cohortium exitio; cum ex superiore loco conspectus cum cohortibus duodecim M. Antonius deterruit hostem, exercitusque magnam partem iterum servavit. Neque multo post Cæsar fumo admonitus (quem excitari, si qua parte erumperet hostis, præceperat) cum aliquot cohortibus accurrit. Sed jam disjectæ a Pompeianis munitiones erant: iique contra mare (quæ ratio pabulationem ipsis liberiolem, et navium usum maximum præstabat) castra protulerant. Igitur hæc parte nihil tentari posse cernens, ut tamen aliquo detrimento hostem contra affligeret, legionem animadvertit, quæ forte Torquato ducente in castra quædam vacua transferebatur. Nam ante aliquamultos dies eo loco Cæsaris nona legio tetenderat: postea, mutante consilium Cæsare, deducta inde erat, relictis integris munitionibus. Idcirco eas munitiones occupaverat Pompeius, et quia plures ibi locaturus legiones erat, interiori vallo alia castra circumdederat, ut illa priora his omni ex parte includerentur.

Plut. Ant.  
Cæs.

Oros.  
Lucan.  
Cæs.

49. Huc Cæsar raptim ductis tribus et triginta cohortibus, priusquam sentire Pompeius posset, exterius vallum expugnavit. Et deleri legio potuisset, nisi dextrum Cæsaris cornu brachium valli a castris ad flumen tutioris aquationis causa deductum fefellisset. Huc enim delati, castrorumque partem putantes, portam quærebant: donec animadverso errore, qua proximum erat, nec enim defendebat quisquam, transcenderunt aggerem, eadem etiam

secutis valli proruta parte equitibus. Hæc mora Pompeio spatium dedit, re cognita, legionem ab opere deductam subsidio mittendi laborantibus. Quo illi conspecto acrius se defendere; contra Cæsariani, præsertim equites, in locis angustis et impeditis receptui timentes, cum magna consternatione retrocedere cœperunt.

50. Horum fuga ceteros omnes pavoris et tumultus implevit, ut nihil prohibere Cæsaris præsentia posset, quin passim solutis ordinibus palarentur. Quidam signiferi, Cæsare signa prehendente manibus, et jubente consistere; dimissis illis, fugere perseverarunt. Tum etiam ipse Cæsar in discrimen ingens incidit, cum retinenti aquiliferum quendam, magnarum virium hominem, ille cuspidem intentaret: sed aquiliferum qui cum Cæsare erant statim confoderunt. Multos milites hoc gemino prælio desideravit Cæsar, tribunos etiam militum et centuriones triginta: signa insuper militaria duodetriginta amissa sunt. Quod nisi Pompeius receptui cecinisset, totum deleri hostium exercitum potuisse adeo certum habetur, ut ipsius Cæsaris vox annotata sit: ‘ ea die summam victoriam penes adversas partes fuisse, si ducem vincendi gnarum habuissent.’ Sed ille, sive quo civibus parceret propria pietate, aut Catonis facto permotus, qui visa Julianorum strage flens operto capite discesserat, sive Labieni sententiam secutus, fugientibus institit, de cetero non sollicitus. Certe captivos transdidit petenti Labieno: atque ille verbis graviter increpitos in conspectu omnium interfecit.

51. Nihil unquam satis evenire feliciter ignaris utendi hominibus potest. Apparebat vinci Cæsarem posse: sed Pompeiani, dimissa victoriæ cura, jam de præmio inter se litigabant. Cæsarem, super insitum ardorem, ad intendendum præsentibus animum necessitas instigabat. Itaque consilium mutandum videns, suos idonea oratione consolatur: cladem in paucitatem militum, iniquitatem loci, errorem perturbationemque suorum, denique in fortunæ inconstantiam conferens, aliorum quæ multa fortiter feliciterque recens fecissent admonet. ‘ Virtute, uti alias, et ad Gergoviam esset factum, sarciri incommodum posse et oportere, quod fortuna intulisset.’

Suet. n.  
Cæs. c. 62.

Appian.  
et Plut.  
Cæs.

Cæs.

Lucan.  
Plut.  
Pomp. et  
Cæs. et  
Apoph.  
Rom.  
Appian.  
Plut. Cæs.  
et Cat.  
Appian.  
Cæs.

Plut. Pomp.

Cæs.

52. Cum hæc dixisset, ignominia notavit signiferos, quorum eminebat culpa, locoque movit: suæ potius clementiæ, quam voluntati legionum obsecutus. Tanta enim pudor veteranos ejus intraverat, ut ultro se offerrent pœnæ, Appian. decimarique peterent: deinde leni responso imperatoris vix adducti ad ignoscendum sibi, perseverarunt ad supplicium postulare signiferos, qui causam initiumque flagitio ei dedissent. Jamque etiam ab dolore pugnam poscentes, quosdam superioris ordinis movebant, ut manendum et acie certandum putarent. Sed Cæsar neque militibus perterritis committendum ratus, neque, donec illi reciperent animum, inopia frumenti dante spatium, Cæs. discedere loco statuit, et in Thessaliam proficisci, ubi commodiorem bello sperabat regionem fore, expeditis commatibus per Longinum et Calvisium, qui nonnulla iis locis oppida receperant, adjuvante ex Thessalis Petreio, sum- Cæs. mæ nobilitatis juvene.

53. Cum, præmissa trans Genusum amnem majore parte copiarum, Cæsar conclamari vasa jussisset, quo simul utilitati, simul famæ consuleretur; apud Pompeium sententiis variabatur. Multi, auctore Afranio, Italiam Appian. peti, alii bellum trahi volebant. Pompeio neutrum satis Vell. probabatur: pro Italia bellum se gerere dicebat, nec Plut. Pomp. oppressurum quæ defensa et servata cupiat; neque dandum Dio. hosti perterritum spatium. Ergo recedentem ad priora Lucan. castra Cæsarem, quæ fuerant contra Asparagium posita, Cæs. vicissimque inde moventem, strenue insecutus, postquam adipisci posse desperavit, ad Scipionem properare cœpit, ei timens, ne a Cæsare opprimeretur. Hæc enim ferme summa consilii utrisque erat, ut Cæsar, si sequeretur Pompeius, æquioribus locis bellum gesturus videretur; sin vero transmitteret in Italiam, eodem per Illyricum contendere, postremo omnibus locis exclusus, exercitum quem Scipio nuper adduxerat obsidendo, retrahere Pompeium posse putaret. Pompeius similiter, sive Scipionem aggredi Cæsar statuisset, ad auxilium festinabat; sive propter copias, quæ ab Italia expectabantur, discedere ab ora maritima nollet, Domitianum exercitum deleri posse rebatur.

54. Cum Cæsari necessario prius adeunda Apollonia

esset, ut saucios deponeret, stipendium militibus daret, animosque sociorum alloquio et præsiidiis datis firmaret; Pompeius expedito per Candaviam itinere, prior in Macedoniam venit. Ibi Fortuna vix quatuor horarum interposito spatio Domitium et objecit maximo discrimini, et eripuit. Ignarus ille omnium, (quippe missi ab illo ad Cæsarem, aut ad illum a Cæsare, propter infesta itinera penetrare nequibant,) cum per aliquot dies castra castris Scipionis opposita habuisset, rei frumentariæ causa discesserat: et tum ad Heracleam Sinticam, quæ est subiecta Candaviæ, iter habens, in ipsum Pompeium incidisset, nisi, quod neque sua diligentia cognoscere, neque doceri a suis partibus potuerat, hostium beneficio didicisset. Allobroges, qui cum Roscillo et Ægo nuper transfugerant, repertis per viam exploratoribus Domitii, sive propter veterem consuetudinem, quod in Gallia una militaverant, sive gloria elati, omnia expromserunt. Ita deflexo itinere Domitius, qua Cæsarem venire audiverat, vitavitque Pompeium, et ad Æginium cum imperatore suo conjunctus est.

55. Jam quocumque Cæsar adiret, præliorum Dyrhachinorum fama præcurrerat. Igitur Gomphos venienti, quod primum est contra Epirum Thessaliæ oppidum, prætor gentis Androstheneas portas clausit, dimissis ad Pompeium Scipionemque nuntiis, auxilii accelerandi causa. Sed Cæsar, edoctos milites, quantum ad famam necessitatemque præsentem ea res pertineret, sic accendit, ut post horam nonam oppugnatione cæpta, ante noctem loco potirentur. Cum urbs diriperetur, insolitum spectaculum in quadam domo irrupentium oculos tenuit; senes viginti jacentes in cœnaculo cum calicibus, similes ebris, sed vitæ cassi, sedensque alius gestu præbentis potionem. Nempe nobilissimus quisque morte asperiora timentes ad medicum convenerant, eundemque habuerant et ministrum mitioris exitus, et comitem.

Flor. Dio.  
Appian.

Cæs.

Appian.

56. Cæsar, obiter relictis militibus, Metropolim, oppidum et ipsum Thessaliæ, contendit, ea celeritate ut famam cladis Gomphensium anteiret. Quasi bacchabundo agmine perventum est, quod miles vino apud Gom-



phos reperto se ingurgitaverat, Germani ante omnes, vetere gentis et tenaci probro. Sed ea quoque res commo Cæsari cessit. Nam et morborum jam inter eos Plut. Cæs. ingravescentium semina largiore vino discussa sunt, et alacritas militum aucta est. Metropolitæ, cum ad resis- Cæs. tendendum se pararent, visis Gomphensium captivis, et cog- nito quod acciderat, se protinus potestati fideique Cæsaris transdiderunt. Cæsar hos diligenter conservavit: brevi- que rerum earum disperso rumore, Gomphensium malis rebus et Metropolitanarum tolerabilibus omnes permotæ Dio. Cæs. civitates, ad Cæsarem se contulerunt, exceptis Larissen- sibus, ad quorum urbem Scipio jam accesserat.

57. Paucis post diebus, cum adventu Pompeii in Thes- saliam duo magni hostium exercitus conjuncti essent; adeo crevit hominum audacia, ut, belli tantum non imme- mores, id modo cogitarent, qua ratione maximum e victo- ria fructum pro se quisque perciperent. Igitur jam incre- pari Pompeii moram quotidianum erat, qui exploratam victoriam non alia causa differret, quam quo diutius tali- bus viris imperaret. Regem regum Domitius vocabat, Flor. et Agamemnonem, quod is quoque, belli causa, pari dig- Lucan. vii. 53. nitate præditis imperarat. M. Favonius per Pompeium stare dictitabat, quominus eo anno ficus Tusculanas Plut. essent. L. Afranius, quem Attius Rufus pretio accepto Pomp. et Cæs. prodidisse exercitum arguerat, demirari se aiebat, quem- Appian. admodum cum licitatore legionum tantus imperator non Plut. auderet configere. Sed Pompeius atterendum hostem Cæs. Plut. mora et incommodis recte censuerat; omni apparatu su- Flor. perior, et ea Juliani militis conditione, ut assuetum vincere nulla acies sustineret; defessus ætate, frangi laboribus et Plut. tædio posset. Appian.

58. Ceterum reliquorum amentia non sinebat hominem Juliani Cæsares. insistere suis consiliis. Amentia enim certe fuit: cum, Plut. et Cæs. tanto hoste opposito, Lentulus Spinther, et Scipio, et Domitius, gravissimis inter se contentionibus de pontifi- catu maximo, quod sacerdotium Cæsar gerebat, agita- rent: urbanam gratiam Domitio, Lentulo ætatem allegan- te, Pompeii necessitudinem Scipione, a quo perhonorifice tractabatur; ut alterum ei prætorium tendi Pompeius, et

apud illum etiam classicum cani juberet. Sed et magna fuit in consilio controversia, haberine rationem comitiis prætoriiis L. Hirri oporteret, quem ad Parthos legatum Pompeius miserat : cum fidem in id Pompeius dedisset ; ceteri negarent in pari labore et periculo unum anteponendum omnibus esse. Domitius etiam gravem de iis qui in Italia remanserant sententiam dixit : ‘ placere sibi, ut de singulis ternæ tabellæ darentur senatoribus, qui in bello secuti Pompeium essent, ut de illorum causa cognoscerent. Unam fore tabellam, quæ omni periculo absolveret ; alteram, quæ pro hoste habendum censeret ; tertiam, quæ mulctandum pecunia.’

Cic. ad  
Att. xi. 6.  
Cæs.

59. Nihil horum latere Cæsarem poterat. Itaque simul satis ex priore consternatione suos recepisse visus est, non absistebat, quin copiis quotidie productis pugnandi faceret potestatem. Idque adeo inter initia cautius egerat : deinde confirmatus eo quod Pompeius suos intra munitiones tenebat, longius a suis castris in loca hosti æquiora degrediebatur. Ea quoque res accendit Pompeianorum animos, qui ferme omnes, quanquam alius alia de causa, contationem oderant. At Pompeius hoc ipso argumento abstinendum prælio disserebat, quod apparet, id summopere Cæsarem, tanquam sibi maxime necessarium, expetere. Postremo, cum neque vincere suorum animos, neque ferre invidiam posset ; abjecto salubri consilio, ad pugnam se parare cœpit.

Appian.  
Cæs.

Appian.

Plut. Pomp.

60. Multa tum concurrerunt incitamenta, ut magnam omnes victoriae spem conciperent. Fiducia in viribus, in imperatore, in causa : præterea res duæ novæ quantivis utique momenti : una, quod Pompeius confirmaverat, priusquam fere ad manus veniretur,<sup>5</sup> exercitum Cæsaris in fuga fore, propterea quod equites, quorum multitudinæ abundabat, sibi recepissent, se dextrum Cæsaris cornu statim initio pugnae circumdaturos atque turbaturos esse : altera, quod Labienus, demonstrato præsentibus Cæsaris copias magnam partem ex aliis militibus constare, quam qui Gallias subegissent, in caput suum execratus fuerat,

Lucan.  
vii. 46. et  
seq.  
Cæs.

5 *Videretur* edd. aut. Crev.

si in castra, nisi victor, reverteretur; idque jusjurandum secuti deinde omnes erant. At Cæsar, sive per exploratores re cognita, sive præsigio animi, revocatis tribus legionibus, quas frumentatum emiserat, de media nocte sacra Marti et Veneri Genitrici fecit, quam suæ gentis auctorem esse dictitabat; templum quoque eidem vovit ex manubiis.

61. Cum utrimque sedisset animis pugnandi voluntas, ut ferme in magnarum rerum expectatione miscere se prodigia soleat, multa visa aut ficta sunt. Victimæ in castris Pompeii, cum admoventur aris, fugerunt: examina apum in militum signis et altaribus sederunt: interdum fuerunt tenebræ: Pompeius nocte quæ prælium antecessit, per quietem in theatro suo sedere imaginatus est, et maximo populi plausu excipi. Inter hæc, castra ejus fulminibus petita sunt: excubias circumeunte Cæsare, fax a castris ejus in Pompeiana decurrere visa est, atque ibidem extingui. Nocturni quoque terrores in exercitu Pompeii fuere sub ipsam lucem, auxitque consternationem mane apud principia cum pullo conspectus imperator. Spes tamen prævaluit apud pertasos moræ animos, et ex apparatus magnitudine belli eventum metientes. Igitur et facem in sua castra delatam suæ claritudinis omen accipiebant, et insomniis Pompeii fidebant. Nam is, sopito castrorum tumultu quieti redditus, altissime indormiverat; excitatusque ab amicis, modo se per somnium<sup>6</sup> Romæ fanum Veneris Victricis dedicasse juraverat.

62. At incertus consilii Cæsar, et desperato prælio ex superiore consuetudine Pompeii, Scotusam castra moturus erat. Jam detendebantur tabernacula; cum Pompeianam aciem longius solito ante vallum progressam relatum est. Igitur expeditum agmen, quod jam in portis erat, cohortatus, proruto vallo, quasi hostium castris mox potituros, eduxit statim, hostique processit obviam. Acies utrimque sic ordinata stetit. Sinistro Pompeii cornu, cum duabus legionibus, quas per causam belli Parthici abductas a Cæsare diximus, ipse cum L. Domitio consti-

<sup>6</sup> *Somnium* legitur in edd. ante Crev.

- tit : Scipioni cum Syriacis legionibus mediam aciem commiserat : cohortes Hispanæ, quas secum Afranius deduxerat, cum Ciliciensi legione dextrum cornu obtinebant.
- Frontin. 11. 3. Hoc erat exercitus Pompeiani robur. Tironum legiones inter mediam aciem et cornua interjecerat. Quælibet acies denos in altitudinem ordines habebat. Peditum his omnibus Romanorum quadraginta quinque millia continebantur. Equitatus fere omnis, et quod sagittariorum atque funditorum habebat, in sinistro cornu, haud procul Pharsalia locatum est : dextro, quod flumen Enipeus impeditis ripis munitabat, sexcenti sufficere equites visi.
- Cæs. 63. At Cæsar, uti consueverat, legionem decimam in dextro cornu, nonam octavamque in sinistro constituit.
- Plut. Ant. et Pomp. et Cæs. Cæs. Hic Antonium, ibi P. Syllam curare jussit ; in medio Cn. Domitium, cum quadraginta cohortibus : ipse in dextro suo cornu versabatur, ut Pompeio se opponeret.
- Appian. Plut. Cæs. Legionarios in aciem deduxit universos, millia circiter duo et viginti, mille equites. Nec enim expectare militum ardor patiebatur Q. Cornificium, qui duas adducebat legiones ; aut Fufium Kalenum, qui cum cohortibus quindecim erat in Attica. Hæ civiles utrimque vires fuere : auxiliorum numerus amplior utique, sed varie traditus.
- Flor. Appian. Cæs. Haud minus trecenta millia pugnasse quidam, qui plurimum, quadringenta ponunt. Sed Cæsar, animadverso Pompeii consilio, ne dextrum suum cornu circumveniretur metuens, ex tertia acie, ubi Domitius curabat, celesiter sex cohortes detraxit, et ex his quartam instruxit aciem ad res subitas. Ibidem et equites suos locavit, quia sinistrum cornu paludibus applicatum hoc præsidio indigebat minus, et delectos pedites, Germanos maxime, qui præliari inter equites consueverant.
- Flor. Dio. 64. His rebus utrimque paratis, cohortandi suos materies imperatoribus minime defuit : vix enim unquam tantis rebus gestis, tantaque belli gloria par aliud concurrat nobiliter. Pompeius primæ ætatis decora, et triumphalem adolescentiam Africanis Hispanisque bellis præferbat : inde maximos reges, ferocissimas gentes domitas, et orientem adjectum imperio, Romanique populi vires unius ductu atque una expeditione duplicatas. Neque minoris erat ex parte Cæsaris recens Britanniae Gallia-

rumque devictarum gloria : quarum nationum altera prorsus inaccessa atque incognita majoribus ; altera maximo perpetuoque terrori fuisset : et eadem adhuc arma, eadem corpora retinebat, quibus tantæ patratæ res fuerant.

65. Steterunt tamen aliquamdiu quietæ acies, mutuo metu, an quia quantumvis atroces animos pudor et tædium fundendi cognatum sanguinem invaserat. Tandem pugna cœpit a Crastini centurionis impetu, qui concionanti Cæsari futurum receperat, ut se aut vivum laudaret imperator, aut mortuum. Spatium erat inter duas acies, quod utrimque sufficeret concursuris : sed consilio C. Triarii Pompeius immotos tenuit suos ; rem minime probatam Cæsari, qui vires alacritatemque militum valde incitari cursu judicabat. At Juliani cœptum cursum, postquam adversarios stare viderunt, parumper intermiserunt : deinde iterum concitati pila miserunt in hostem, gladiosque celementer strinxerunt. Idem et ab Pompeianis factum : eodemque tempore horum equites et levia arma Cæsaris dextrum cornu cœperunt impellere, quia Juliani tot partibus pauciores tantam procellam sustinere non poterant.

66. Igitur quartam suam aciem excitat Cæsar, eaque tam vehementem facit in effusos impetum, ut protinus terga vertant Pompeiani equites. Nam ex præcepto Cæsaris ora hostium oculosque petens miles, aversa facie cedere coëgit. Et hoc ita futurum Cæsar, atque hinc initium fore victoriæ, pro summo quem habebat rei militaris usu, prædixerat. Funditores et sagittarii, ab equitatu destituti, extemplo circumventi cæsique sunt. Pompeius, victa parte suorum, in qua plurimum fiducia collocaverat, damnare spes suas cœpit, acieque relicta, fugere. Tum vero cæsis fugatisve ducibus, nulli rei præterquam turbando invicem idonea copiarum magnitudo, ad satietatem hostis cæsa est : donec misertus Cæsar parci civibus jussit. Hoc imperio per ordines vulgato, milites, uti cui Romano occurrerant, stare securum jusserunt : in auxilia tota belli ira incubuit, eorumque ingens concisa multitudo est.

Appian.  
Dio.

Cæs. Flor.  
Lucan.  
Appian.  
Plut. Pomp.  
et Cæs.  
Cæs.

Oros. Flor.  
Frontin.  
iv. 7.  
Plut.  
Appian.  
Lucan.  
Cæs.  
Flor.  
Cæs. Plut.

Flor.  
Luc. Flor.  
Appian.  
Vell. 11. 52.  
Sueton.  
Cæs. c. 75.  
Appian.

Cæs. 67. Cæsar, quanquam fatigatus prælio miles æstu quoque aggravabatur, (nam ad meridiem extracta pugna erat,) tamen monendo, ni castra hostium expugnentur, imperfectam victoriam relinquere, perpulit ut eodem impetu vallo hostium succederent. Nam super auctoritatem imperatoris, et elatos successu animos, præda castrorum, quam sciebant amplissimam fore, incendebantur. Castra, aliquamdiu a Thracibus magis quam a Romanis (cohortes septem castris castellisque præsidio Pompeius reliquerat) defensa, venerunt in potestatem victoris. Tum vero Pompeium, qui hactenus in prætorio sederat tacitus, hæc verba locutum, ‘ Etiamne in castra?’ mutato habitu fugisse tradunt. Interim et castella, deditibus qui tenebant, a P. Sylla capta sunt. Cæsar adhuc impetravit a suis, ut relicta præda novum insuper laborem susciperent, expugnandis Pompeianis, qui e castris refugerant in proximum montem, et, quia locus aquæ erat inops, jugis ejus Larissam versus se recipiebant. Id quoque eadem die perfectum est, quanquam et passuum aliquot ementienda millia, et præterea muniendo secludendus a monte alio, quem hostes ceperant, fluvius fuit. Tanta erat et imperatoris illius, et exercitus, tamque invicta armis et laboribus alacritas.

Plut.  
Appian.

Cæs.

Appian.  
Liv. Epit.  
Plut. Cæs.  
et Brut.  
Dio. Vell.

Sueton.  
Cæs. 75.  
Dio.  
Plin.  
vii. 25.  
Dio.  
Sen. de  
Ira, ii. 23.

68. At Cæsar, sicut prædixerat, in castris hostium exacta nocte, captis deditisque omnibus ignovit: maxime lætus M. Bruto Cæpione servato, a quo postea interfec-tus est. Is a Larissa, quo se contulerat ex fuga, scripsit ad Cæsarem, cupidissimeque susceptus est. Sed et singulis amicorum potestatem fecit, unius quem quisque vellet adversæ partis servandi. Literas ad Pompeium a multis scriptas, atque inter prædam repertas, statim cremavit; ne forte deprehensis quorundam consiliis, irasci pluribus quam statuisset cogeretur. In summa moderationem et clementiam plane singularem atque admirabilem exhibuit in omnibus.

Lucan.  
Cæs.

69. Hæc est nobilis illa Pharsalica pugna, quæ jam aperte libertatem populi Romani subruit; uniusque omnes subiecit potestati. Cæsar haud amplius ducentos,

aut, secundum alios, mille ducentos amisit milites, sed Appian. centuriones, viros fortes, circiter triginta.<sup>7</sup> Ipse militis Flor. simul imperatorisque partibus omnibus strenue obitis, præcipuam victoriæ suæ laudem retulit: inter legiones decumanorum maxima extitit virtus: sed singulorum ante Crastinum nemo fuit. Idcirco cadaver ejus (nam adacto in os gladio post ferocissimam pugnam ceciderat) militariibus donis ornatum Cæsar proprio sepulcro inferendum curavit, cum ceteri uno communi tumulo humarentur.

70. De Pompeianis circiter millia quindecim cecidisse Cæsar. Cæsar affirmat; qui magis augent, viginti quinque millia: Appian. sed Asinius Pollio, qui rerum istarum historiam Græco Plut. sermone contexit, sex omnino millia militum occisa tradidit; reliquam multitudinem servorum fuisse, interfectorum maxime dum castra capiuntur. Dedita sunt amplius millia viginti quatuor, quæ ferme apud victorem sacramento dixerunt. Equites Romani quadraginta cæsi sunt, de illustribus; senatores decem: in quibus L. Domitium, ex castris in montana fugientem, Antonius cum equitibus suis occupavit. Signa militaria ad Cæsarem relata sunt centum octoginta, aquilæ novem.

71. Hæc victoria Cæsaris, qua pugnatum est die, in remotissimis terrarum nuntiata est. Nam et strepitus armorum, pugnantiumque tumultus cum alibi locorum auditus est, tum Antiochiæ in Syria bis: idemque accidit Ptolemaide: et Trallibus ad statuam Cæsaris, quæ dedicata in fauo Victoriæ fuerat, non ex humo, sed ex duro et strato silicibus solo, palma magnitudine matura enata est: et Pergami, in templo Liberi patris, in interiore parte ædis, quo præter sacerdotes aditus est nemini, tympanorum cymbalorumque sonitus increpuit. Elide in templo Minervæ simulacrum Victoriæ, quod Minervæ signo obversum fuerat, se convertit, valvasque templi respexit.

72. Sed nihil expressius, quam quod e municipe et familiari suo C. Cornelio auditum Livius tradidit. Is

<sup>7</sup> Trecentos edd. ante Crev. correxit ille ex Cæsar. et App.

Plut. forte sacerdos Patavii tum operam augurio dabat: cum,  
 A. Gell. visis avibus nonnullis, vaticinantis in modum, prælium  
 xv. 18. committi confirmare præsentibus cœpit: idemque post  
 Dio. paulo videre cedentes alios, alios urgentes, variamque  
 Jul. Obseq. fortunam et instaurationem pugnae: tandem exsiliens ex-  
 Lucan. clamavit, 'Vincis, Cæsar:' mirantibusque et fidem ad-  
 VII. 192. hibere contatis, demta de capite corona, 'Hanc,' inquit,  
 'non ante resumam, quam certis nuntiis comprobata præ-  
 dictio testimonium præbuerit arti.' Et tam exacte re-  
 sponderunt omnia, ut non modo prælii tempus, sed omnem  
 vicissitudinem pugnandi, vaticinantis vocibus et motu  
 expressam fuisse constaret.



# SUPPLEMENTUM

## LIBRI CXII.

### HISTORIARUM

#### T. LIVII PATAVINI.

---

1. **COGNITAM** celeriter Pompeii cladem, nec enim celeri res tanta poterat, passim trepidatio et fuga partium excepit. Primi, nam et proxime aberant, rem didicere, qui Dyrrhachii remanserant in prioribus castris. Quorum et M. Cicero fuit, vir nihil minus quam ad bella natus; et jam inde a principio Cæsaris causam, Pompeii consilia damnando, neutris partibus utilis, et molestior quibus accesserat. Nec enim abstinebat acerbis facetiis sensus suos prodere, ‘habere quem fugiat’ dictitans, ‘quem sequatur non habere.’ Sed et cum ad Pompeium accederet, dicentibus ‘sero cum venisse;’ ‘Nihil,’ inquit, ‘paratum video.’ Igitur neque usus eo Pompeius est, et aliquando dixisse dicitur: ‘Cupio ad hostes transeat Cicero, ut nos timeat.’ Quo facilius, cum a Dyrrhachio Pompeius moveret, hic et relictus est, et mansit, præsertim cum accessisset corporis infirmitas.

Liv. Epit.  
Plut. Cat.  
Plut. Cic.  
Liv. Epit.  
Cic. Phil.  
II. 15. et ad  
Att. XI. 4.  
Plut. Cic.  
Macrob.  
Sat. II. 3.  
Cic. ad  
Att. VIII. 7.  
Macrob.

Cic. ad  
Fam. IX. 18.  
et ad Att.  
XI. 4. Plut.

2. Sed postquam ex prælio Pharsalico Labienus Dyrrhachium refugit, consiliumque vocavit Cato; diversæ præsentium sententiæ fuerunt. Multis adhuc bellum placebat, quia Labienus vera falsis miscendo, Cæsaris gravi vulnere fortunam partium æquatam fuisse confirmarat. Et conquirebantur alia inflandis animis. Superesse septem

Cic. de  
Div. I. 32.  
Dio, XI. II.  
Frontin.  
Strat. II. 7.

Plut. aquilas Nonius dicebat: Pompeio victoriam deberi Labienus, nescio quorum numinum oraculis. His quoque dicta reposuit Cicero: Nonio, 'recte eum confidere, si pugnandum sit cum graculis:' Labieno, 'hoc strategemate jam amissa castra esse.'

Plut. Cat. 3. Catoni hæc animo sententia sederat, ut, siquidem Pompeius cecidisset, transportatis in Italiam quos secum habebat, patriæque restitutis, ipse exulatum proficisceretur quolibet: superanti autem copias ab eo acceptas cum fide servaret. Hoc animo navigavit Coreyram, ubi classis stabat. Erat omnino fugæ similis profectio. Igitur et frumentum ex horreis raptum vias angiportusque constraverat: et quia non modo jam hostis, sed suæ quoque copiæ terrori Pompeianis erant, subito metu perterriti conscenderunt naves. Nec injustus ille timor fuit. Nam noctu ad oppidum ex cursu respicientibus, magnum incendium reluxit, flagrantibus onerariis, militum audacia, nolentium conscendere. Tum et Rhodia classis deseruit socios, domumque discessit.

et II. 55. 4. Hæc omnia paucis ante diebus Rhodiæ quinquere-  
mis remigem, velut numine afflatum, prædixisse, C. Coponius, qui ei classi præerat, homo cum primis prudens atque doctus, tribus facile doctissimis Romanorum, M. Tullio, M. Catoni, M. Terentio Varroni exposuerat. Hoc ita ab ipso Cicerone narratum, non poetarum modo, sed etiam Græcorum fabulas, qui revixisse hominem et a morte vaticinatum finxerunt, evidenter coarguit.

Plut. Cic. et Cat. 5. Coreyræ, cum iterum de præsentibus esset delibe-  
ratum, Cato nunquam non observans legum, Ciceroni se cedere professus est, quod ille consulari dignitate anteibat. At Cicero, qui semper pacis auctor fuerat, et omne fugerat belli munus, tantum ab accipiendo imperio abfuit, ut potius 'armorum non deponendorum, sed abjiciendorum' suasor esset. Ibi gravis eum excepit Pompeianorum indignatio, fuissetque a Cnæo interfectus, ni Cato seductum paulisper adolescentem lenivisset. Ita navigio accepto Brundisium vectus, eo in oppido Cæsaris tempora expectabat. Interea loci et D. Lælius, qui objectam Brundisio insulam, quam antea Libo tenerat, consilio

Luc. IX. 30.  
Dio, XLII.  
Appian.  
Civ. II.  
Cic. de  
Div. I. 32.

Cic. pro  
Deiot. c. 10.  
et ad Att.  
VI. 4.

Plut. Cic.  
et Cat.

Cæs. Civ.  
II.

pari, pervicacia majore inuidebat, et C. Cassius, multis Julianis in Sicilia concrematis navibus, postquam acceperant de praelio, cum classe discesserunt.

6. Neque piget principum virorum, etiam singulorum, consilia referre et fata. Duo ferme genera erant universim. Qui Cæsaris clementia fidere poterant, ubivis locorum subsistebant, donec per deprecatores, quid fieri ille vellet, comperirent: ceteri quibus nimia odia quidlibet tutius quam Cæsaris arbitrium fecerant, ubilibet terrarum rebellionem meditabantur. Q. Cicero filius, cum Coreyra discederetur, Patras venit, ubi pater ejus tum agebat, qui una cum multis aliis senatoribus ad Fufium Kalenum se contulit, quem a Cæsare missum fuisse in Achaïam prædiximus. Ex eo numero Ser. Sulpicius, A. Torquatus, M. Marcellus Athenis substiterunt: in Bithyniam se T. Antistius ad hominem familiarem A. Plautium<sup>1</sup> recepit, pluresque alii per diversas Asiæ provincias victoris clementiam expectarunt. Atque his omnibus ocyus serius, ut cuique sors fuit, ignovit Cæsar, quorundam etiam opera deinceps usus est, magistratusque iis et provincias dedit. At quibus renovare bellum placuit, partim in ipso conatu extincti sunt, plerique in Africam se contulerunt.

7. Pompeius, uti diximus, e castris suis equo fugiens, Larissam; inde per Thessalica Tempe, etiam per noctem continuato cursu, cum equitibus triginta ad mare venit. Ibi consensu parvo et fluviatili navigio, paulum pro-  
 vectus, in ostio Penei amnis onerariam conspexit prævehentem, agnitusque a domino navis, tum maxime somnium suum exponente vectoribus, susceptus est. Quippe per quietem, Pompeium longe dispari quam esse consueverat cultu opem suam exposcentem viderat. Transcenderunt cum eo L. Lentulus, qui superiore anno consul fuerat, et P. Lentulus consularis, et M. Favonius prætorius. Deinde et regem Dejotarum, equo properantem ad littus conspici, recepere.

8. Inde per Thermaicum sinum, et deinceps præter Macedoniam vecti, ad Amphipolim jecerunt anchoram:

Dio.  
Appian.

Cic. ad  
Att. xi. 5.  
et 15.

Supra,  
cxi. 42.  
Cic. ad  
Fam. vi. 1.  
et iv. 12. et  
xiii. 29. et  
alibi pas-  
sim.

Sueton.  
Cæs. 75.

Flor. iv. 2.  
Luc. viii. 1.  
Plut. Pomp.  
Appian.  
Cæs. Plut.  
Oros. vi. 15.  
Plut.

Vell. ii. 53.

Plut.

<sup>1</sup> *Plancium* edd. ante Crev. correxit ille ex Cic. ad Fam. xiii. 29.

- quam ad urbem edicto convenire juniores Græcos civesque Romanos jusserat, reparandarum virium ergo, si spatium habuisset; an magis, ut fuga quam moliebatur tanto esset occultior. Certe Cæsaris adventu cognito Lesbum transmisit, ubi initio belli Corneliam conjugem seposuerat. Invitantibus in urbem suam Mitylenæis, atque offerentibus omnia, non paruit, sed recepta Cornelia rebusque ejus, biduum tantummodo moratus per tempestatem, quatuor additis actuariis, quæ a Rhodiis et Tyro venerant, in Ciliciam auctus est.<sup>d</sup> Eo in cursu et Sextus filius eum assecutus est, et magnus numerus senatorum: et naves quædam cum militibus ex Cilicia occurrerunt.
9. Exposito igitur Dejotaro, qui ultimum orientem in auxilium Pompeii commoveret, ipse præter Ephesum, et Colophonem, interjacentesque insulas, Rhodum petiit. Rhodii, postquam alius esse jam cœperat Pompeius, adversus illum iidem esse desierant. Igitur oppido portuque prohibitum, missis ad eum et Lentulos nuntiis, ex iis locis discedere jusserunt. Primam urbium, nusquam prius ausi consistere, Attaliam inierunt in Pamphylia: cum jam recollecti ex fuga senatores circiter sexaginta essent. Deinde, quia Pompeius commodos aquationi rebusque necessariis portus, simulque remotiores abstrusioresque sequebatur, Syedra concessit, desertum Isauriæ scopulum, quod navale Selinuntiorum erat.
10. Ibi demum eclatum hactenus consilium nudare cœpit, se diffusum provinciis omnibus, externas opes quærere. Cum in aestimationem omnia circum regna venissent, ad Parthum inclinabat sententia. Sed hic, amicitia Pompeii rejecta nuper, etiam legatos ab eo missos habuerat in vinculis: præterea ad interfectores Crassorum Corneliam adduci, quæ nupta Publio fuerat; et ad projectissimos in libidinem, juvenem formosam, alienum videbatur. Jubam fidissimum partibus regem peti vetabat insolentia barbari, et in Varo populi Romani despecta majestas, et levitas insita genti. In Ægyptio rege ætas maxime displicebat,

<sup>d</sup> *In Ciliciam auctus est*] Non tunc venit in Ciliciam, qui mox dicitur, præter Ephesum et Colophonem, Rhodum petiisse. Sed rejectus a Rhodiis, postea processit versus Ciliciam. *Crev.*

et quod tredecim annorum puer a nutriciis et pædagogis Appian. regebatur.

11. At Theophanes, quo plurimum Pompeius uti con- Plut. sueverat, 'insanum esse' rebatur, 'si de alio ullo potius, quam Ægypti rege cogitaretur. Illum ea ætate esse, ut scire beneficia patri a Pompeio præstita, et intelligere possit: præterea reverentiam ei fore dati ab senatu tu- Supra, toris. Neque pueritiam ejus metuendam: adultos et usu CXI. 6. tritos ex præsentī hominum fortuna favorem et odia tem- Lucan. perare; adolescentibus honesta placere etiam cum periculo.' Hæc probata sententia, Cyprum tendunt. Ibi Cæs. cognoscunt Antiochiensium civiumque Romanorum, qui ibi negotiarentur, consensu arceri finibus Pompeianos, nuntiis etiam dimissis in vicinas civitates, 'ne quis ex eo genere Antiochiam adiret; qui fecisset, magno capitis periculo facturum.'

12. Hæc adversa demum gravissimos duos errores de- Plut. plorandi serum Pompeio sensum attulerunt; unum, quod Appian. procul mari, qua parte virium firmissimus fuerat, conflix- Civ. II. p. 472. isset; alterum, quod fugam potius intendisset hæc in Plut. loca, quam ad classem suam, et exercitum, quem duce Catone jam in Africam pervenisse rumor ferebat. Sed Dio. inopinato prælii eventu semel perturbatus, neque confir- mare animum tam vetus imperator, neque providere quid Cæs. in rem esset, ulla ex parte potuit: sæpe querens, 'tantum se fuisse falsum opinione, ut a quo genere hominum vic- toriam speravisset, inde sibi evatum cladis initium fuerit.' Igitur contracta quanta poterat pecunia, armatisque ho- minum duobus millibus, cum uxore triremem Seleucidem Plut. conscendit. Reliqui partim longis navibus, alii onerariis sunt secuti.

13. Hoc modo Pelusium perventum, ubi tum magnæ Cæs. copię Ptolemæi regis erant, bellum gerentis cum sorore Appian. Cleopatra, cujus castra nec longe ab regiis aberant. Pom- Plut. Cæs. peius id quod erat conjectans, certum hominem misit, Dio. demisse petens, 'ut sibi tutum apud regem perfugium esset.' Ipse, dum tutores pueri coacto consilio de præ- sentibus deliberant, in navi sollicitus opperiebatur, quid de Plut. se Pothinus spado, (hi erant capita rerum) et Ægyptius

Appian.  
Plut.

Achillas, et præceptor pueri Theodotus Samius decrescent: princeps Romani nominis, et qui beneficio Cæsaris servari miserum et deforme existimaret.

Lucan.  
Plut.

14. Cum aliis recipiendum, aliis contra videretur; Theodotus forte cupiens ostendere facundiam, erat enim professione rhetor, 'neutrum consilium salubre esse' disseruit: 'altera sententia dominum Ægypto, et bellum cum Cæsare recipi: altera offendi Pompeium, nec iniri gratiam ab Cæsare. Nihil melius, quam morte viri formidinem ab ipso tollere, simulque demereri eum qui rerum potiretur.' Adjecisse et proverbio jactatam vocem dicitur, 'mortuos non mordere.'

Cæs. Plut.

15. Hæc ubi placuere omnibus, Achillæ negotium permittitur, homini singularis audaciæ. Atque is cum parvula navicula ad Pompeium accedit; littus excusans, quod vadosum et infidum majora navigia non pateretur. Minime placebat ea res amicis, qui prius expectassent, ut ipse rex cum illustri comitatu procederet obviam: et ipse Pompeius præsagium animi Sophocleo carmine fatebatur, quod 'ex liberis servos fieri' dicit, 'quotquot tyrannorum adierint domos.' Cum hoc dicto descendit in naviculam, cum duobus tantum centurionibus, libertorumque et servorum singulis, ubi, conspecto L. Septimio, qui bello prædonum apud se ordinem duxerat, deinde cum Gabinio profectus Alexandriam, tribunum militum agebat: 'Te quidem hercle,' inquit, 'novi, commilito.' Atque is, nullo responso dato, capite tantum annuit.

Dio. Cæs.  
Plut.

Appian.  
Plut.

16. Inter hæc appropinquabat littori, et motus in terra exercitus, conspectaque in agmine regis purpura, spem Corneliæ ceterisque dabat benigne receptum iri: cum assurgentem a L. Septimio primum, deinde ab Achilla percuti vident. Id spectaculum tam necopinatum et atrox, tantum excitavit in navibus luctum, ut gemitus fletusque in littore exaudirentur. Jamque et triremes complebantur, quæ ceteras quoque Pompeii naves comprehenderent: sed illas, prope vulsis anchoralibus, favens a terra ventus Cyprum retulit; Ægyptii a vano persequendi incepto destiterunt. Pars tamen navium capta direptaque: et in his Q. Pompeius A. F. Bithynicus occisus.

Liv. Epit.  
Plut.  
Dio. Oros.

17. Sic Magnus ille Pompeius in conspectu conjugis Flor. liberorumque cæsus, inter imbecillitatis humanæ illustris- Dio. sima documenta memoratur. Cum non Romæ modo, Cic. ad sed ubivis ferme terrarum, perpetuo tenore felicitatis prin- Fam. 111. cipem locum diutissime tenuisset; eo ipso tempore quo vel 11. maxime florere fortuna et potentia videbatur, præceps Dio. subito datus, pridie natalem suum, quo die olim tam dis- Vell. 11. 53. pari sorte, de Mithridate et piratis clarissimum trium- Dio. phum duxerat, clientis sui supplex, famulorum ejus mani- bus invenit necem.



18. Cura tamen decore cadendi etiam morienti fuit. Lucan. Toga capiti obducta, ne quis gestus notari, aut vox indig- Plut. na priore Pompeio excipi posset, gemitu tantum edito excepit enses. Caput ad regem relatum est, siccataque Lucan. cute conditum Ægyptio more. Truncus contentim ab Plut. et Val. Max. 1. 8. subjectus in littore, a Philippo liberto utcumque crematus conscissæ scaphæ lignis, sepultusque est, cum ad idem officium alius etiam civis Romanus forte accucurrisset. Appian. Tumulum postea fluctus marini disjecerunt: et imagines, quas proximorum temporum admiratio posuerat, sequen- tium negligentia male habitas in Casii Jovis aede retrusit in cellam, ubi vetera truncataque signa reponebantur, (favissas Romæ vocabant) donec Adrianus Cæsar, impe- A. Gell. rium totum undique perlustrans, cum in Ægyptum venis- ri. 10. set, et effigies reperit ornavitque, et tumulum inquisitum Appian. refeci repurgarique jussit. Vix relatu dignum, tamen ad Dio. ineptam hominum cavendam solitudinem non inutile, tradunt auctores, ex vaticinio quodam Cassios semper

- Marcel. suspectos Pompeio fuisse : cum nemo hominum hoc no-  
 xxii. mine, sed mons scilicet Casius fatalis ei prædictus esset.
- Plut. 19. Postridie mortem Pompeii secutus illum e Cypro  
 L. Lentulus advenit, ignarus omnium quæ accidissent :  
 sed conspecto in littore rogo, nescio qua occulta vi com-  
 movente animum, ‘Eccui hic,’ inquit, ‘justa tam exiliter  
 fiunt?’ Nec longo interposito spatio ; ‘fortassis tibi,  
 Val. Max. Cnæe Pompei !’ Divinavit amici casum, unde suam  
 Plut. quoque fortunam pendere non nesciebat. Nec diu super-  
 Cæs. Oros. fuit : comprehensus enim ab rege, ad Pelusium in custodia  
 Dio. necatus est. At qui in Cyprum refugerant diversa exinde  
 loca petiverunt.
- Liv. Epit. 20. Interim Cæsar post victoriam biduo tantum honori  
 Appian. simul Deorum, et quieti militum dato, omissis curis aliis,  
 Cæs. Pompeium, quocumque terrarum se contulisset, sequi cer-  
 Plut. Brut. tus, hoc uno angebatur, quod neque nuntiis neque fama  
 fiebat certior quam in partem Pompeius intendisset fu-  
 gam. Postremo cum interrogatus ea de re Brutus argu-  
 menta quædam protulisset, in Ægyptum fugisse videri,  
 Cæs. credidit, eoque statuit accedere. Igitur assumpto equitatu,  
 et una legione minoribus itineribus subsequi jussa, per  
 Thessaliam in Macedoniam profectus est. Thessalis ob-  
 navatam in bello operam, præbitaque auxilia, simul ter-  
 ram honorans victoriæ suæ testem, libertatem reddidit.
21. Atheniensibus etiam rata tum sors fuit, quam inter  
 initia condendæ urbis imposuisse Deos fabulæ vulgarunt ;  
 ‘Neptunum, uti semper temere consulerent ;<sup>e</sup> Minervam,  
 uti nihilominus commoda fortuna uterentur.’ Nam tum  
 quoque Cæsar ignovit deprecantibus, severe increpitans,  
 et hac voce adjuncta : ‘Quousque vos, vestro merito pereun-  
 tes, majorum servabit gloria?’ Deinde cum per Macedo-  
 niam Amphipoliū pervenisset, Hellespontum petiit, in  
 Asiam transmissurus. Ibi eum e maximo periculo admi-  
 rabilis fortuna eripuit ; cum inopia triremium vectoria na-  
 vricula trajiciens, in paratissimam hostium classem, et  
 acerrimum ducem incidisset.

<sup>e</sup> *Neptunum, uti semper temere consulerent*] Hoc unde sumserit Freinshemius, reperire non potuimus. *Crev.*



22. Coreyræ trecentæ Pompeii triremes steterant. Inde Appian. cum discederetur, cum majore numero reliquos, ut est expositum, transiecit in Africam Cato: triremes septuaginta C. Cassio datæ, quibus Pontum Pharnacemque adiret, illum quoque regem conciturus. Tum autem, audito adesse Cæsarem, quasi deprehensus ipse esset, supplices e navi tendens manus, veniam sibi suisque orabat. Agnovit Cæsar fortunam suam, et non contentus hac victoria, nedum incolumitate, dubitavit an reciperet: fuitque a Bruto, cujus sororem Cassius duxerat, exorandus.<sup>f</sup> Hæc Plut. Brut. ita, secutus auctores qui C. Cassium in Hellesponto deditum scribunt, posui: ceterum Suetonius et Dio, scriptores minime spernendi, L. Cassium tradiderunt rostratas decem habentem supplicem Cæsari factum. Sane a præfracto contumaciæ C. Cassii ingenio permultum ea vilitas dissidet; nisi, quod Appianus censet, fortunæ Cæsarem efferenti cedere tum omnia debuerunt.

23. At Cæsar, prætervectus oram Asiæ, Ephesum attigit, ibique senatores omnes ex provincia sub eisdem dies eo convocatos esse cognovit a T. Ampio Balbo, qui ad tollendam ex templo sacram pecuniam testibus his uti cogitasset. Sic iterum servata Ephesiæ Dianæ pecunia, Appian. Ionas ceterasque gentes Asiæ, missis legatis deprecantes, venia prosecutus, insuper provinciam publicanorum injuriis, et triente soliti tributi levavit. Nec tamen omisit Dio. locupletiorum publicare fortunas, quos favisse Pompeio Plut. Cæs. constabat: quorum Pythodorus ex Asiarcharum numero, Strab. XIV. p. 649. cum duobus talentorum millibus<sup>g</sup> amplius possideret, redemit a Cæsare opes suas, neque minores reliquit liberis: unde mox ad regale fastigium ascenderunt. Tum vero et Plut. Cæs. Gnidiiis immunitas data propter Theopompum, qui inter Strab. XIV. p. 656. Græcos amicos præcipue gratiosus et potens apud Cæsarem erat.

<sup>f</sup> *Dubitavit an reciperet: fuitque a Bruto... exorandus*] Horum nihil reperitur apud Appianum. Cassio Cæsarem a Bruto placatum esse Plutarchus tradit eo loco quem margo indicat: sed non meminimus eum men-

tionem usquam facere dedentis se tam ignave tamque muliebriter Cassii. Vid. infra c. 85. *Crer.*  
<sup>g</sup> *Duobus talentorum millibus*] Marcis argenti nostratibus 187500. *Crer.*

- Cæs. Appian. 24. Sed Cæsar, paucis diebus in Asia moratus, jamque minus dubitans in Ægyptum isse Pompeium, quod Cypri visum esse cognoverat; Rhodum navigavit, et collectis quot subito poterant navibus virisque, cum equitibus occingentis, duabusque legionibus, una, quam sequi ex Thessalia jusserat, altera, quam a Fufio legato evocaverat ex Achaia, navibusque longis Rhodiis decem, Asiaticis paucis, sub noctem inde solvit; ignaris ceteris quot tenderet. Sed gubernatores interdum vexillum prætoriae navis, noctu pharum sequi jusserat. Sic tertio post die Alexandriam pervenit.
- Cæs. 25. Sed in his legionibus tria millia ducenti haud amplius milites erant. Reliquos vulnera, laborque, festinantem imperatorem consequi vetuerant. Sed Cæsar, animi magnitudine et fama rerum gestarum fretus, omnem sibi locum, quantumlibet infirmis præsiidiis, tutum fore existimabat. Tamen quia tumultuantes recenti morte Pompeii Alexandrinos repererat, veritus littori se credere, anchoras jecit; donec ad eum Theodotus venit, caput et anulum Pompeii, (ensifer leo insculptus erat, ut Plutarchus tradidit; ut Dio, tria tropæa) tanquam fidei pignus, offerens.
- Lucan. Dio. Liv. Epit. Plut. Pomp. Dio, XLII. 26. Ibi Cæsarem, agnito generi capite, flevisse referunt, aversatumque portantem esse; persona moerentis assumpta, quanquam intine gaudere morte æmuli putaretur. Reliqua tamen ejus mansuetudo facile declarat, veras illas, non simulatas lacrymas fuisse. Princeps enim omnium esse volebat certe; nec excogitari necessitudo ulla posset, quam isthoc pretio proposito violandam esse non existimaret: sed, hoc dedisses, erat hominum omnium mitissimus, et qui amplissimum quemque cupidissime servaret, tanto majorem gloriam suam futuram ratus, quanto potentiores nobilioresque viri suo beneficio viverent. Quocumque animo, vultum certe servans, caput Pompeii pluribus et pretiosissimis odoribus concrematum, honeste funerandum curavit in suburbio, ubi post debellatam Ægyptum ædem condidit Nemescos, quæ sub Trajano demum diruta est ab Judæis rebellantibus.
- Sueton. Cæs. c. 30. Id. ib. 74. et 75. Plut. Cæs. Val. Max. Dio. Appian. Liv. Epit. Cæs. 27. Inter hæc appulsus Alexandriam Cæsar, cum navi

primum egrederetur, magno tumultu exceptus est, concurrente milite quem praesidio urbis Ptolemæus reliquerat, et fremente vulgo, cui praferendis Cæsari fascibus, immiui majestas regia videbatur. Igitur ipse concessit in regiam: pars militum, quod exarmari commilitonum suorum nonnullos viderant, in altum se receperunt, donec omnes simul naves applicarent.

28. Non fallebat Cæsarem quanto suo periculo inter infidos et validos in populosissima urbe commoraretur; videbatque regis et ceterorum erga se non aliam fidem fore, quam in Pompeium fuisset: sed Etesiiis tenebatur, qui sunt Alexandria navigantibus adversissimi venti. Ergo dissimulando animo, donec vires contraheret, templa ceteraque celebriora urbis aedificia lustrabat, audiebatque sapientiae professores stans et populo immixtus, aliisque rebus omnibus captum se pulchritudine locorum et Alexandrinae vitae æmulatione testabatur: unde illi mira vulgo gloria atque gratia quaesita est: praesertim cum etiam comiter excipiendo singulos licentioribus conviviiis penitus laxare animum videretur; jam propemodum effecta consuetudine, ut pernoctaret inter epulas, quod ille vitandarum insidiarum causa usurpabat, quas sibi sentiebat a Pothino strui. Nec enim ab hoc praetermittebatur quicquam, quod ad invidiam Cæsaris, et exasperandos in eum quoslibet, pertinebat.

29. Pecunia maxime deerat Cæsari: ergo etiam Asiam praetercurrens, cum fuisset in omnibus liberalis et clemens, stipendium tamen imperaverat: et nunc Alexandriae mutuum repositabat. Nam Auletæ Ptolemæo grandem summam expensam ferebat, supra septingentis sestertium;<sup>b</sup> ejus pecuniae partem magnam liberis regis condonaverat olim, reliquum quadringentis eum maxime repositabat. Nec eo contentus, arbitria quoque coeperat agere dissidentium regum, quod eorum controversias ad populum Romanum, et se populi Romani consulem pertinere dicebat, ex testamento patris Ptolemæi. Eo testamento major filius majorque filia hæredes scripti erant:

<sup>b</sup>Septingentis sestertium] Marcas 156250. *Quadringentis.* Marcas 156250.  
 cas argenti 273137. uncias 1. *Crev.*  
*Delph. et Var. Clas.* *Livius.*

populumque Romanum per omnia sacra fœdusque in Capitolio sancitum rex obtestabatur, ut iudicium suum saluum esset.

30. Hæc vero mirum in modum angebant regios satellites, Pothinum maxime, qui Cleopatram regno expellendæ auctor, reditum illius, ut mortem suam, horrebat. Igitur primo cum Cæsare agere: ‘discederet ad majorum rerum componendos tumultus; creditum, et cetera per commodum, et maxima cum gratia recepturus.’ Sed ille negans ‘cujusquam Ægyptii consilio sibi opus esse, ad se venire reges dimisso exercitu, et disceptare de jure suo’ jussit.

31. Tanto plura ad invidiam ejus et contumeliam Pothinus facere: frumentum vetus et corruptum distribuere militibus, et ubi querebantur, ‘patienter ferendum’ dicere. ‘Jam enim eos de alieno tolerari, cunctis in potestatem Cæsaris concedentibus.’<sup>1</sup> Convivia quoque figlina ligneaque supellectile instruebat, ‘argentea et aurea vasa Cæsari in solutum dari debuisse’ excusans. Quin et sacram pecuniam hac præscriptione tollebat e templis, rem Ægyptiis acerbissimam, qua gente nihil fuit unquam superstitioni addictius. Arguebatque clam iniquitatem Cæsaris, qui tantam sine causa pecuniam peteret, ut qui Ptolemæo, dum socius et rex appellaretur, nihil recusanti, suo Pompeiique nomine prope sex millia talentorum<sup>k</sup> abstulisset. Misit et ad Achillam nuntios de suo aliorumque ex regis amicis consilio, quos ad eandem mentem impulerat, cum exercitu jubens Alexandriam accedere.

32. Sed in speciem amica erant omnia, et tumultum Alexandrinæ plebis reversus a Pelusio rex puer placaverat; et Cleopatra quosdam amicorum miscrat, qui suam causam agerent. Sed paulo post, Cæsaris intellectis moribus, suæque formæ et venustati confidens, omnino conandum existimavit, ut ab homine mulieroso conspiceretur. Ceterum, si palam venisset, vim ab tu-

<sup>1</sup> *Cunctis in potestatem Cæsaris concedentibus*] Hoc additamentum est Freinshemii, quo corruptum et obscurari sensus videtur. Apud Plutarchum Pothinus hoc tantummodo ait: Cæ-

sarianos debere æquo animo esse, cum ex alieno tolerentur. *Cree.*

<sup>k</sup> *Sex millia talentorum*] Marcas nostrates 562500. *Cree.*

toribus inimicis metuebat. Igitur modica conscensa bi- Plut.  
 remi, corruptis pecunia qui claustra Phari custodiebant, Lucan.  
 primis tenebris ad regiam venit: et ne conspici a quo- Plut.  
 quam posset, culcitam sibi circum astringi loro, deporta-  
 rique per Apollodorum Siculum, cujus fidei credebat, ad  
 Cæsarem jussit.

33. Id primo commentum admiratione muliebris ingenii  
 percussit Cæsarem. Ut deinde ad misericordiam simul Dio.  
 amoremque ciendum temperato vultu astitit, eximia for- Flor. IV. 2.  
 mæ et singulari quadam gratia ita dementavit hominem, Luc. Plut.  
 ut Alexandrini belli hanc solam fuisse causam plerique  
 existiment. Sed illa plurimum etiam verborum blanditi-  
 tiis veneribusque pollebat: compositoque ad mæstitiam  
 vultu procumbens, ‘En adsum,’ inquit, ‘Cleopatra, tot Dio.  
 regum soboles, tuaque complector genua, Cæsar: nihil Lucan.  
 indignum fastigio meo facere putans, si tibi, quem Dii  
 supra omnium hominum majestatem extulerunt, tanquam  
 communem regum atque gentium arbitrum, debitum ho-  
 norem exhibeo.

34. ‘Per annos prope trecentos, postquam regnare se-  
 mel domus nostra cœpit, sine intermissione tenuit hanc  
 regiam: et par huic vetustati mos est, eadem cum fra-  
 tribus potestate sociatas matrimonio regnare fœminas.  
 Id non suo magis judicio, quam priorum omnium, pater  
 meus nunc quoque fieri jussit: sed voluntas ejus sper-  
 nitur, testamenti vilis est religio, unaque populi Romani,  
 sed et tua, Cæsar, despicitur auctoritas. Nec de fratre  
 queror. Puer est, et, quæ ultimæ sortis est indignitas,  
 famulis suis servit. Non ille me dejecit regno, mei  
 quantum lieuit amans: sed ejusdem id scelus est, cujus  
 et Romani quondam nominis princeps interfectus: quem  
 si ob veterem gloriam, et in nostram domum merita no-  
 lisset, debebat, vel quia gener tuus olim, vel ænulus  
 nuper fuit, revereri. Princeps terrarum populus, ducibus  
 hinc Cæsare, inde Pompeio, concurrat. Quis inter hæc  
 aliquas esse credat eunuchi partes? At (audaciam ho-  
 minis!) ille sibi vel primas vindicat. Tu fugasti Pom-  
 peium; ille occidit: tu profligasti partes; ille sustulit  
 ducem.

35. 'Atque utinam sit unis opimis contentus! Felici scelere recors latro de tua jam nece agitat, quando interfector Magni nullam ampliorem palmam appetere, quam trucidandi Cæsaris, potest. Nec simplici stimulo incitatur ad facinus. Temeritatem metus acuit: quod caput Pompeii mœrens aspexisti, quod vultu, gemitu, voce, lacrymis, testatus es dolorem, vindex timeris perfidiæ, cujus approbator esse noluisti. Neque longinquos aut incertos metus affero. Sollicitatus Pothini nuntiis Achilles motis a Pelusio castris cum omnibus copiis paulo post aderit.

36. 'Hic me impulit terror, ut machinata quod vides, ad te per quodlibet discrimen penetrare statuerem; conarerque salvum præstare eum, sine quo salva esse ipsa nequibam. Igitur non modo causam meam, sed etiam famam personamque in tuas manus contradidi: et nunc quoque non<sup>2</sup> de meo jure, quam de salute tua sum sollicitior. Ita me Dii Deæque omnes, et quam præcipue veneror, aurea Venus amet, teque, progeniem suam, optimæ voluntatis compleat, ut orbatam patre, orbatam fratre et viro, possessione regni dejectam, contemptam, pulsam, oppugnatam a famulis, tuendam ornandamque suscipias!'

Dio. Plut.

Lucan.  
x. 106.

Plut.

37. Jam dudum Cæsarem forma puellæ, blanditiæque vultus et verborum, decenter interpositis lacrymulis suspiriisque, perculerat. Ideoque nihil non promittens, seriis rebus amantium nequitiam miscuit: eademque nocte una fuerunt. Inde plerisque non eximitur, Alexandrinum bellum præter necessitatem susceptum esse a Cæsare, tantummodo, ut mercedem adulteræ regnum Ægypti daret.

Dio.

38. Orta luce, Cæsar ad se Ptolemæum vocat, et cum eo de reconciliatione sororis agit. Ut vero et ipsa prodit in conspectum, ira commotus puer proripuit se foras, abjectoque diademate, proditum se vociferans, excitavit populi turbam. Sed cito retractus a Cæsaris comitibus, plura conari non potuit: et Cæsar de superiore loco allo-

cutus Alexandrinos, ‘nihil opus esse tumultu’ dixit. ‘Nec enim se existimare aliud illos velle, quam quod ultro facere constituisset.’ Recitato deinde testamento patris Ptolemæi, quod in eo fides populi Romani invocabatur, ad se pertinere dixit, et patris tueri iudicium, et liberis prospicere. ‘Quod igitur faustum felixque foret, Ægypti regnum duorum esse debere, Ptolemæi et Cleopatæ: minori Ptolemæo cum Arsinoë sorore matrimonium, et suo populique Romani dono dotalem Cyprum fore.’ Sic in præsens seditione composita, convivium Cleopatra regali luxu exhibuit, omnibus nova reconcili- Lucan.  
atione lætis.

39. Enimvero Pothinus in haud dubio periculo se con- Plut.  
stitutum sentiens, si tam infensa nec immerito Cleopatra rege et regno potiretur, occidendi inter epulas Cæsaris consilium cepit. Erat inter quotidianæ operæ servos tonsor quidam Cæsari, mortalium omnium timidissimus. Hic cum nihil non observaret anxia cura, deprehendit insidias, detexitque. Ideo Cæsar, jam olim Pothinum suspectum invisumque habens, convivio militibus circumdato, interfecit. De morte Pothini consentitur inter omnes: Cæs. Civ.  
de tempore mortis et ordine diversa traduntur. Sed nihil 111. fin.  
magis congruere prudentiæ temporique Cæsaris visum est, Lucan.  
quam quod posuimus. x. 515.

40. Inter hæc Achillæ nuntiato adventu, Cæsar regiam Flor. Dio.  
claudit, suos armat: cum Ptolemæo agit, ut, quos habeat Appian.  
ex suis maximæ auctoritatis mittat ad Achillam, jubeat- Lucan.  
que incepto desistere. Serapion et Dioscorides missi, qui x. 434.  
ambo legati Romæ fuerant, priusquam edere mandata Cæs.  
possent, jussu Achillæ percutiuntur: alter statim occisus est; alterum accepto vulnere sui pro mortuo sustulerunt. Achilles non regis hæc imperia esse dictitans, qui in Dio.  
aliena potestate ipse esset, occupata præter eam partem Cæs.  
quam Cæsar tenebat Alexandria, regiam irrumpere primo statim impetu conatus est.

<sup>1</sup> Sed nihil magis congruere prudentiæ temporique Cæsaris visum est] Nobis potior esse videtur Cæsaris ipsius auctoritas, qui Pothinum a se interfectum memorat post Arsinoës fugam, de- prehensis intermuntis quos ille ad Achillam mittebat, hortans ut inceptum perageret. Et sic fere memorant ceteri quoque scriptores, præter Plutarchum. Crev.

Plut. Cæs. 41. Nunquam in majore periculo Cæsar fuit. Paucos habebat milites: inter infida infestaque omnia, locis parum munitis, a maxima multitudine oppugnabatur. Neque incondita, aut rudis bellorum turba erat. Millia haud minus viginti sequebantur Achillam, pars magna Romanus miles, qui olim adductus a Gabinio, mixtusque connubiis, mores Alexandrinos licentiamque imbiberat. His accesserant Syri Cilicesque prædones, et quicquid in finitimis provinciis audacia turbulentum fuerat. Præterea duo millia equitum erant, inveterata Ægyptiis bellis manus. His copiis Achilles oppidum ingressus, majorem populi partem sibi statim adjunxerat. Nam præter mobilitatem ingenii, bellorum incommoda Cæsarem advehere sibi indignabantur, jam ante irati numinibus, quod minimo tum incremento Nilus solitam ubertatem frugum eo anno interpellaverat.

Dio. 42. Contra vim horum Cæsar regiam et vicina ædificia tumultuario opere, fossa valloque ad mare usque deductis muniverat. Eo facilius defendi potuit, cohortibus per vias dispositis. Sed eodem tempore ad portum pugnabatur, ubi præter solitum Alexandriae præsidium, rostratas duas et viginti, aliæ naves longæ Ægyptiæ quinquaginta stabant, instructæ ornataque, uti modo post Pompeii fugam, cui erant auxilio missæ, redierant. Has si occupare Achilles posset, videbat interclusum omnibus auxiliis comneatuque Cæsarem, cito futurum in potestate. Sed quæ ad oppugnandum Ægyptios, eadem ad resistendum incitabat Cæsarem causa, tanto acrioribus stimulis, quia non tam de victoria, quam pro salute pugnabat. Et juvabatur classe qua erat advectus. Idcirco obtinuit ad extremum, et quia tueri tam parvis copiis omnia nequibat, incendi quicquid erat in portu navium jussit.

Lucan. Flor. Oros. Dio. Plut. Liv. ap. Senec. de Tranq. Anim. c. 9. Oros. Gell. VI. 17. et Marcellin. XXI. Lips. de Bibl. c. 2. L. Ampel.

43. Hac flamma, cum et vicina portui ædificia comprehensa essent, simul arsit bibliotheca, elegantiae regum curæque egregium opus. Millia librorum tum perisse quadringenta, alii, qui plurimum, septingenta tradunt. Primus et maximus ejus operis auctor Ptolemaeus cognomento Philadelphus fuit, perquam eruditus princeps, et erudito patre natus: quo erante, sacrorum quoque voluminum interpretatio, quæ Septuaginta vocatur, prodit.



Ille a Nileo quodam emta bibliotheca, quam Aristoteles collegerat, simul iis libris qui erant ipsi Athenis et Rhodi comparati, Serapeum adornavit, magnoque deinceps studio et sumtu per Demetrium Phalereum,<sup>m</sup> insignem studiis et civilibus artibus virum, quicquid investigari potuit, conquisivit. Sed et in posteris ejus quidam variae doctrinae ornamentis enituerunt. Inter quos et Evergetes fuit, Aristarchi discipulus.

44. Ceterum, occupatis in restinguendo igne Alexandrinis, Cæsar per noctem militibus ad Pharon expositis, claustra occupavit præsidio, cum haberet in partibus custodes, qui dudum erant a Cleopatra corrupti. Fuit quondam insula Pharos, unius diei navigatione distans a continenti, si quid Homero credimus; deinde Nilo, ut putant, limum admoliente, prope littori conjuncta: multum abnuentibus, qui totum illum tractum saxis asperum esse compererunt. Id constat, cum paulo plus nongentis passibus abesset, superiorum regum opera, jactis in altum molibus, et ponte superposito connexam esse. Quod opus frustra Cleopatras huic ultimæ quidam scriptores vindicant. Major etiam incuria eorum est, qui ab eadem exstructam putant cognominem insulae turrim, magnitudine maximam, et elegantia pulcherrimam: quam ad prælucendum noctu navigantibus a Sostrato Cnidio constructam esse certior fides est, impensa Ptolemæi primi, aut secundi certe, talentis octingentis.<sup>n</sup>

45. Erat in hac insula vicus oppidi magnitudine, nec, invitis qui tenebant, quisquam ex alto poterat Alexandriam appellere. Hoc occupato Cæsar loco, protinus ad accessenda ex propinquis locis auxilia misit: et quia de cetero, propter angustias viarum, æquo Marte discessum

Voss. de  
Hist. Græc.  
1. 12.

Joseph.  
xii. 2. et  
Arist. ap.  
Euseb.  
Athen. 1. 2.  
Marcellin.  
Vid. Scal.  
in Euseb.  
Chron.

num. 1734.  
Athen.  
ii. 28.

Cæs.  
Luc. x. 57.  
Hom. Od.  
iv. 354.

Plin. ii.  
85. et v. 31.  
Mela, ii. 7.

Scal. in  
Euseb.  
num. 1733.

Cæs.  
Marcellin.  
Cæs.

Marcellin.  
Tzetzes.  
Euseb. et

ibi Scal.  
Strabo,  
xvii. p.

791.  
Suid. in  
Φάρος.

Plin.  
xxxvi. 12.  
Cæs.

<sup>m</sup> Per Demetrium Phalereum] Negat Jos. Scaliger eo loco qui in ora libri hic allegatur, Demetrium Phalereum huic negotio præfuisse, qui et initio regni Philadelphii perierit, et ei semper maximo odio fuerit. Sed si Ptolemæus Soter, pater Philadelphii, primus fuit insignis illius

bibliothecæ conditor, quod valde probabile est, nihil jam credere vetabit, Demetrium Phalereum ejusdem bibliothecæ initiis præfuisse. Vid. hac de re Pridelli Hist. Jud. l. ix. Crev.

<sup>n</sup> Talentis octingentis] Marcis argenti 75000. Crev.

fuerat, per omnes insequentibus dies quam tenebat oppidū partem munitionibus tutiorem efficere instituit.

Strabo,  
XVII. P.  
796.  
Lucan.  
Dio.  
Cæs.

46. At Arsinoë, quæ cum sorore Cleopatra in Syriam profecta, mox pace facta Alexandriam reverterat, inter hos tumultus occupandi regni casum oblatum putans, Ganymedis spadonis ingenio reperit fugæ viam, et ad Achillam trajecta communiter administrare bellum cœpit. Sed, ut inter improbos et malitiosos haud diuturna potentiae societas esse potest, cito insidiari invicem, et augendis largitionibus sibi quisque licitari militum studia cœpere.

Liv. Epit.  
CXI.  
Hirt. de B.  
Alex. c. 52.  
Dio. Hirt.

47. Eodem anno, quo pugnatum ad Pharsaliam, et Alexandrinum deinde bellum conflatum est, Hispania maximo tumultu inhorruit, propter avaritiam et crudelitatem Q. Cassii, quem provinciae Cæsar præfecerat. Ille primum appetitus insidiis, et accepto vulnere, cum in consocios partim animadvertisset, unum atque alterum (ita cum

Val. Max.  
IX. 4.  
Hirt.

sævitia certabat in eodem animo pecuniæ amor) nummis acceptis dimisisset; non ideo tollere odium commune, quo tam apud milites, quam provinciales laborabat, potuit, præsertim cum eadem illa quotidie licentius faceret, ob quæ jam olim exosus esse cœperat.

Liv. Epit.  
CXI.  
Hirt.

48. Itaque duæ Varronianæ legiones, duce delecto T. Thorio Italicense, non a Cassio tantum, sed etiam a Cæsare defecerunt, Pompeii nomine scutis militum inscripto. Mox tamen profecti Cordubam, cum ad eam causam neque conventum Cordubensem, neque M. Marcellum, qui missus a Cassio urbem tenebat, adducere possent, convenit inter omnes, ut, deleto Pompeii nomine, Cæsaris omnes essent, sed Q. Cassium consensu oppugnarent; et ad hæc prætor (hoc ei nomen imponebant, cum esset

Dio. Hirt.

quæstor) M. Marcello Æsernino uterentur. His cognitis, Q. Cassius cum legionibus et equitatu, qui fidem non mutaverant, Cordubam tendit, ubi Marcelli castra erant. Deinde, vastato agro Cordubensi, Ullam progressus, quod oppidum sibi fidum credebat, ab insecuto Marcello operibus et vallo cum ipsa Ulla circumdatur. Sed cum ad auxilium ejus rex Mauritaniae Bogud cum una legione Romana, et Hispanis cohortibus venisset; multa prælia facta: castra quoque diversis partibus Cassius et Bogud

adorti, haud multum abfuere, quin opera perumperent. Neque tamen depelli ab opere Marcellus potuit.

49. Tandem M. Lepidus ex citeriore Hispania, quam obtinebat legionariis cohortibus triginta quinque, magnoque equitatu et auxiliorum numero, affluit; ea mente, ut sine studio et ira controversias ejusdem partis hominum componeret. Et Marcellus quidem sine exceptione paruit adveniēti; Cassius moras nectebat: eoque, ut putatur, conscio, sub oculis Lepidi castellum quod Marcellus regi objecerat oppugnatum est. Quia tamen resistere tot legionibus nequibat, eodemque tempore C. Trebonius pro consule provinciam et exercitum accepturus veniebat, (namque legis Hispaniæ injurias deferentibus successorem Cassio miserat Cæsar) liberum abitum pactus, navem conscendit, et in ostio fluminis Iberi cum rapinis suis tempestate est obrutus.

50. Sic a magnis belli minis Hispania parumper quievit. Cassius enim (tanta erat hominis vecordia) gessisset et cum Trebonio bellum, si Bogudem trahere in societatem furoris potuisset. M. Marcellus, quod se tempore accommodasse visus erat, primo quidem iratum expertus Cæsarem, procul patria vitam egit: postea tamen revocatus, honores etiam petiit gessitque. Hoc maxime modo Hispaniensis motus acrior quam pertinacior initia finemque habuit.

Liv. CXII.  
ap. Prisc.  
VI.  
Dio.

51. In Illyrico majoris aliquanto dimicationis rem M. Hirt. Octavius effecerat. Eam provinciam Q. Cornificius Cæsaris quæstor pro prætore fortiter feliciterque obtinebat, captis etiam multis Octavii navibus, cum is ex Pharsalica fuga in sinum Iadertinum se recepisset. At Cæsar, intellecto multos hostium ob propinquitatem locorum Illyricum petisse, ibique colligere dispersas suorum reliquias, A. Gabinio scripserat, uti cum legionibus tironum, quas habebat, Illyricum peteret, conjuncta cum Cornificio opera defensurus; transiturus quinimmo in Macedoniam, si res pateretur: nam in Macedonia renovatum iri bellum, nondum cognita Pompeii fuga, crediderat.

52. Sed Gabinium, peritum belli hominem, et hactenus felicitis audaciæ, fortuna adeo destituit, ut multa nequie-

Appian.  
Civ. II. 164.  
Hirt. Dio,

quam conatus, amissa magna parte exercitus, vix Salonis tutus esset. Nam et Salonas oppugnare ausi hostes, oppidanorum virtute, et insigni ad memoriam facinore mulierum repulsi sunt. Nam illæ noctem atram noctæ, criminibus sparsis, furiarum habitu cum facibus ad castra procurrerunt, exterritisque vigilibus multis locis injece- runt ignem: cum repente viri insecuti cum armis, complures præ consternatione vix sui compotes, alios adhuc somno implicitos occiderunt, castrisque et statione navium expulerunt Octavium. Sed ille non multo post reparatis viribus prælio vicit Salonenses, iterumque admovit obsidioni copias. Inter hæc ex ægritudine contracto morbo A. Gabinius interiit.

Hirt.

53. Hæ res excitarunt spem Octavii, ut, icto cum barbaris fœdere, provinciam recipi posse confideret. Sed cum hac expectatione virtus et diligentia P. Vatinius cito depulsi; qui crebris Cornificii literis evocatus, quanquam per valetudinem vix se regeret, cum paucis longis navibus, et magno actuariarum numero quibus rostra imposuerat, Brundisio profectus est.

Dio.

Hirt.

54. Hujus adventu M. Octavius, qui interim Epidaurum erat aggressus, ab oppugnatione oppidi rejectus, ad Tauridem insulam substitit, hoc consilio, ut, siquidem insequeretur Vatinius, classe dimicaret. Nam Vatini- anas naves plerasque justo minores infirmioresque esse cognoverat. Sed virtute militum, quod robori navium deerat, largiter explente, victor Vatinius multas depressit hostium naves, multas cepit. Alii auctores magnam ejus laudis partem Vatinio abjudicant: ne tentata quidem pugna Octavianos ad illum defecisse, quod auditus jam Pharsalici prælii eventus fuerat. Quocumque modo superior Vatinius, profectus Issam, in qua oppidum nobile erat, conjunctissimum Octavio, ab Issensibus recipitur. Ibi cognoscit M. Octavium, cum sua quadriremis merge- retur, scapha exceptum, atque illa itidem depressa sau- cium, adnatasse ad myoparonem suum, Issamque venisse: inde cum paucis parvisque navigiis vento secundo petisse Coreyram. Vatinius, re celeriter et præclare gesta, Brun- disium rediit.

55. Jam inde a principio post acceptam cladem, omnium utique Pompeianorum perfugium Coreyra esse ceperat. Huc ante Octavium et alii se receperant, et illustriores aliis C. Cassius, Cu. Pompeius adolescens. Appian. Civ. 11.482. Dio et Cæs. Civ. 11: 38. Cereus ante summam dimicationem cum Ægyptia classe Epirum ambiens, Oricum, cui M. Acilius Cæsaris legatus præerat, oppugnaverat, magno, sed ad extremum irrito conatu. Cum enim esset ad claudendum portus introitum oneraria navis ab Acilio summersa, quæ scaphis magna saxorum mole oneratis teneretur; per urinatores extracta parte lapidum, hanc quidem funibus multis contendens deduxit remulco, aliamque ei conjunctam navem, in qua turris ad defensionem excitata fuerat, vi cepit. Nactusque molem oppido objectam in speciem insulæ, quatuor biremes subjectis scutulis impulsas vectibus in partem interiori transtulit: atque ita utrimque aggressus naves longas vacuas, quæ erant ad terram deligatæ, quatuor ex his abduxit, reliquas incendit. Cum his et magna pars oppidi deflagavit: fuissetque receptum Oricum, nisi vulnere Pompeii remissiores facti Ægyptii forent. Dio.

56. Igitur nec, sanato eo, munitionibus interea auctis, difficiliorem futuram oppugnationem resumere ausus, Lisium tentavit. Sed repulsus, paucis amissis navibus, tamen onerariis, quas M. Antonius ibi reliquerat, incensis triginta; vagari circum littora et expositis subinde militibus vastare cum Cæsare sentientium agros instituit: donec, clade patris cognita, desertus ab Ægyptiis, ad Catonem se contulit. Idemque tum et C. Cassius fecit, et L. Afranius. His ceterisque adjutoribus, priusquam longinquæ spes tentarentur, Peloponnesum retinere statuit, Patrasque occupavit præsidio, multosque et ibi suarum partium, in quibus et Petreius, et Pompeii gener Faustus fuerunt, recepit: et donec Athenis Megarisque oppugnantis distentus Fufius Kalenus fuit, in potestate habuit oppidum. Nam, licet amisso Piræeo, Athenæ restiterant. Dio.

57. Mox his a Cæsare veniam adeptis, Megarenses pertinacius repugnantes expugnavit Fufius, multisque occisis vendidit reliquos, sed necessariis eorum, et minimo

pretio, ut liberiati restituerentur. Hic modus placuerat ita ulciscendæ contumaciæ, ne tamen vetustissima civitas prorsus interiret. Neque silentio prætereundum, propter novitatem casus, quod inter capiendum oppidum, soluti leones, quos ibi C. Cassius ædilis designatus alebat, in ipsos Megarenses, qui auxilium aliquod inde expectaverant, irruerunt, adeoque discerpserunt multos, ut hostibus etiam dolori spectaculum esset. A Megaris Patras itum. Sed Cato ceterique, recepto præsidio, magna classe Cyrenen petierunt.

Plut.  
Brut. c. 13.

Dio.  
Lucan. IX.  
34. et seq.

58. Dum hæc diversis imperii partibus geruntur, Roma, non jam caput rerum, sed præda victoris, utri servendum foret, expectabat. Ut enim militum Cæsaris et consulis Servilii præsens metus tacere Pompeianos, et dissimilem animo vultum induere cœgerat; ita clanculum rumusculi captabantur, et, dum quidlibet timetur, aut creditur, sæpius eadem die contrariis nuntiis animi diversos in affectus distrahebantur. Postremo Pharsalicæ pugnæ fama, vix tandem credita, (nam et Cæsar per speciem modestiæ scribere ad senatum noluerat,) Julianos omnes redegit: certatimque hoc agebatur inter nobilissimos, ut pro se quisque maxime gavisus hac victoria videri cuperet.

Dio.

Cic. Phil.  
xiv. 8.  
Dio.

59. Igitur, quod sic animatis proximum est, ruentes in adulationem, quicquid excogitari potuit decreverunt; non jam metu solum, ne odisse felices viderentur, sed spe quoque honorum opumque quas a Cæsare expectabant, tanquam aliquid ei dare possent, quod non prius ei dedisset victoria. Putabant tamen (nec fallebantur) magni æstimaturum, si jam, quæ alias suo arbitratu et vi armorum facturus erat, id jure facere existimaretur. Igitur et alia honorum cuiquam antea decreta contulerunt, et nova pleraque: 'uti de Pompeianis, quemadmodum ei videretur, ita statueret: bellum cui vellet faceret; pacem cui vellet daret: uti consulatum in quinquennium, tribunitiâ potestatem in perpetuum, dictaturam in annum integrum acciperet: triumphum quoque de Juba, quantum bello nondum cœpto geri,' decreverunt. Neque minore studio plebs agebat, sciscendis quæ grata futura

Plut. Cas.  
Dio.

victori crederentur. Hoc illud tempus Hirtiae legis esse reor, qua Pompeiani honores petere vetabantur. Cic. Phil. XIII. 16.

60. At Cæsar, qui tum erat Alexandriae, senatus populique Romani cognita voluntate, dictatura, quanquam extra Italiam agebat, iterum inita, magistrum equitum M. Antonium dixit. Is quoque magistratum eum toto anno gessit; multum ringentibus auguribus, quorum a plerisque vanitas deridebatur, fas in magistro equitum negantium, quod in dictatore probaverant. Sed in plerisque annalibus consulatu Q. Fufii Q. F. C. N. Kaleni, P. Vatinius P. F. hic annus notatur: quanquam illi magistratus ejus nomen (vis enim penes Cæsarem erat) extrema demum anni parte receperunt.\* Dio.  
Cic. Phil. II. 25.  
Plut.  
Anton.  
Dio.  
Vid. Pigh.  
Ann. et  
Sigon.  
Comm. in  
Fast.  
Dio.

61. Calebant interim Alexandrini tumultus, et acerbis utrimque animis res gerebatur. Divisam in partes urbem hinc Ægyptii, inde Cæsar magnis operibus communicabant: et ab utrisque, unde poterant, auxilia ciebantur. Apud Cæsarem adhuc Ptolemæus erat, intentiusque servabatur, si nihil aliud, solatium vindictæ præbiturus per-eunti; atque interim suorum animos vel miseratione periculi, vel auctoritate nominis flexurus. Igitur et in superiorem locum productus increpavit audaciam, non contra se minus, quam Cæsarem ferentium arma, jussitque ponere. ‘Sibi enim optime convenire cum Romanis, suæque dignitatis et imperii firmum certumque præsidium habere in amicitia Cæsaris.’ At illi non tam verba loquentis quam tempora respicientes, et magis quid velle, quam quid dicere videretur, nihil remissa contumacia, institerunt cœptis. Hirt. de B. Alex. Cas. Civ. III.  
Lucan. x. 461.  
Cas.  
Dio.

62. Ne mors quidem Achillæ finem aut moram bello attulit, quem suspectum invisumque per Ganymedem occupavit Arsinoë, percussorique imperium copiarum tradidit. Atque ille, militibus largitione placatis, haud segniter administrare bellum orsus, aquationem adimere Cæsari magnæ molis operibus instituit. Jam ante qui pertinebant in regiam aquæductus interrupti ab Achilla fuerant: sed adierant specus et putei, unde, licet anguste, Cæsaris milites, pro præsentis tamen necessitate satis aqua- Hirt. Dio.  
Hirt.  
Plut. Cas.  
Hirt.

\* A. U. C. 705. A. C. 47.



bantur. Eorum specuum hæc erat ratio. Nilis aquam turbidam atque limosam vehens, quæ multos variosque morbos efficiebat, antiquitus admonuerat Alexandrinos, ut, suffossis domibus, aquam e flumine exceptam servarent, donec spatio temporis liquescens potui aptior fieret.

63. Igitur Ganymedes, a solertibus hominibus, quales erant permulti Alexandria, admonitus corrumpi aquam in parte Cæsaris immissa marina posse, ingenti molitione specus sic intersepit, ut incorrupti manerent ad suam partem pertinentes; Julianis salsæ aquæ, quas ex mari rotis atque machinationibus continenter educebat, affunderentur. Cum ita paulatim salsior aqua ex proximis ædificiis traheretur, admirabantur primum Cæsaris milites, unde ergo mutatio illa procederet, præsertim cum remotioribus adhuc locis qualis prius aqua esse videretur. Sed postquam sensim illa quoque salsum trahere saporem cœpit, conjicientes quod erat, in eum adducti sunt metum, ut conscendendas extemplo naves, et fuga, licet plenissima periculi, consulendum saluti omnium autumarent.

64. Ibi Cæsar: 'Vana vos exercet cura, milites, sed, nisi provideatur, in veram cessura perniciem. Aquæ penuria movemini: neque aliter evitari malum hoc posse creditis, quam in aliud ruendo, cui nullum sit futurum remedium, cum superius illud sit medicabile. Puteos fodientibus deesse aqua duleis non poterit, quæ naturaliter littoribus omnibus inest. Quod si sit alia, quam reliquorum, Ægyptii littoris natura, at quotidie nobis aqua subveli navibus poterit. Mari libero utimur, classem nostræ parem non habent hostes: et, ne ventis prohibeamur, diversis ex partibus, hinc a Parætonio, inde ab insula, petere aquam licet; quam utramque navigationem eodem tempore nulli præcludere venti possunt.

65. 'Qui vero fugam respiciunt, ii, Hercule, non modo meæ dignitatis obliviscuntur, sed etiam salutis suæ. Sic quoque, licet opportunitate ædificiorum et operum adjuti tantam multitudinem ægre sustinemus. Quid fiet nobis, ubi relictis, quæ nos defendunt, locis, in apertum processerimus? Quanta mora, quique tumultus sit expectandus inter conscendendum, quis nescit? præsertim ex



scaphis in excelsas naves, et in ista trepidatione et metu. Igitur pauci et properantes, pleni timoris, pleni tumultus, iniquo et tempore<sup>3</sup> et loco, aut diligentiam atque velocitatem Alexandrinorum effugiemus? Aut adversus paratos et infinitis partibus plures nos tuebimur manu?

66. ' Absit vero hæc ab animis vestris tam perniciosa cogitatio, milites: et unum omnibus propositum esse salutis iter omnes norint, victoriam. Atque illa profecto, me duce, vobis militibus, longius abesse non potest, quam donec aliis ex provinciis accitæ copię (misi autem circumquaque) veniant. Interim locis nostris nos teneamus, et virtute, quemadmodum hactenus, propulsemus hostilem impetum. Fugere vero minas Alexandriini populi et latronum arma, non mihi modo qualibet morte sit gravius, sed vobis etiam esse deberet, qui et Romani estis, quos victores omnium gentium superiora demonstrarunt bella, et mei milites, quos inter ipsos Romanos virtute excellere, recens victoria nostra declaravit. Interim reliquis intermissis operibus, ad puteos fodiendos laborem conferamus.' Ita confirmatis militibus, et ad fodiendum conversis, una nocte dulcis aquæ venæ copiosæ sunt inventæ: modicoque labore operosissimis Alexandrinorum molitionibus occursum est.

67. Forte sub idem tempus Cæsar fit certior, ad littus Africae, paulo supra Alexandriam, ad anchoras stare naves legionem vehentes septimam et tricesimam ex dedititiis Pompeianis militibus. Nam, cognito Cæsar's periculo, Inf. c. 87. Donitius Calvinus, cui Asia cum finitimis provinciis com- Hirt. missa erat, legionem unam terrestri itinere per Syriam, alteram cum frumento armisque et tormentis, navibus miserat. Sed prius confectum est bellum, quam ea quæ per Syriam ducebatur legio posset occurrere: naves, Euro continenter flante, pervenire Alexandriam nequibant.

68. Igitur Cæsar, ut in re præsentī certius consilium caperet, cum omni classe eo proficiscitur. Quod ubi cognitum est Alexandriae, neque ullum Romanum militem esse in navibus, (quippe paulo longius processurus Cæsar,

nudare munitiones noluerat) quicquid habebant navium paratum propugnatoribus complent, et redeunti Cæsari occurrunt. Ille neque remigibus satis confidens, neque sub noctem cum hoste locorum gnaro dimicare tutum ratus, prælium vitabat: donec una navis Rhodiorum longius a ceteris se abrumpens, cum ab Ægyptiis circumveniretur, impatientem ignominia Cæsarem aleam jacere cõgisset. Virtute tamen et scientia Rhodiorum, penes quos diu præcipua fuit rei maritimæ gloria, vicit, multisque hostium interfectis, captas aliquot naves remulco traxit Alexandriam.

Dio, XLVII.  
Hirt.

69. Magnam ea res desperationem Ægyptiis attulit, quod jam sine robore Romani militis, tantummodo a classiariis erant superati. Igitur jam etiam, ne a classe Cæsaris oppidum eorum oppugnaretur veriti, os portus, spatium ad egrediendum relicto non magno, obstruxerunt injecto aggere. Neque tamen homines mari assueti diu abstinere potuerunt: et, quanquam supra centum decem naves amiserant, haud difficulter reparari posse classem reficiendis veteribus navibus, et cogendis quæ ad exigenda portoria per omnia ostia Nili erant dispositæ, rebantur. Neque conjectura falsi paucis diebus quadriremes duas et viginti, quinqueremes quinque confecerunt; quas intra portum remigio periclitati, cum minoribus apertisque navibus multis, repleverunt.

70. Huic paratæ ad dimicandum classi Cæsar cum quadriremibus decem, quinqueremibus totidem quot hostes habebant, minoribusque navibus undeviginti, Pharon circumvectus, se opposuit. Augustus inter utrosque per vada transitus erat, et qui prior ingrederetur, in locum iniquum se erat demissurus. Cum utrinque contarentur, præfectus Rhodiæ classis Euphranor, vir animo et scientia maritimæ rei nulli postponendus, recipit Cæsari, 'se progressum facile moraturum esse Alexandrinos, donec subsecutæ ceteræ naves explicare aciem possent.'

71. Nec plura promisit ille quam præstitit: scientiaque Rhodiorum, et virtute militis, cum pro salute sua et eorum etiam qui relictæ in oppido erant, sicut nomine Romano, et ultima necessitate dignum erat, dimicaret, Alex-

andrini, licet numero navium hominumque multo superiores, victi sunt. Paucas tamen amiserunt naves propter propinquum periculum, et quia ex molibus et ædificiis littori imminentibus defendebantur.

72. Idcirco Cæsar, quo hanc eis adimeret opportunitatem, omnino sibi conandum existimabat, ut Pharum, et, qua Pharus Alexandriæ committitur, molem in sua potestate haberet. Neque difficulter expugnata est insula: sed ad portum, quem oppido suo propinquiorem Alexandrini tuebantur, majoris certaminis res fuit: et, cum remiges classiariiue Cæsaris, injussu imperatoris, pugnae se miscuissent, deinde subito perterriti etiam pavorem injecissent militibus, fuga omnium ad naves facta, multi occisi sunt ab hostibus, magnus numerus inconsulte irruentium cum ipsis navibus demersi.

73. In hoc periculo Cæsar, cum profligatis succurrere cupiens, non ab hostibus modo, sed etiam suis navigium onerantibus, timeret, eiecit se in undas: et quia paludamentum natatu prohibebat, illo relicto, per spatium ducentorum passuum adnatavit ad eas quæ longius abstiterant naves. Utrumque consilium salutare fuit. Nam et navis, quam reliquerat, præ multitudine subsedit; et paludamentum hostes petierunt telis, dum ille ignoratus et neglectus evadit. Neque indignum relatu est, quod traditur: libellos quos forte manu tenebat, inter natandum supra aquam elevasse, ne maderent; paludamentum traxisse aliquamdiu mordicus, ne hostes eo potirentur. At Alexandrini victores eodem loco castellum cum magnis munitionibus, multisque tormentis constituerunt: tropæumque erexerunt, in quo et paludamentum de Cæsare captum suspensum est.

74. Hac clade non tam perturbati, quam erecti incensique sunt militum animi: adeo quidem, ut post hoc incommodum formidabiliores fierent Alexandrinis, quam antea fuissent, quod neque secundis rebus quiescere, neque frangi adversis videbant. Igitur, legatis ad Cæsarem missis, regem suum sibi remitti orant: ‘pertæsos imperium puellæ et crudelitatem Ganymedis, quod regi placuisset facturos. Atque illius apud Cæsarem gratiam

Oros. vi.

15.

Dio.

Appian.

Civ. 11. pp.

484. et 523.

Sueton.

Cæs. c. 64.

Plut. Cæs.

Hirt.

Flor. 1v. 2.

Sueton.

Plut. Dio.

Hirt.

Appian.

Dio.

Hirt.

Oros. vi.

16.

Dio. Plut.

Hirt.

præsidio sibi fore, quo tutius ad amicitiam officiumque redeant.' Ibi Ptolemæus flens orare Cæsarem cœpit, ne se dimitteret. 'Nihil sibi conspectu ipsius esse jucundius.' Sed adeo fictæ fuerunt eæ lacrymæ, ut adventu ejus Alexandrini, si quam antea cogitationem pacis habuissent, eam omnem deponerent, bellumque acrius, quam unquam prius, administrarent.

75. Jam ex Syria et Cilicia confluere auxilia ad Cæsarem cœperant, commeatusque navibus apportari. His intercipiendis Ægyptii ad Nili ostia ignes excitabant; quibus decepti, cum ibi præsidia Cæsaris esse putarent, nonnulli inciderunt in hostium manus. Donec quæstor Ti. Claudius Nero, pater ejus Tiberii qui postea imperavit, cum classe ad Canopum provectus, summovit Ægyptiorum stationes, plurimumque eo facto ad victoriam contulit. Amissus tamen ea expeditione cum sua quadriremi Rhodius Euphranor, rei bene gestæ tristem imposuit notam.

76. Inter hæc Mithridates Pergamenus, initio belli missus a Cæsare, validas in Syria atque Cilicia copias contraxerat. Erat enim magnæ apud civitates auctoritatis, propter singularem virtutem in bello, et summam nobilitatem domi. Quippe ad Gallogræciæ tetrarchas referebat genus, et quia pellice Mithridatis Magni erat editus, amici materni hoc ei nomen imposuerant, ut rege prognatus existimaretur. Certe Mithridates cum Pergami magnam tetrarchici generis stragem edidisset, hunc parvulum non servavit tantum, sed et transportavit secum in castra, multosque per annos disciplinis regiis educandum curavit.

77. Sed hic ostio Pelusiaco conatus ingredi, cum ab Ægyptiis navibus prohiberetur, perrexit ad fossam, qualibus ea regio multis ex amne principe deductis irrigatur: atque in eam translatis navibus (nec enim ad mare pertingebat, sed iterum in flumen erat aversa) Nilo fluvio subvectus Pelusium venit. Ibi cum pacati responderetur nihil, firmum enim præsidium Achilles ibi collocaverat, ex itinere oppugnationem orsus, eodem die oppidum pugnando cepit. Insignis in ea victoria totoque deinde bello

Dio.

Sueton.  
Tiber. c. 4.  
Hirt. Dio.  
Sueton.

Hirt.

Strabo,  
xiii. p.  
625.Plut. de  
Virt. Mul.  
c. 44.Hirt. de  
B. Alex.  
c. 78.

Dio.

Marcell.  
xxii.  
Strabo,  
xvii. p.  
801.  
Dio.  
Hirt.

fuit Antipatri opera, qui ab Hyrcano tribus Judæorum millibus adductis, primus murorum, quæ ipsi evenerat, partem deiecit. Idem et Arabas hospites suos, Soami-que filium Ptolemæum, et Jamblichum regulos, multas-que præterea Syrorum civitates ad mittenda Mithridati auxilia impulerat.

78. Ceterum deinde iter ad Cæsarem contendenti pa-  
catius, præter nomen Cæsaris, et auctoritatem victoriæ, idem Antipater præstitit, Ægyptios Judæos, conspectu suo, et pontificis ostensa epistola, in partes pertrahendo. Ita et qui Oniæ regionem incolebant Judæi, arma quæ prohibendo itineri sumserant, posuerunt; et omnia hospitaliter præbuerunt exercitui. Ab Onia Simonis filio Judæorum pontifice, loci nomen deductum est, qui, vastante Hierosolyman Antiocho, in Ægyptum fugiens, concedente Ptolemæo templum ad similitudinem patrii in He-  
liopolitano pago exstruxerat. Haud procul inde Memphis aberat: (stadia centum octoginta<sup>o</sup> intererant:) cognito-  
que successu Mithridatis, inde quoque legati venerunt, oppidum dedentes. Eo recepto, Mithridates ad Ægyptium Delta processit.

79. Insula est haud procul Alexandria, quam in ejus literæ formam, una parte mare, duabus Pelusiæcum et Canopicum Nili ostia constringunt. Appropinquanti missæ a Ptolemæo copiæ occurrerunt. Eorum pars, non expectatis subsequentibus, flumen quo Delta clauditur transgressa, tenentem se munitis Romana forma castris Mithridatem temere laecessivit. Sed improvisa Mithridatis eruptione magnus numerus cum duce Dioscoride occubuit. Ceteros notitia locorum texit, aut quibus flumen transierant navigia reportarunt. In hoc etiam prælio insignis Antipatri opera fuit, qui laboranti Mithridati subvenit, Ægyptiosque jam sua opinione victores pepulit.

80. Cum deinde cetera multitudo advenisset, Mithridates denuo cæptus oppugnari, nuntios ad Cæsarem de rebus suis misit. Ergo, sub idem tempus, et hic ad reci-

Joseph.  
Ant. xiv.  
14. et de  
B. Jud.  
1. 7.

Hirt.  
Joseph.

Joseph.  
de B. Jud.  
vii. 37.  
Euseb.  
Chron.  
num. 1856.  
Hieron. in  
Dan. c. 9.  
et 11.

Adon.  
Chron.  
Joseph.  
Joseph.  
Antiq.  
Hirt.

Marcell.  
Strabo,  
xvii. 801.  
Hirt.

Dio. Hirt.

Joseph.  
Ant. xiv.  
15. et de  
B. Jud. i. 7.

Hirt. et  
Dio.

<sup>o</sup> Stadia centum octoginta] Leucæ nostrates septem cum dimidia.  
Crev.

piendum Mithridatem, et rex ad opprimendum proficiscuntur. Neque Ptolemæus, quanquam venerat prior, operæ pretium facere potuit, antequam Cæsar adveniret; aut, hoc præsentē, prohibere ne copiæ conjungerentur.

81. Hoc facto, cum jam metueret ne ad se iretur, equitatum omnem cum delecto pedite misit ad flumen ex Nilo deductum, quod superandum Cæsari erat: et, donec eminus pugnatum est, loco adjuti facile restiterunt. Postquam Germani equites vadis repertis tranarunt, legionarii, magnis excisis arboribus, quæ ripam utramque magnitudine contingerent, et aggere superinjecto, signa transtulerunt; terga vertunt hostes. Nequicquam: pauci enim refugerunt ad regem, ceteros celeritas victorum occupavit.

82. Ægyptii horum clade suoque periculo anxii, legatos ad Cæsarem de pace mittunt. Ille perfidam et imbellem gentem cogitans, victoria finire bellum maluit: alteroque statim die castra regis undique simul adortus, quanquam, præter manufactas munitiones, hinc editissimo loco, inde palude aut Nilo tuta, expugnavit. Magna ibi cædes pugnantium fugientiumque est edita. Nam viginti millia regionum casa referuntur; quingenti ex victoribus. Rex ipse cum, navigio conscenso, fugeret, præ multitudine adnatantium insilientiumque in Nilo navicula subsedit. Cadaver expulsum fluctibus, limoque obrutum, indicio aureæ loriceæ repertum. Nam id in bello gestamen erat Ptolemæorum regum.

83. Cæsar, lorica Alexandriam præmissa, cum equitatu statim subsecutus, per media hostium præsidia intravit urbem. Nec enim, audito eo prælio, amplius de bello cogituros prospexerat. Atque illi supplicē veste gestuque, sacrisque prolatis omnibus, quorum religione deprecari offensorum regum iram consueverant, occurrerunt victori, fideique ejus sine exceptione se permiserunt. Duodecim adhuc armatorum millia erant, navesque longæ septuaginta. Hæ novem ferme mensium spatio gesta: intra quod tempus, et in Africa Pompeianæ partes coaluerunt, et Pharuaces paternum regnum recuperavit.

Dio.

Oros. vi. 16.

Hirt.

Flor. iv. 2.

Plut. Dio.

Liv. Epit.

Flor. Oros.

Capit. in

Maxim.

Jun.

Oros. Hirt.

Oros.

Appian.

84. M. Cato cum ingenti numero navium Coreyra profectus, Cyrenen petierat: estque receptus a Cyrenensibus, quanquam Labieno, diebus aliquot ante advecto, portas clauserant. Eo in cursu naves ad eum venerunt, eum Sex. Pompeio noverca Cornelia crudeliter intercepti viri triste nuntium perferens. Id auditum totaque classe mox vulgatum sic exterruit animos, ut plerique convertere vela, seque victori permittere cogitarent, extincto, pro quo arma tulissent, Pompeio. Sed Catonis oratione revocati sunt plurimi: pars (neque enim retineri quenquam invitum Catoni placebat) in Italiam abnavigavit eum Cornelia, cui nihil a victore metuendum constabat. Atque ea<sup>4</sup> deinde, nescio quas Pompeii reliquias nacta, sepelivit in Albano.

Lucan.  
ix. 34.  
Dio.  
Plut. Cat.

Lucan.

Plut. Cat.

Dio.

Plut. Pomp.

85. Catoni cum ceteris petenda provincia Africa videbatur, quo appulisse L. Scipionem audierat, Varumque habere magnas ibi copias, et fidum partibus Jubam. Sed neque mari tutus erat transitus; et pedibus circumituro Syrtes per deserta et arida laboriosum iter, molesta sitis, infesti serpentes, insuperabiles pæne difficultates objiciebantur. Catoni tamen nulla videbatur pœnitenda via, qua servitatem effugeret: tantumque abundavit ille vir animo, ut plerisque suorum ad eadem conanda inserere posset audaciam. Dimissis enim qui sequi noluerant, inter quos et C. Cassius recta profectus ad Cæsarem erat,<sup>p</sup> tamen plures decem millibus eduxit.

Appian.

Plut. Cat.

Dio.

Vell. ii. 54.

Lucan.

x. 371.

Dio.

Cic. ad

Fam. xv.

15.

Plut.

Strabo,

xvii. 836.

86. Sed quia per squalentia loca proficiscenti timenda inopia aquarum erat, magnam asinorum multitudinem oneravit utribus: plaustra quoque multa secum traxit, et adversus venenâ serpentium Psyllos, qui et exsugere virus ex vulneribus erant soliti, et carminibus vim nocendi anguim hebetare. His ita preparatis, quanquam bruma

Liv. Epit.

Vell. Plut.

et Lucan.

<sup>4</sup> Atque et omnes ante Crev. edd. præter Cler. apud quem exhibetur quæ et.

//////////

<sup>p</sup> C. Cassius recta profectus ad Cæsarem erat] Hic est ille Cassius Cæsaris interfectus. Atque ex iis quæ hoc loco, testibus Dione, atque imprimis Cicerone, memorantur, clare apparet vera esse quæ Freinshemius supra c. 22. argumentatus est adversus eos qui illum in Hellesponto sese dedidisse Cæsari tradidere. Crev.

erat, quo anni tempore mitius uritur ea regio, per æstatem sole torrida, et sperari pluvie poterant, divisis in partes copiis, quo commodius aquarentur, periculosissimum iter ingressus est. Ipse pedes ante signa ibat, laboris sitisque præ aliis patiens, totique exercitui exemplum, et deficiendi pudor. Per arenosa loca, in quibus plerumque viarum notas violentissimi flatus abolent, ægre ad Ammonis ædem perventum. Ibi relictis nonnihil copiis, reliquum iter absolvit. Tricesimo, quam erat Cyrenis profectus, die circumgressus est Syrtin: inde pari ferme temporis spatio per cultiora paulo loca Leptin ventum, quæ Minor vocatur, ibique reliqua pars hyemis ad quietem militi concessa.

Lucan.  
x. 511.  
Strabo.

Lucan.  
x. 941.

Sueton.  
Cæs. c. 35.  
Appian.  
Mith. fin.  
Dio.  
Appian.  
Dio.

Hirt. de  
B. Alex.  
Appian.  
Hirt.

87. Sed Mithridatis filius Pharnaces, occasione temporum usurus, Phanagorenses diu oppugnatos, mox Colchidem omnem receperat: deinde in Pontum conversus, Sinope erat potitus. Atque, invitante successu, per absentiam Deiotari regis, Armeniam minorem, et Cappadociam Ariobarzanis regnum, vastare atque occupare cœperat; cum Deiotari precibus, et Amisenorum periculo, qui interim oppugnari cœpti erant a Pharnace, Domitius Calvinus excitus, Pharnacem abstinere sociorum regnis jussit, quo plus auctoritatis denuntiatio haberet, cum omnibus copiis subsecutus. Eæ constabant ex legione XXXVI. quam solam retinuerat, duabus ad Cæsarem missis; duabusque Deiotari legionibus, quas ille Romanum in morem armatas institutasque jam a compluribus annis habebat. His accessit ex tumultuariis militibus in Ponto confecta legio, cum auxiliis Cilicum, et centum Deiotari, totidem Ariobarzanis equitibus.

88. Pharnaces adventu Domitii paulisper territus, fraudes moramque nectere, Cappadociam longius dissitam dimittere, non dimittere Armeniam: denique postulare ut Cæsari res integra servetur. At Domitius indignum nomine Cæsaris et populi Romani putans intermittere expeditionem, et Bosporano relinquere prædam, Nicopolin processit, Armeniæ minoris oppidum.

Dio. Hirt.

89. Ibi cum castra vicina hostibus haberet, factum est, ut ex literis interceptis Cæsarem in magno esse discrimine



Pharnaces disceret. Idcirco futurum ratus, ut omnino discedere Domitius cogatur, trahendi temporis causa, sine detrimento auctoritatis, nunquam longius produxit copias, quam quoad fossæ quibus ab utroque latere locum muni-  
 verat pertingerent. Equitatum, quo erat superior, extra fossas habebat. Et processit ei consilium. Quippe Do-  
 mitius cum morari diutius non posset, infecta re discedere Liv. Epit.  
 turpe putaret, iniquo loco improsperum prælium fecit. Dio.  
 Pontica legio tota ferme interiit: Dejotari copiae vix Appian.  
 conspectum hostium tulerunt: sexta et tricesima legio, Mithr. et  
 cum totus regis exercitus eam adortus esset, virtute se Civ. II.  
 defendit, amissisque militibus omnino ducentis quinqu- Plut. Cæs.  
 ginta, in loca situ tuta se recepit. Inde Domitius, col- Hirt.  
 lectis reliquiis suorum, per Cappadociam in Asiam rediit.

90. Pharnaces, mire elatus hac victoria, multas extorsit Plut. et  
 populo Romano sociisque provincias, Bithynia, Cappa- Dio.  
 docia, finitimisque regionibus occupatis, pulsisque, qui  
 beneficio Romanorum hæc obtinuerant, regulis. Recepit  
 et Pontum, nullo jam defendente: Amisoque expugnata, Appian.  
 sævissime tractavit et cives Romanos qui ibi negotia- Hirt. Dio.  
 bantur, et oppidanos; interficiendo puberes, exsecando  
 pueros, nullo prætermisso genere aut ignominiae aut cru-  
 delitatis. Inde jam per Bithyniam paterna vestigia Dio et  
 premens, Asiam cogitabat invadere: fecissetque, nisi, Appian.  
 Asandri nuntiata defectione, fuisset revocatus, quem Bos-  
 porano regno præfecerat. Hæc pro magnitudine rerum  
 celeribus et calidis nuntiis ad Cæsarem delata, mersum  
 voluptatibus, et Ægyptiis deliciis mancipatum, ad rem-  
 publicam capessendam, duobus acerrimis stimulis, ex-  
 citarunt.

# SUPPLEMENTUM

## LIBRI CXIII.

### HISTORIARUM

#### T. LIVII PATAVINI.

---

1. **CÆSAR**, Ægyptiis ad deditionem coactis, cum provinciam facere posset, novarum scilicet rerum metu, si forte nacta violentioris ingenii præsidem fuisset, noluit: revera præmium libidinum Cleopatæ dedit, juncto in matrimonium regnumque superstite Ptolemæo, qui puer admodum mariti regisque sustineret nomen, opere potentiaque Cæsari et Cleopatæ relicta: adeo non dissimulatus adulter, ut, et continuo secum haberet reginam, et conviviam sæpe in primam lucem cum ea protraheret: denique per speciem cognoscendæ antiquitatis, eadem thalamego, sequentibus navibus quadringentis, Nilo flumine subiit, vel ad Æthiopiam penetraturus, ni sequi exercitus recussasset. Thalamegos princeps invenit Ptolemæus Philopator, ea structura, quam accurata descriptione Callixenus executus est. Neque dubitatur, aut diutius hæsurum in Ægypto Cæsarem, aut secum deducturum illam fuisse, nisi intervenisset coercendi Pharnacis necessitas.
2. Idcirco, abducta ex regno Arsinoë, ne molesta sorori esset, legiones duas reliquit præsidio novis regibus, simulque custodiæ, ne qua occasione mutare animum possent. Ipse cum sexta veterana pedestri itinere contendit in Syriam. Ibi civitatibus, quarum auxiliis adju-

Sueton.  
Cæs. c. 35.  
Dio, x.1.11.  
Plut. Cæs.  
Hirt. de  
B. Alex.  
Appian.  
Civ. 11.  
Dio.

Sueton.  
Cæs. c. 52.  
Appian.

Sueton.  
Athen. v. 9.  
Dio.

Hirt.

tus fuerat, magna beneficia tribuit: Judæis præcipue, Joseph. Ant. xiv. 15. et de B. Jud. i. 7. et 8. quorum principatum firmavit Hyrcano, civitatem Romanam cum immunitate dedit Antipatro, utrumque absolvit iucusatos ab Aristobuli filio Antigono, procuratoremque Judææ declaravit Antipatrum. Hyrcano petenti potestatem concessit instaurandi muros urbis suæ, quos Pompeius dejecerat. Unde mox fœdus cum legatis eorum renovatum est senatusconsulto, cum ex literis Cæsaris ea de re in aede Concordiæ L. Valerius L. F. prætor retulisset, A. D. Idus Decembres.

3. His ita constitutis, tyrannisque et dynastis, ut merita cujusque erant, itemque civitatibus donatis mulctatisve, et controversiis cognitis, gentili suo Sex. Cæsare legionibus præposito, cum classe quam sequi jusserat, in Ciliciam contendit, ad Pharnacis bellum iturus, quo maturius rebus in Urbe et per provincias undique motis posset occurrere. Nam et ex Urbe seditiones nuntiabantur, et in Africa atque Hispania non contemnendæ Pompeianorum vires coalescebant.

4. Jam ad ceteros duces qui in Africam erant transvecti Cato pervenerat, ejusque sapientia et auctoritate res ibi ex incertis, variaque æmulatione fluxis, constitutæ firmatæque erant. Quippe P. Varus, quod se jamdiu præfuisse Africæ, sociumque victoriæ Jubæ ferebat, nolebat nobilitati dignitatique L. Scipionis concedere: et Jubam uterque adulabatur, in hoc maxima spei parte reposita: superbusque rex suo ingenio, eo pervenerat arrogantia, ut, primo congressu Catonis, inter hunc et Scipionem medius consideret. Sed Cato non ferens publicam ignominiam, in alterum latus transtulit sellam suam, Scipionemque in medium accepit; quanquam invidum hominem et iniquum, et qui tanto melioris viri famam etiam scripto edito attrahere non fuerat veritus.

5. Sed et postea, deferentibus imperium omnibus, noluit accipere, 'turpe futurum' dictitans, 'si pro legibus dimicans, contra leges imperaret. Præsentibus enim consularibus, imperare prætorium non oportere.' Insistentibus ut igitur, æquata cum Scipione potestate præseset rebus, id quoque recusavit; addens, 'unius auspicii ad-

Joseph.  
Ant. xiv.  
15. et de B.  
Jud. i. 7.  
et 8.

Joseph.  
Ant. xiv.  
16. Tac.  
Hist. v. 9.  
Joseph.

Hirt.

Appian.  
Liv. Epit.

Dio.

Plat. Cat.

Dio.  
Vell. II. 54.  
Appian.  
Plut.  
Liv. Epit.  
Dio.

ministrari omnia consultius esse.' Sic ad Scipionem summa rerum rediit, nominis quoque favore adjutum, bellumque terra marique haud segniter apparari cœptum. Nam et Siciliam Sardiniamque infestabant classibus, captasque naves abstrahabant, arma præcipue ac ferrum quærentes, quibus rebus egebant: et in Africa quicquid adversum partibus videbatur, validis præsiidiis occupabant; aut vires nocendi detrahebant suspectis.

6. Maxime consultatum est de Utica, prævalida urbe, et in partes Cæsaris proniore. Infensissimus Uticensibus Juba erat, eosque concidi omnes, urbem solo æquari jubebat: ceterique metu aut assentatione concedebant in sententiam. Ibi Cato, summis viribus obnixus, salvum oppidum retinuit, sponsoremque obtulit pro Uticensibus: eaque gratia custodiam Uticæ finitimique et maris et agri, mandante Scipione, lubens recepit: utilemque partibus, et rerum omnium velut horreum effecit, arma, com meatus, machinas hinc exercitibus ministrando, quam inconsulta ceterorum ira deletam cupiverat. Ita crudelitas et amentia sæpe in sua præsidia sæviunt.

7. Ejusdem Catonis hortatu paulo post etiam in Hispania magnum bellum Cn. Pompeius adolescens excitavit. Nam hominis gravissimi verbis stimulatus, pro claritudine paterna, relictisque ab eo clientelis, magno animo jubentis rempublicam capessere; profectus ab Utica in regnum Bogudis, repulsusque a Mauris, trajecit in Baleares insulas. Inde, cognitis Hispaniæ turbis, quarum ex Cassiano tumultu magnæ et acres reliquiæ erant, brevi tempore insignes in ulteriore provincia progressus fecit: et quia nec Afranius nec Petreius excipere delatum ab ipso imperium voluerant, ulteriora subinde moliri, et per se administrare bellum cœpit.

8. At diversis longe orbis partibus Cæsar, conventu Cilicium Tarsi acto, per Cappadociam magnis itineribus Comana venit: ibique sacerdotio Lycomedi<sup>a</sup> tradito, qui e regio Cappadocum genere ducebat stirpem, hujus in

<sup>a</sup> *Lycomedi*] Sic eum Strabo vocat: Hirtius et Appianus *Nicomedem*. Crev.

gratiam quatuor schœnos<sup>b</sup> agri ad priores sacerdotii possessiones adiecit Cæsar: et Ariarathi fratri regis Ariobarzani (is obtinuisse prius id sacerdotium videtur) quædam attribuit: ne otiosus et egens fratri suspicionem, sibi periculum crearet, præsertim cum et antea fuisset sollicitatus a quibusdam gentis principibus, ut regnare vellet. Ariobarzani autem, pro his quæ imperio ejus decedebant, partem Armeniæ minoris adentam Dejotaro, dedit.

9. Cum enim ad Gallogræciæ fines accessisset, depositis regiis insignibus, et supplicis habitu sumto, Dejotarus occurrit, excusans quod in ea parte terrarum positus, ubi nulla præsidia Cæsaris essent, præsentibus imperiis paruisset. Adversus ea Cæsar, commemoratis beneficiis suis, tamen ætati ejus dignitatique et amicis deprecantibus dare dixit ejus delicti veniam: de controversiis tetrarcharum postea cogniturum. Interea legionem, Romana disciplina constitutam a Dejotaro, equitatumque omnem adduci ad bellum Ponticum jussit.

10. Pharnaces, intellecto Cæsaris adventu, omittit Asandrum coactus, in Pontum recurrit; de pace legatos præmittens, quod imperatoris acerrimi timebat impetum, licet exiguis sane copiis instructi. Nam sexta legio, quam ex Ægypto deduxerat, adeo multis erat præliis diminuta, ut minus mille militum haberet: Dejotari legio, nec genere hominum, nec usu rei militaris censebatur: duas habebat præterea, quæ nuper sub Domitio cladem passæ erant. Cæsar, legatos mitibus responsis ludificatus, nihil de velocitate itineris remittebat. Cum uni, cum alteri oratores sic ad regem redissent, ut verba Cæsaris ad pacem, festinatio ad bellum spectare videretur, tertia legatio venit, auream coronam afferens: petensque ut socii atque amici regis donum acciperetur.

11. Neque enim ullum adversus Cæsarem Pharnacis delictum extare, nisi quod contra vim Calvini jus suum

<sup>b</sup> *Quatuor schœnos*] Schoenus mensura est admodum incerta. Straboni, xi. p. 530. stadiorum est quadraginta. At idem xvii. p. 804. in Ægypto eam ita variasse ait, ut modo triginta stadi-

orum haberetur, modo sexaginta, modo etiam centum et viginti. Si schœnum quadraginta stadiis parem faciamus, quatuor schœni respondebunt leucis nostratibus amplius 6. *Crer.*

Dio. Hirt. coactus defendere, cum abstinere bello in totum maluisset, injuriam propulsarit. Quanti enim fecerit amicitiam tuam' (inquebant) 'quo alio clariore documento cognosci potuit, quam quod auxilia petenti Pompeio nulla misit; atque ei Pompeio, cujus et in se liberalitatem, et in patre vim atque potentiam largiter erat expertus? Qui igitur adversario tuo victore ne vivere quidem, nedum regnare potuisset, eum a te conservari æquum est. Præsertim, cum pro mirabili tua clementia iis etiam ignoveris, a quibus durissimo tuo tempore es oppugnatus.

Cic. pro Dej. c. 3. 12. 'Quis acerbior tibi hostis, quam Dejotarus, exstitit? Qui non contentus mittere quantas omnino potuit copias, ipse ad bellum profectus est, hac ætate, cujus excusatione, si non rex et amicus et hospes Pompeii, sed libertus, aut unus de grege militum fuisset, uti potuisset. Sed tamen hunc absolutum hoc delicto in numerum amicorum recepisti. Nec aut reprehendit ista Pharnaces, aut Dejotaro felicitatem suam invidet. Tui te exempli, tui moris admonet, oratque ut eo instituto uti pergas, quo haud pauciores adversarios, quam quibus invictus es armis, superasti. Quod si propter commissum cum Domitio certamen irascendum putas, at saltem regis satisfactionem accipe. Aut docebit hæc a te vindicari non oportere; aut quicquid imperaveris faciet. Hoc unum deprecatur, ne hostili adventu ad summam se desperationem adigas.

Hirt. 13. 'Dejotarus ceterique finitimorum amicitia Pompeii freti, laessere non desierunt, donec regem ad ea arma cogèrent, quibus et ipsorum comprimeret audaciam, et bello victor, paternæ hæreditatis partem recuperaret. Et quanquam difficile est in bello, præsertim felicibus armis, tenere modum, neque calore victoriæ supra fines juris efferri; ea tamen modestia Pharnacis fuit estque, ut neque plura quam appetere debuit attrectasse putet, et hujus ipsius causæ judicium tibi deferat. Nec sane aliam ob causam cum Domitio dimicatum est, quam quod ille rem integram ad tuam cognitionem relinquere noluit; Pharnaces præter te quenquam arbitrum pati non potuit. Hac potius, quam armorum fiducia, licet egregium, et duobus atque viginti præliis expertum, omnibusque victorem ex-

exercitum trahat, quietus in castris ad Zielam expectat responsum: quod a te moderatum amicumque referri, tum perpetuæ mansuetudinis tuæ, tum etiam rei Romanæ, præsentî quidem statu rerum, interest.’

14. Cæsar ad hæc reportari ad regem jubens coronam, tum se dona tanquam ab amico respondit accepturum, cum promissa præstitisset. ‘ Frustra eum se venditare eo quod amicum deseruisset in discrimine, auxiliumque non misisset Pompeio. Neque Cæsari rem illam, sed ipsi profuisse, ne eodem victoriæ impetu cum ceteris, qui in præsidiis Pompeii fuissent, profligaretur: et, ut maxime fecisset in suam gratiam, non ideo se privatis meritis publicas injurias condonare. Tamen quia neque mortuis vita, neque virilitas exsectis restitui possit, quod possit impere: uti Ponto confestim decedat, familias publicanorum remittat, cetera, quæ penes eum essent, sociis civibusque Romanis restituat.’

Dio, xlii.  
et xlii.  
Hirt.

15. Sed Pharnaces, non ignarus necessitatum, per quas Cæsari ad Urbem erat properandum, callide agere, diemque decedendi longiorem postulans, et subinde mutans condiciones, tempus trahere ocepit. Difficile erat hominem eo ingenio, eaque rerum peritia, fallere. Igitur fraude fraudem eludens Cæsar, dum alias admittit condiciones, alias rejicit, decepit Pharnacem, priusque conseruit manus, quam quisquam putavisset. Nam, positis ab hoste circiter millia passuum quinque castris, situque locorum explorato, quam proxime ad eum statuit accedere.

Dio.

Hirt.

16. Sed quia ferme eundem habebat exercitum, qui victus cum Domitio fuerat, oratione militum animos confirmandos ratus, concionem advocavit: causisque belli breviter enarratis, ‘ Has igitur,’ inquit, ‘ Romani nominis injurias quisquam, cui modo manus et arma sint, patiatur? nedum nos, quibus multo quam nunc sumus paucioribus, adhæc imparatis atque oppressis subito tumultu, Alexandria, fortissimum et nobilissimum oppidum, et rex multo potentior hoc Pharnace succubuit. Quid enim ad Ægyptum est Bosphorus? Quanquam hic etiam Bosphoro excidit, contemptus pulsusque a famulis suis, nec fiducia virum in

Ponto resistens, sed quia neque procedere nostri metu, neque redire in regnum, Asandro prohibente, potest.

Appian.

17. ' Atque is quidem bono omine res gesturum putat, quod eo loco castra posuit, unde progressus pater ejus Triarium cum paucis et incompositis temere se objicientem superavit. Sed si qua manium Mithridatis ullo loco potestas est, quis dubitet, quin omnis a nobis statura sit contra scelestissimum parricidam? Quare mihi quidem stulte delegisse locum videtur, qui patris memoriam ullam retineat. Hæc, hæc nefandi facinoris conscientia saucium exagitabit animum, consilia emovebit, audaciam deprimet: hoc ei loco Mithridatis occurrent umbræ, hominique damnato et deprehenso, vindictamque præsentem præsentienti, errorem, consternationem, amentiam furie patris impingent.

18. ' Et hæc quidem, quia viribus humanis superiora sunt, quamlibet egregium dejicere imperatorem possent. Pharnaces,<sup>1</sup> neque ulla re magna gesta, neque patri, qui tamen toties a Romano milite victus est, comparandus, furto quam bello melior, et sociis potius timendus quam hosti, quod cum Domitio tirones ducente, et meis temporibus festinare contra belli rationem coacto, prælium prosperum fecit, aut viribus suis aut felicitate confidat? Quantula enim illa, si omnia reputes, victoria, aut cujus adeo laudis fuit? Ut enim de ea paucis disseram, una causa moveor, ne forte quidam eorum qui interfuerunt, viribus hostium, aut prudentia regis se victos arbitrentur. Nam plerique, satis novi, memoria pugnae istius, non ad timorem, sed iram, sed cupiditatem ultionis, sed impatientiam moræ, commoventur. Hi quidem veterani mei, (sextae legionis milites innuebat,) ab hoc sicut ceteris hostibus invicti, neque ista commemoratione, neque omnino cohortatione mea indigent. Sed et sexta et tricesima legio sola sustinuit totum exercitum regis; amissis paucis, frustra impedire conatis hostibus, se, quo voluit, recepit.

19. ' Quod autem acceptum est detrimenti, neque militibus imputandum est, neque ducis imperitiæ, neque

1 In edd. ante Crev. præponitur *et*.



Pharnacis aut prudentiæ, aut viribus. Quæ igitur causa istius ignominie fuit? Tempora mea, uti prædixi, et locus qui erat pro hostibus, et quod reverti Domitius, non tentata pugna, indecorum, commorari diutius iisdem locis, nullo pacto faciendum judicarat. Igitur numero militum equitumque, ad hæc locorum situ munitionibusque superiori, non tam gloriosum est, quod fossas transcendere ausos in ipso conatu oppressit, quam turpe futurum erat, si esset a paucioribus intra sua munimenta superatus.

20. ‘Ceterum, quæ tunc maxime adjuverunt hostem, hoc tempore nulla sunt. Non ab aliquo ducum meorum administratur bellum, qui meas rationes respicere, atque eo dirigere consulta omnia debeat: quæ res plerumque, locis atque temporibus difficilibus intervenientibus, perquam est incommoda. Imperator vobis adest, et imperator Cæsar, cujus promissa nunquam fefellerunt exercitum, cujus spem nunquam fefellit miles: locum autem a Pharnace delectum, non magis hostilia castra, quam nostra muniturum esse, propediem ostendam. Vos in- Hirt. terea aggerem, celeriter usui futurum, intra vallum comportate.’

21. Castra Pharnacis eo situ erant, ut editissimo colli imposita præruptis vallibus munirentur. Easdem valles ei munimento pariter futuras qui diversa a parte castra opposuisset Cæsar videns, dubia adhuc luce in eum locum deferri comportatum aggerem jubet, ibique castra munire incipit. Ea re conspecta, Pharnaces, nam mille admodum passuum vallis intererat, productis copiis aciem instruit. Neque commovetur Cæsar, quia vallis iniquissima transitum impediabat, more magis militiae, quam pugnandi consilio facere regem putans, ut opus prohiberet, aut ostenderet fiduciam. Sed ille, sive loci felicitate confisus, sive auspiciis, ut postea auditum est, sive contemtu copiarum quas vicerat prius, et veterani sui exercitus virtute, in præruptam vallem, qua nemo sanus demissurus copias credebatur, descendit; eamque permensus, eodem gradu ascendere per angustam et arduam semitam cœpit.

22. Cæsar, incredibili hostis audacia oppressus, omnia

simul agere necessum habebat; revocare ab opere milites, arma jubere capere, instruere armatos, et quid ubique fieri vellet ostendere. Interim falcati currus regis affuerunt: et propter iniquitatem loci, quanquam a trepidantibus, multitudine telorum haud difficulter oppressi sunt. Secuta est acies hostium, neque turbata suorum casu, confligit acriter. Sed, quia in subeuntes pila ex edito conjiciebantur, cito mutata praeii est ratio: praesertim dextro cornu, ubi sexta legio constiterat. Sinistro, mediaque acie, tardius, sed tamen profligati sunt regii, et per praecipitem vallem acti, multi hostili ferro, alii suorum incidentium pondere procubuerunt. Qui autem celeritate pestem utramque vitaverant, ut expeditius fugerent, armis projectis ad sua castra contenderunt. At Romani non contenti persequendis ad ima vallium hostibus, ad alteram partem ascendere, vimque facere coeperunt: neque hostes quanquam e superiore loco magnam moram injicere inermes poterant. Sic enisi milites ab eadem alacritate castra oppugnarunt, et, nequicquam defendentibus, quae praesidio fuerant relictæ, cohortibus, ceperunt.

23. Ea tamen mora spatium Pharnaci dedit paucis cum equitibus se proripiendi, ne vivus veniret in hostium potestatem. Exercitus sane totus periit, omni aut occisa regionum aut capta multitudine. Rebus his praclarissime gestis, magna laetitia Caesaris fuit, quod et facilis victoria ex difficillimo initio extiterat, et hostis non contemnendae opinionis sine ulla belli mora victus erat. Aiuntque 'Pompeii praedicasse felicitatem, cui ex eo genere hostium cum ingenti gloria cognomentum Magni partum esset.' Romam certe scripsisse creditur celebratum illud, velocitatem victoriae cursu et brevitate verborum exprimens, 'veni, vidi, vici:?' eundemque postea titulum inter fercula triumphi praetulisse.

24. At Domitius, ad insequendum Pharnacem missus, Sinopen delatum cum mille admodum equitibus, qui ad eum ex fuga convenerant, accepto in deditionem oppido, salvum abire permisit. Ille, magna suorum indignatione equis interfectis, in naves se contulit, vagatusque circum Ponticas gentes, e Scythis Sarmatisque contraxit medi-

Dio. Hirt.

Plut. Cas.  
Hirt.Liv. Epit.  
Appian.Plut. Flor.  
Appian.  
Dio.  
Sueton.  
Cas. c. 37.Appian.  
Midrid.

ocrem multitudinem : Theodosiamque et Panticapæum recepit. Inde vi adjungere proxima quæque Bospori conantem, Asandri arma exceperunt; prælioque commisso, cum, quod roboris habebat, equites pedestri pugnae minus assueti vincerentur; Pharnaces fortissime pugnans interceptus est, ætate quinquagenarius : cum Bospori regnum annos admodum quindecim tenuisset.

25. Interea Cæsar, præda regia militibus concessa, juxta tropæum Mithridatis, quod victo Triario erectum, ut rem Diis belli præsidibus sacram, evertere nefas habebatur, aliud de Pharnace opposuit. Ipse cum expeditis equitibus profectus, legionem sextam decedere ad accipienda præmia in Italiam jussit, auxilia Dejotari remisit domum; Cælium Vinicianum cum duabus legionibus reliquit in Ponto. Amisenis in calamitatis solatium concessit libertatem : cetera quæ cuique Pharnaces cripuerat, antiquis dominis restituit, excepta parte minoris Armeniæ, quam Ariobarzanis esse jusserat.

26. Per Gallogræciam atque Bithyniam iter faciens, controversias earum provinciarum composuit, et, quæ quemque tenere vellet, constituit : Dejotaro, non solum propter lata adversum se arma, sed etiam quia sociis victoriæ donanda non aliunde cumulatus sumi poterant, iniquior. Idcirco licet ille deprecatores haberet plurimos, et Nicææ defensus a Bruto esset enixissime, quæ postea oratio est edita; Mithridati Pergameno, cujus Ægyptio bello præclara opera fuerat, tetrarchiam Gallogræcorum, pæne totam Dejotaro possessam, quasi jure gentis et cognitionis adjudicavit Cæsar; eundemque regem appellavit Bospori, quæ Pharnaces tenuisset, etiam mandato adversus Asandrum, si cedere nollet, bello.

27. Inde transgressus Asiam Græciamque, in Italiam trajecit, nusquam diutius moratus, quam dum pecunias quocumque titulo exprimeret, quæ per publicanos ei maxima cum invidia cogebantur :<sup>c</sup> quemadmodum erat et su-

<sup>c</sup> Pecunias . . . quæ per publicanos ei maxima cum invidia cogebantur] Hic interpretes Appiani in fraudem induxit et Freinshemium, et magnum illum Usse-

Delph. et Var. Clas.

rium. Verba Græca sunt hujusmodi : ἐχρημάτιζε ταῖς πόλεσιν, ἐνοχλουμέναις τε ὑπὸ τῶν μισθουμένων τοὺς φόρους. Sensus est : jus dixit civitatibus, quæ a publi-

Livius.

periore anno factum. Namque cupidus et sciens imperandi, neque regimen rerum sine exercitibus retineri posse noverat dicebatque, neque exercitus sine stipendiis ac præmiis. Ideirco et quam a quaque civitate summam promissam Pompeio cognoverat, exegit: et ab aliis, quæsito undique colore, postulavit. Tyri certe sustulit e sanctissimo Herculis fano donaria, per eam causam quod fugientem cum privigno Corneliam Tyrii hospitaliter accepissent. Misit et in Urbem epistolas, collationem pecuniosis imperans. Quo tempore T. Pomponio Attico, propter egregiam integritatem vitæ, non modo molestus non fuit, sed etiam remisit condonavitque Q. Ciceronem Q. F. Attici sorore genitum, C. Trebonio, A. Hirtio pro eo deprecantibus.

Corn. Nep.  
Attic. c. 7.

Cic. ad  
Att. XI. 20.

Liv. Epit.  
Dio.

Cic. Phil.  
x. 10, et  
xi. 6.  
Dio.

28. Dum ista per diversas provincias geruntur, magnas Romæ turbas tribunatus P. Cornelii Dolabellæ excitavit, de novis tabulis ferenda lege. Accedebat malis adversarius pari audacia L. Trebellius, et deterior utroque M. Antonius equitum magister. Inter hos infelix civitas quotidianis terroribus vexabatur: aliunde satis inquieta novæ dominationis timore et jam sensu, ac majores subinde præteritis calamitates expectans. Nam et prodigiis, et responsis haruspicum exanimabantur, quæ illo et superiore anno acceperant.

29. Quippe C. Cæsare, P. Servilio consulibus, sub exitum anni, cum forte sacra Isidi fierent, examen apum in Capitolio juxta colossum Herculis sedit. Ob eam rem, de sententia vatum, omnia tum Isidis, tum Serapidis sacella sublata sunt. Ea dum diruntur, forte et Bellonæ ædicula per errorem excisa, nefandorum sacrorum crudelitatem patefecit, repertis ibi fictilibus humana carne plenis. Hoc autem anno, quo Alexandrinos et Pharnacem vicit Cæsar, magnus terræ motus extitit, bubo conspectus est, fulmina Capitolium et fanum Fortunæ Publicæ, Cæsarisque hortos, et in iis equum ex insignioribus percusserunt: et Fortunæ templum sponte patuit. Præ-

Ryck. de  
Capit. c. 25.  
Dio.

*cans vexabantur.* Verbum *χρηματίζειν* interdum quidem usurpatur pro eo quod Latine dicitur 'quæstum facere,' 'pecuni-

am colligere.' Sed hic manifestum est aliam omnino fuisse mentem Appiani. *Crev.*

terea sanguis e pistrino effusus ædem Fortunæ Primigeniæ attigit, et infantes aliquot sinistras in capitibus habentes nati sunt. Id maxime certum esse versæ fortunæ præsigium, et deterioribus in meliores imperium dari haruspices asseverarunt, et populus credidit.

30. His rebus anxias mentes, magis etiam quæ videbant, terruerunt. Nam Kalendis statim Januariis M. Antonius magister equitum, senatu convocato, prætextatus et sex stipatus lictoribus, speciem quandam præse reipublicæ exhibebat. Sed quando nec consul usquam, nec prætor ullus erat, ad hæc gladio cinctus ipse multitudinem secum trahebat militum, et omnia pro potestate agebat; nemini dubium esse poterat, a priori forma civitatem ad extremæ servitutis vilitatem descivisse.

31. Urebat etiam animos supra acerbitatem præsentium instantis indignitatis expectatio. ‘Mox enim affuturum Cæsarem victorem omnium, re dominum, nomine dictatorem. Quam igitur illi fore superbiam, si cliens ejus et magister equitum tam insolenter obtereret leges? Sane clementiam hætenus insignem prætulisse, plerisque ignoscendo a quibus esset oppugnatus. Sed quem præstare posse mansuetudinem eandem mansuram victori et securo, quam validis adhuc diversarum partium rebus, et de exitu dubitans adhibuisset? Tyrannos ingenium ad tempus tegere: donec, perfectis quæ optaverant, tam incipiant vacare metu, quam semper vacent verecundia.’

32. Ne minima quidem in malis consolatio miseris aderat, querendi invicem, mutuisque sermonibus sublevandi animos: cum suspecta fides etiam intimorum, et proditis certum periculum esset. Quin ultro cogebantur abdere sensus suos, et, cum alii essent, alios ostendere. Nec enim ferri tantum quæ fierent, auctores eorum volebant, sed laudari quoque: ac subinde supplicationes, velut ob rem bene gestam, edicebantur, et frequentibus ludis spectatorum postulabatur hilaritas: cum ille ipse conspectus esset acerbus et ignominiosus, quod, paucis exceptis, quos tribuni faciebant, ludis magister equitum præsidebat accinctus, et ne publicæ quidem lætitiæ condonans exprobrationem servitutis.

Plut. An-  
ton.  
Dio.

33. Sic affecta civitate, P. Cornelius Dolabella exortus est novarum tabularum auctor, adolescens audax, nobilis, obæratuſ, qualibus ſcilicet ad evertendum omnia nihil eſt paratius. Erat iſ nuper exemplo P. Clodii e patriciis transgreſſus ad plebem, occasione forte teſtamenti, quo Livia hæredem inſtitutum mutare nomen juſſerat: ſed tribunatus petendi conſilium fuerat, in quo leges ſe laturum confidebat, quibus et ipſe maximo ære alieno liberaretur. Ideireo factus tribunus plebis, non diu diſtulit de tabulis novis promulgare rogationem plebi gratiſſimam. Sed L. Trebellius collega Dolabellæ, C. Asinii potentia adjutus, creditorum ſuſcepta cauſa, optimatibus et locupletiori parti civitatis erat jucundisſimus.

Cic. ad  
Att. vii. 8.  
Dio.

Liv. Epit.  
Cic. ad  
Att. xi. 23.  
Dio.

Plut.  
Anton.

Cic. Phil.  
vi. 4.  
Dio.

34. Ab horum concertatione magni tumultus initium in Urbe fuit: cum utraque factio captis armis vim faceret, crebræque hinc inde cædes patrarentur. Igitur et ſenatus interceſſit, rem integram in adventum Cæſaris ſervari jubens: et Antonius geſtatione armorum in Urbe interdixit paganis.<sup>d</sup> Sed ille tamen in occulto Dolabellæ favebat, popularis favoris ſemper appetens, et in eadem cauſa conſtitutus, qua ceteri, qui novas tabulas cupiebant. Poſtquam autem uxorem, patruſ ſui C. Antonii filiam, cum Dolabella ſtupri conſuetudinem habere comperit, aut comperiſſe ratus eſt; et illam exegit domo, et hunc oppugnare ab eodem odio ſtatuit: plebi quoque jam iratus, a qua pluriſ fieri Dolabellam quam ſe videbat, cum apud ſenatum communis culpæ majorem partem ipſe ſuſtineret.

Plut.

Cic. Phil.  
ii. 25.  
Id. ib. 38.  
et Plut.

Dio.

35. Jam erat ei conceſſum ab ſenatu (juris enim quod amiſerant<sup>2</sup> imaginem ſaltem tuebantur, jubentes quod

2 *Amiserat* edd. ante Crev.

<sup>d</sup> *Paganis*] Sic recte vertit Freinſhemius *ιδιώτην*, quo vocabulo hic utitur Dio. Etenim *ιδιώται* apud Græcos opponuntur *στρατευομένοις*. Appianus in narranda ſeditione decumanorum, poſtquam dixit eos a Cæ-

ſare Quirites vocatos eſſe, addit *ὑπερ ἑστὶ σύμβολον ἀφειμένων τῆς στρατείας καὶ ιδιωτευόντων*. Et ſimiliter Dio de iisdem decumanis agens, eos miſſionem flagitaſſe memorat, *οὐχ ὅτι καὶ ιδιωτεύσαι ἐβούλοντο*. Similiter apud

prohibere non poterant) ut, introducto in Urbem milite, cum reliquis tribunis, qui neutri partium se conjunxerant, rempublicam defenderet. Neque multum eo consilio profectum ad quietem erat, cum nihilo sequius duo tribuni suas quisque vires augendo, et inter sese, et cum Antonio patribusque decertarent: maxime postquam Antonius seditionose agere milites audiens, qui præmissi a Cæsare post Pharsalicam pugnam duces suos Syllam atque Messalam exegerant, ad illos excucurrit, novo exemplo L. Cæsarem avunculum Urbis præfectum declarans, qualem potestatem nullus unquam magister equitum habuerat. Tum vero, contempta senectute L. Cæsaris, atrocius inter se collisæ factiones, majore, quam unquam, tumultu atque sanguine concurrerunt. Sed audita C. Cæsaris victoria, qui, compositis Ægypti rebus, venire in Italiam nuntiabatur, paulisper continuit hominum audaciam: donec, decedente metu, cum adversus Pharnacem profectus Cæsar esset, pristinus furor rediit.

Cic. ad  
Att. xi.  
21. et 22.  
Dio.

36. Inter hæc Antonius neutrarum partium studium præferens, Trebellium clam fovebat, potestatemque faciebat conciliandi assumendique militis. Sic tanquam e duobus castris debitores creditoresque ad pugnam prodibant e locis Urbis munitissimis, quæ præsiidiis ceperant: cædesque et incendia patrabantur, eo terrore et tumultu, ut aliquando sacra Vestæ ex illius ædibus a virginibus efferrentur. Igitur alio senatusconsulto mandata est Antonio diligentior Urbis cura, majorque militum manus introducta.

37. Sed Dolabella, desperans veniam a Cæsare, hoc agebat ut claro aliquo facinore edito periret. Ideirco die dicta, qua de tabulis novis, et mercede habitationum abolenda (nam et hoc caput comprehenderat) perlaturus legem esset, paratos esse ad rogationem accipiendam suos jussit. Cum venisset tempus, et, occupato utrinque fori aditu, ligneisque turribus per opportuna loca erectis ad propugnandum, magna multitudo confluiset; Antonius prima

Latinos pagani sunt ii qui non militant: quo sensu hæc vox usurpatur a Suetonio, Aug. c. 27. et Galb. c. 19. et passim a jurisconsultis. *Crev.*

luce validam e Capitolio deduxit manum, interfectisque e plebe circiter octingentis, concidit tabulas legum, reliquos proposito locoque depulit, stationemque militum in foro collocavit.

Liv. Epit.  
Appian.  
Civ. II.  
Dio.

38. Ne sic quidem solida quies ante Cæsaris adventum est Urbi reddita, quod Antonius auctoritatem dictatoris suamque potentiam magnitudine vitiorum debilitabat:

Plut. Ant.  
et Cic. Phil.  
II, 24. et  
25.

cujus nocturnæ comessationes, diurnus somnus, totius vitæ turpitudine, sermonibus omnium notabatur: qui non erubesceret, quo tempore Cæsari sub dio esset sæpe contra ferocissimos hostes dimicandum, potare, scortari, alea, somno, luxu non ferendo tempus consumere. Erat enim, si quis alius, ingenio nequam et nepos, et paulo ante tribunus plebis in essedo lictoribus præeuntibus per Italiam vectus erat, mimam Cytheridem in aperta lectica secum portans, cum turpissimorum hominum comitatu: quacum aliquando et curru dicitur incessisse leonibus juncto. Sed et occasione præsentium turbarum ad rapinas abusus, magnam vim auri argentique, sed et vini diripiebat.

Plin.  
VIII, 16.  
Cic.

Plut.  
Dio.

39. Hæc altera fuisse putatur causa, cur promptius ignoverit Dolabellæ adveniens Cæsar, præter priora hominis merita, qui partibus ejus totum se dederat ab initio, et in Thessalia quoque pro eo strenue pugnaverat. Et erat alioquin ad tribuendam veniam facilis: nec ignorabat, difficulter ferri posse delicta aliena severe exequentem, qui tam multa ipse peccasset. Interea, cum et pecunia indigeret infinita, et honores appeteret eminentissimos, nolebat multos offendere: quo devincti beneficio suo, patientius jubenti quilibet obsequerentur.

Cic. Phil.  
II, 30.

Dio.

40. Igitur cum magnus in Urbe plurimorum metus adventu ejus fuisset, vindictam admissorum expectantium, eaque res sermonibus agitata toto eo tempore esset; repente receperunt animum, nihil de præteritis inquirente Cæsare. Sed is ad cogendos nummos mentem adjecerat, et præter magnam vim auri, quæ in coronas et statuas, et alia hoc genus, tanquam a volentibus offerebatur; ingentes summas mutui nomine congestit, cum neque negare quisquam auderet, nec ipse de restituenda cogitare putaretur.



41. Sed ego, Cæsaris natura diligentius expensa, non dubitem, redditurum omnino eum fide fuisse, si diutius frui vita potuisset. Nec enim in tantis imperii opibus deesse, unde quantacumque debita quandoque expungerentur, poterat: et ipse solitus omnia famæ studiisque hominum postponere, ubi præsentium temporum angustias esset eluctatus, ob pecuniam profecto amittere ista noluisse. Habebat autem ejus rei hunc obtentum, ut ad hanc necessitatem reipublicæ temporibus adactum diceret, ejus utilitati facultates suas omnes impendisset. Ne tamen ad desperationem adigeret creditores, novas tabulas petente plebe constanter abnuvit, se quoque obæratum esse dietitans. Jussitque contentum esse his quæ prius in ea causa statuisset.

Sueton.  
Cæs. c. 42.  
Dio.

42. Inde proscrispsit bona judicatorum hostium, hasta pro æde Jovis posita: et eum ea cupide emta essent a quibusdam, qui nunquam fore putabant ut a se exigeretur, ideoque minus fuerant solliciti quanti licitarentur, nihil cuiquam remisit. Inter quos et M. Antonius, Cn. Pompeii Magni sector, cum tanti viri copiosas facultates brevi dilapidasset, appellatus est. Hanc offensam causari deinceps solitus est Antonius, cum Cæsarem ad bellum Africanum non sequeretur: quia sibi pro meritis prioribus non fuisset gratia reddita.

Cic. Phil.  
II. 26.  
Dio.

Cic.  
Plut.

43. Ceterum Cæsari non defuerunt artes, et plebem, et socios victoriæ aliis rationibus conciliandi. Plebem, præter ludorum voluptates, remissis a tempore cæpti belli usuris, et habitationum commodo. Qui enim duobus millibus nummum<sup>e</sup> conductas habitationes haberent, iis Romæ unius anni mercedem, in Italia quadrantem ejus condonavit, quo tenuiores sublevarentur. Præterea publicatis multorum facultatibus, emendarum rerum copiam atque vilitatem effecerat. Ducibus amicisque suis honores distribuit, multa præter veterem morem, quo pluribus referendæ gratiæ locus esset, instituendo. Nam et prætoriiis comitiis decem creavit primus, et pontificum augurumque et quindecimvirorum collegiis singulos addidit: et

Dio.

Cic. ad  
Fam. XII.  
18.  
Dio.

Sueton.  
Cæs. 38.  
Gronov.  
de Pecun.  
Vet. II. 2.  
Dio.

<sup>e</sup> *Duobus millibus nummum*] uncis 6. semuncia 1. Crev.  
Marcis argenti nostratibus 7.

- equites Romanos<sup>f</sup> aliquot, quorum opera erat usus,<sup>3</sup> itemque ordinum ductores, in senatum allegit. M. Brutum Plut. Brut. Cisalpinae provinciae praefecit: Decimum ei, quae trans Alpes est, Galliae.
- Appian. Civ. II. p. 497.  
Dio. Macrob. Sat. II. 3.
44. Sed et in reliquam partem anni consules fecit quos diximus, Q. Fufium, P. Vatinium, cum pauci admodum dies superessent. Atque ea res facietis hominibus ridendi causam praebuit; querentique Vatinio, 'quod se aegrotantem non invisisset,' Cicero respondit, 'Venturus in consulatu tuo fui, sed nox me comprehendit.' Circumferebaturque notabilis ejusdem urbanitas, 'in consulatu Vatinii magnum ostentum factum: quod eo consule, nec bruma, nec ver, nec aestas, nec autumnus fuisset.' Hæc gratiora vulgo erant propter Vatinium, a quo consulatum pollui judicabant, obscurum et pravum hominem, stomachante etiam in versibus suis Catullo. Sed quantum iis consilibus potestatis auctoritatisve esse vellent, ipsi qui fecerunt, facto ipso demonstrarunt satis. Quanquam enim Cæsar dictatura se abdicaret, nullius jam appellationis egens, tamen M. Antonius magisterium equitum in totum eum annum retinuit.
- Cat. Epig. 50.  
Dio, XLV. p. 188. et XLVI. p. 200.
45. Cum ista satis belle composita viderentur, praemissi in Campaniam milites, quibus ad bellum Africanum usus erat, seditione inita curam Cæsar's adverterunt. Promissa Pharsalico bello præmia omnes, veterani præterea missionem flagitabant. Cæsar ad hos C. Sallustium Crispum misit, qui senatorii recuperandi ordinis gratia prætura petita, designatus erat, ut doceret, 'hostium magno numero in Africa superstite nondum absolutam esse victoriam: eo confecto bello Casarem, et promissa ante donativa, et millenos insuper denarios<sup>g</sup> viritim præsentaturum.' Ad hæc adeo exarsit militum furor, ut Sallustium, vitandi exitii causa Romam refugientem, con-
- Appian.  
Plut. Cæs.  
Appian.  
Dio.

3 *Usurus* edd. ante Crev.

//////////

<sup>f</sup> *Equites Romanos*] Nihil mirum aut inusitatum erat equites Romanos in senatum allegi. Dionis verba sunt, ἰππέας τοῦ τέλους,

id est, ut existimamus, equites legionarios. Crev.

<sup>g</sup> *Millenos . . . denarios*] *Marcas argenti 15. uncias 5.* Crev.

festim secuti, sine discrimine quibuslibet obviis afferrent manus. Duo quoque prætorii tum interfecti sunt, Cos- Plut. Cæs. conius et Galba.

46. Dubitavit tum Cæsar, num opponere prætorias Dio. cohortes tumultuantibus rectius foret. Sed contagium timens, has quidem secum retinuit, et milites, quos An- Appian. tonius nuper introduxerat, circum ædes suas et portas Dio. Urbis disposuit. Seditiosis jam appropinquantibus, misit obviam sciscitatuos, quid igitur sibi vellent. Atque ii cum ipso Cæsare collocuturos esse responderunt. Tum denuntiari Cæsar jussit, uti, positis armis, præter gladios, Sueton. ad Urbem accederent. Neque contactus est, licet dehor- Cæs. 70. tantibus vehementer amicis, adire tendentes in Campo Appian. Martio, et tribunal erectum minaci vultu conscendere. Frontin. 1. 9.

47. Hæc tam audax atque inopinata viri species ultro Appian. terruit militem, ut desideria sua exponere jussus, donativi mentionem facere non auderet, missionem tantum postulare: et suberat spes, quod opera militum Cæsar indigeret, sponte daturum quæ esset pollicitus. Sed ille sicut profusus in obsequentes, ita minantibus inexpugnabilis erat. Idcirco uno verbo dimittere se dixit: et cum velut Sueton. fulminati hac voce silerent, adjecit, 'nihilo secius daturum Cæs. c. 69. stipendia et præmia, quamprimum esset cum aliis triumphaturus.' Appian.

48. Mordebat eos hoc quoque dictum, et pudor simul metusque intrabat animos, si ad alios perveniret suæ operæ debitus honor; ipsi adversis partibus exosi, suis fastiditi, vile vulgus, spectarent triumphum, quem ducere debuissent. Simul existimabant lenius acturum Cæsarem, sive suum ingenium ille, sive præsentem necessitatem sequeretur. Sed ille, tacente milite, amicis orantibus, ne cum tam tristibus dictis discederet, iterum exorsus, Quirites appellavit. Hoc illi non ferentes, responderunt 'se milites esse,' pœnitentiaque priorum correpti, rogare cœperunt, 'ut sibi porro militare liceret: se solos, sine aliis copiis, bellum Africanum eo imperatore profligare paratos esse.' Tac. 1. Ann. 42. Plut. Dio. Sueton. Appian. Dio.

49. At Cæsar, licet ei gratius accidere nihil potuisset, Appian. vultum servans, avertere se, et descendere de tribunali.

- Unde major exortus clamor, 'maneret' orantium, 'pœnasque, si vellet, sumeret.' Simul tribunus quidam militum propius accedens pro exercitu deprecabatur, jussu militum, an ut Cæsarem demereretur. Tum ille: 'se quidem pœnas quamlibet meritis remittere. Moleste tamen ferre, quod et decumani seditiose egissent, semper prælati aliis et magno in pretio habiti. Dare tamen missionem petentibus, et carere posse invidorum opera.' Recepit et præmia exsolviturum, licet nullam ob necessariam causam se reliquo adhuc bello deserentibus. Sed et agros divisurum pace restituta, 'Non exemplo Syllæ,' inquit, 'ademptos aliis, vosque prioribus dominis immiscendo ad perpetuas inimicitias; sed qua publicus, quæve meus ager est, assignabo, et quod deerit, a volentibus emam.' Et affuit dictis fides. Pecuniæ partem repræsentavit, reliquum daturum dixit paulo post cum fœnore.
50. Plausu omnium hæc excepta cum fuissent, decumani mœrebant, sibi nominatim iratum imperatorem esse. Neque destiterunt obtrudere operam, licet recusantem in Africam secuti. Sed ille, priusquam proficisceretur, ex omni numero excepit seditioibus miscendis aptissimos, quos in Italia relinqueret, agris statim datis, unde se tolerarent. Ceterum et his, et deinceps omnibus, non continuos assignavit agros, ne quis possessorum expelleretur, et ut distractis nihil in turbas virium foret. Notavit et ex iis, quos secum ducebat, fœdissimum quemque, quos postea, deductos in Africam, periculis objecit, utrimque compendium captans, occiderent illi, an occiderentur. Qui vero eorum superfuerunt casibus, eos sic quoque prædæ et agri destinati tertia parte muletavit.
51. Nam in aliis delictis connivere solitus, et multa militi condonare, desertores atque seditiosos implacabiliter oderat: quod cetera, quæ peccare essent soliti, ad aliorum injuriam, hoc ad imperatoris periculum pertinebat, nequicquam dominationem affectantis, si exercitus, per quem ceteros in obsequio contineret, exuere obsequium ipse cœpisset. Insimulabatur tamen a plerisque, quod tantam exercitus licentiam non esset severius excutus. Quin et amicorum vitia crimini dabantur, Dolabellæ
- Dio.
- Appian.
- Dio.
- Appian.
- Dio.
- Appian.
- Sueton.
- Dio.
- Sueton.  
Cæs. c. 38.
- Dio.
- Sueton.
- Dio.
- Sueton.  
Cæs. c. 67.  
Polyæn.  
Strat. viii.
- Plut.

furor, ebriositas Antouii, intemperies, luxus, rapinae plurimorum. Sed ista quanquam nec ignoraret Cæsar, nec probaret, quia meliores non habebat administros, his utebatur.

Sueton.  
Cæs. 72.

52. Jam bruma erat,<sup>h</sup> et qui Africam tenebant hostes, cum occupationibus Cæsar's, tum anni tempore clausum ei mare putabant. Sed, ille solita celeritate, qua sæpe nuntios de se prævenerat, processit Rhegium, ne religione quidem retentus, cum immolare volenti taurus aufugisset. Omen etiam a nomine Scipionis, quod fatale ad victoriam in Africa terra suos quoque milites timere senserat, aut vitando, aut eludendo, duxit secum e Scipionum genere contentissimum quendam, cui Salutioni cognomen erat, ob opprobrium vitæ, quod ejus nominis mimo specie corporis, et infamia morum habebatur simillimus.

Plut. Dio.

Sueton.  
Cæs. 57.  
Appian.

Sueton.  
Cæs. 59.  
Plut. Dio.  
Sueton.

Plin.  
VII. 12.

53. Rhegio transiecit Messanam, inde Lilybæum pervenit A. D. XIV. Kalendas Januarias, et ut paratos intentosque suos haberet, tabernaculum in littore maris statuit, observandum se admonens, qui esset primo oblato vento conscensurus. Ibi factus de rebus Africanis certior, oppido et agro Uticensi, ubi Cato curabat, vitato, Adrumetum direxit cursum, quam partem obtinere Scipionem intellexerat. Egressus e navi, magno cum terrore militum iniegit, prociditque humi: sed ille, verbo scævitatem omnis corrigens, complexus osculatusque terram, exclamavit, 'Teneo te, Africa.'

Appian.  
Hirt. de B.  
Afric.  
Plut.

Appian.  
et Dio.

Sueton.  
Cæs. 59.  
Dio.  
Front. I. 12.

54. Sic exercitu ad Adrumetum exposito, qui in præseus haud amplius peditum millibus tribus constabat, cum equitibus centum quinquaginta, diem atque noctem consumsit, dum L. Planci consilium experitur, qui ad C. Considium oppido præfectum scripserat. Sed postquam responsum non reddebatur, Cæsar, tentare Adrumetum non ausus, proficisci inde statuit. Sed abeuntem erumpens ex oppido multitudo insequitur. Nam duæ legiones

Plut. Hirt.

<sup>h</sup> Jam bruma erat] Ita scribunt Plutarchus et Dio. Sed illos fefellit anni Romani perturbatio. Dies XIV. Kalendas Januarias, quo Cæsar Lilybæum

pervenit, incidebat in diem 30. et ultimum Septembris, notante Usserio in Annal. ad annum mundi 3958. Vid. not. ad l. cx. c. 68. supra. Crev.

erant Adrumeti, et tria millia Maurorum equitum ducebat Cn. Piso, qui partes Pompeianas acerrimo ministerio juvabat.

55. Et eodem tempore Jubæ equites, qui forte ad stipendium accipiendum veniebant, castra, unde Cæsar erat egressus, moratoribus ejectis cæsisve, occupant, extremumque agmen consecuti lacessunt. Sed egregia Gallorum equitum virtute repulsi sunt, quorum tum minus triginta circiter duo Maurorum millia sæpius repulisse dicuntur. Nam illi intra munimenta compulsi, rursus abeuntibus instabant: donec non intermisso itinere longius avulsos infestare non ulterius ausi, destiterunt. Sic animo consilioque summi ducis, maximum discrimen minimo detrimento depulsum est.

56. Interim e propinquis oppidis legati venerunt ad Cæsarem, frumentum, et quicquid imperatum esset, pollicentes. Ita Ruspina processum est, quod oppidum aperuit portas. Ibi castra Cæsar posuit Kalendis Januariis, quibus ipse dictaturam simul atque consulatum, utrumque honorem tertium, iniit, M. Æmilio Lepido magistro equitum, et consulatus collega.\* Hoc ei præmium deberi putabat, a quo primum dictator erat dictus: quam et triumphum ei decreverat, nulla re gesta, præterquam Longini et Marcelli compositis discordiis. Neque translatum est in eo triumpho quicquam, nisi raptæ ex sociis pecuniæ. Hæc eo anno gesta sunt: et cum novi magistratus inissent, lupus in Urbe visus, et scrofa fœtum, præterquam pedibus, elephantum simillimum, edidit.

Dio.  
Hirt.  
Dio, XLIII.  
Oros. VI.  
16.  
Vid. Pigh.  
Ann. et  
Sigon.  
Comment.  
in Fast.  
Dio.

\* A. U. C. 706. A. C. 46.

# SUPPLEMENTUM

## LIBRI CXIV.

### HISTORIARUM

#### T. LIVII PATAVINI.



1. **CUM** præter Africanos et Hispanienses motus nihil usquam timendum Cæsari videretur, repens e Syria tumultus Romæ adhuc agenti nuntiatus est. Ejus auctor Cæcilius quidam Bassus extitit, eques Romanus Pompeianarum partium. Is ex infelici prælio Tyrum se receperat, et in emporio latens bene secum putabat agi, quod vita fruebatur. Sed ubi milites Sex. Cæsari propter adolescentiam et voluptates parum amicos atque fidos esse cognovit, simulque Tyrios spoliatum a dictatore Cæsare fanum Herculis ægrius ferre, paulatim ad se contrahere Pompeianos cœpit; militesque, uti præsidii causa nunc hi, nunc illi Tyrum mittebantur, sollicitare.

Cic. ad Fam. xii. 17.  
Liv. Epit. Dio, xlvii.  
Joseph. Ant. xiv. 7. et de B. Jud. i. 8.  
Dio.  
Appian. Civ. iii. et iv. Supra, cxiii. 27.  
Dio.

2. Sed hæc initia cum spernenda viderentur, abstertere Cæsarem ab Africana expeditione nequiverunt: stimulum addiderunt tamen, ut eo celerius proficisceretur, quo, maturata ibi victoria, anteveniret orientes turbas, aut nondum confirmatis occurreret. Sed ubi Cæsarem in Africa periclitari fama tulit, simul, recepto more hominum fingendi quæ facta quisque cupiat, T. Murcus perisse naufragio, Asinius vivus delatus in hostium manus, naves quinquaginta vi ventorum Uticam actæ prædicabantur; jam erectior apertiorque Bassus, sive Pompeianarum partium studio, sive privatim potentiam quærens, co-

Cic. pro Dej. c. 9.  
Cic. ad Att. xii. 2.  
Dio.

pias colligere instituit, Sex. Cæsari, qui rationem actorum reposcebat, Mithridatem Pergamenum excusans, cui ad mandatum a Cæsare bellum milites conquirentur.

3. Sed ubi vires placuerunt, vulgatis epistolis quibusdam, quas aiebat ex Africa misisse Scipionem, (interitus autem Cæsaris, et commissum ipsi a Scipione Syriæ imperium continebatur,) ducem partium professus, Tyrum occupat. Inde ad castra Sex. Cæsaris proficisci ausus, prælio vincitur, et vulnus accipit. Nec ultra vim experiri volens, ad corrumpendos Sexti milites se convertit, hoc eventu, ut et Sextus interficeretur, et milites ad Bassum transirent, exceptis qui Apameæ hyemaverant. Hos in Ciliciam transgressos frustra Bassus insecutus, postquam in Syriam rediit, prætoris assumpto vocabulo, Apameam, quod erat situ atque opere munitissima, sedem bello cepit, et juventute non ingenua modo, sed et servorum centuriata, pecunias cogere, parare arma, denique rebus omnibus munire se instituit.

Joseph.  
Strab. xvi.  
p. 752.  
Dio.

4. Interea Cæsar in Africa perdifficile bellum gerebat, contra maximas hostium copias, rebus omnibus impar, et tantum fortunæ suæ animoque et consilio innixus. Sed et frumenti inopia urgebatur, cujus tenuis erat Ruspinae annona, panis simul obsonique vicem siccata implente ficu. Et expediundi difficilis erat ratio, quia Cæsaris equitatus, nondum satis e maritima jactatione et nausea confirmatis equis, prælio non audebat contendere: contra Numidæ Maurique, velox et expeditus eques, indesinenter locis omnibus vagabantur, et quia numero etiam multo erant superiores, haud mediocriter Cæsarem angebant.

Plut. Cæs.

Plin.  
xv. 19.

Dio, XLIII.

Auct. de  
B. Afr.

5. Forte accidit, ut Cæsaris equites, cum Afri cujusdam cantu atque saltatione deliniti, lixis custodiendos equos dedissent, subita Numidarum irruptione turbarentur, et vix insilire in equos atque in castra refugere possent. Quod nisi Cæsar ipse cum Asinio Pollione et instructis cohortibus progressi extra vallum eos recepissent, magna clades, et, ut nonnulli putant, ad summam victoriam efficax, accepta foret. Itaque Cæsar in Sardiniam nuntios, in Siciliam Rabirium Postumum mittit ad

Plut.

Auct. de  
B. Afr.



arcessendos commeatus. Huic decem longæ naves attributæ, mandatumque ut, priusquam in Siciliam trajiceret, ad conquirendas reliquas naves, quæ deerraverant, et tuendum ab hostibus mare, circumiret Africam. C. Sallustius prætor cum parte navium Cercinam ire jussus, quæ ab hostibus tenebatur, ubi magna dicebatur esse frumenti copia. Hæc ita imperabantur, ut suscipienda sine conditione, atque exequenda sine mora essent; neque ulla excusatio, fieri posset necne, recipiebatur.

6. Inter hæc occupata præsidioque sex cohortium firmata Lepti, Ruspnam regressus, frumentum in agris repertum, magnamque lignorum vim comportari in oppidum jubet. Ipse de suis qui nondum appulerant sollicitus, cum septem admodum cohortibus circa vesperam descendit naves; magno cum metu eorum, qui cum paucis tironibus contra incredibilem multitudinem hostium expositi, ab imperatore relinquebantur. Sed fortuna Cæsaris hic quoque providit celeriter. Cum, una nocte consumpta in navibus, jam luce prima constituisset vela facere, repente apparuit classis quam quærebat. Itaque militum equitumque non contemnendo numero auctior, Ruspnam protinus rediit. Inde cum cohortibus triginta expeditis, et equitibus quadringentis, sagittariorumque non magna manu frumentatum est profectus, pridie Nonas Januarias.

7. Ibi se Labienus et duo Pacidii cum Maurorum Numidarumque equitum octo millibus, Gallis Germanisque mille sexcentis, et sagittariis ac funditoribus hippotoxotisque compluribus objiciunt. Struit aciem Cæsar: præmissis sagittariis, equitatum in cornibus collocat. Sed ille ab adversariorum multitudine repulsus, continuo cedit: legionarii circumventi in orbem pugnare coguntur. Ibi Labienus, galea detracta, suos hortari, appellare Cæsarianos; donec petitus a milite decumano, equo graviter saucio, averteretur.

8. Interim Cæsar omnibus viribus equitum peditumque connixus, divisam hostium coronam ab utroque latere disjicit, neque longe insecutus, ad sua se præsidia instituit recipere. Sed Petreius et Cu. Piso cum equitibus Numidis mille centum electis, peditumque et levis arma-

Plut.  
Auct. de  
B. Afr.

Dio.

Auct. de  
B. Afr.

Appian.  
Civ. 11.  
Auct. de  
B. Afr.

turæ quatuor millibus supervenientes, mutare consilium, et medio campo redintegrare pugnam adegerunt.

9. Cum ita præliarentur hostes, ut cum equitatu levis armatura Numidarum procurreret; coortis deinde Cæsarianis, equites refugerent, pedes exciperet certamen, donec illi, resumto cursu, iterum inveherentur; eaque pugnandi forma nova et terribilis Cæsarianis objiceretur; Cæsar negotium suis dedit, ut omni conatu summoverent hostes, atque ultra postremos, qui apparebant, colles proturbarent. Tum demum pugnandi finis est factus, postquam ab hora diei quinta usque ad occasum solis dimicatum esset. Multi ex Cæsaris militibus interfecti sunt, non sine crebris adversariorum vulneribus. Petreius etiam graviter ictus deseruit pugnam: sed necessitatem dissimulans, cum receptui cani jussisset, 'non esse fraudandum gloria victoriæ Scipionem imperatorem suum' dictitabat. Saucii, quorum maximus fuit numerus, plaustris Adrumetum deportati sunt. Eo prælio quidam auctores sunt fugientem aquiliferum a Cæsare correptum conversumque fuisse, cum dicto, 'hic hostes sunt!' atque unius illius virtutem saluti fuisse ceteris, si absque illo esset, indubitanter perituris.

Dio.

Auct. de  
B. Afr.  
Appian.

Auct. de  
B. Afr.  
Plut.  
Appian.

Auct. de  
B. Afr.

Dio.

Auct. de  
B. Afr.  
Val. Max.  
viii. 14.

10. Inde Cæsar cum suis in castra se recepit ad Ruspinam, eaque modis omnibus communire instituit, vallo ab oppido ad mare, itemque altero a castris eodem perducto. Nam a paucioribus male acceptus, Scipionem haud injuria metuebat, qui post prælium factum die tertio, cum legionibus octo et equitum millibus quatuor adventare nuntiabatur. Is, postquam affuit, collaudatos qui proximo prælio rem strenue gesserant milites pro concione donavit, ut alacritatem suorum honoribus et præmiis incitaret. Ibi res accidit non indigna relatu. Labienus equitem commendabat imperatori, aureas armillas meruisse confirmans. At Scipio nolebat dare, quia nuper ille servus fuerat, ne vilesceret castrensium donorum honor. Ibi Labienus armillas equiti dedit ex Gallica præda. Tum Scipio, 'Habebis,'<sup>1</sup> inquit, 'donum viri divitis.' Ad quam vocem summisso vultu eques projecit aurum

<sup>1</sup> Ex Valer. Max. edidit Crev. In edd. præcc. legitur *habetis*.

ad pedes Labieni. Mox dicente Scipione, ‘Imperator argenteis armillis te donat,’ exultans gaudio abiit. Tanta inerat animo, etiam in humili fortuna, gloriæ cupiditas.

11. At perculti eum adventu Scipionis Cæsaris milites erant, tum etiam quia naves suæ onerariæ passim nuntiabantur expugnatae; quia non prædicto loco ubi appellerent, errabant, et a compluribus adversariorum scaphis singulæ excipiebantur. Inter has deprehensa navis est, quæ fratres duos tribunos militum legionis quintæ vehebat, Titii Hispani dicebantur. Atque hi cum se C. Virgilio prætorio dedidissent, ad Scipionem deducti, tertioque post die interfecti sunt: cum major eorum, ut ante fratrem occideretur, a centurionibus impetrasset. Ad hæc, cognita Cæsaris necessitate, Juba rex spatium convalescendi non daturus, cum ingenti exercitu veniebat.

12. Adversus hæc omnia Cæsar timorem militum nova ratione compescuit, angendo periculi famam. Quippe vocatis ad concionem militibus, ‘Scitote,’ inquit, ‘paucissimis his diebus regem affuturum cum legionibus decem, equitum triginta, levis armaturæ centum millibus, elephantis trecentis. Proinde desinant quidam quærere ultra, aut opinari, mihi que qui compertum habeo, credant: aut quidem vetustissima nave, quocumque vento, in quascumque terras jubebo aveli.’ Præceps videri hæc exaggeratio hostilium virium queat: sed in audaci cœpto plenoque periculorum plus oberat extenuare velle verbis, quod sensibus res ipsa ingerebat quotidie: et præstabat hanc in partem decipi milites, plus habituros spei, si obfirmatis ad graviora animis, minora opinione discrimina tractando comperissent.

13. Ceterum Jubam vix regno egressum necopinatae domi turbæ confestim revocarunt. Publius enim Sittius Nucerinus, junctis cum Bogude rege copiis, invasit Numidiam, Cirtaque maximo oppido paucis diebus expugnato, et uno atque altero capto oppido Gætulorum, necessitatem ei sua defendendi imposuerunt. Igitur, abductis a Scipione suis auxiliis, reliquit tantum elephantos triginta, rudes adhuc, et multorum annorum usu vix edocendos. Plus ergo specie quam viribus nocebant: quia

Auct. de  
B. Afr.

Sueton.  
Cæs. c. 66.  
Polyæn.  
Strat. viii.  
Sueton.

Appian.  
Civ. ii. et  
iv.  
Dio.  
Auct. de  
B. Afr.

perterriti hostium equi ad conspectum eorum pavore auferabantur. Sed ubi jussu Cæsaris transportati sunt ex Italia nonnulli, frequenti horum et innoxio visu equi timere desierunt.

Dio.

Auct. de  
B. Afr.

14. Interim adventu suo per oppida nuntiari jusso, multos excivit Cæsar, ut ad eam adeuntes de acerbitate Pompeianorum quererentur. Hactenus enim non ipsum, sed aliquem legatorum ejus venisse crediderant. Ille motus hominum querelis, et vastationem Africae, quæ miserandum in modum vexabatur, non ferens, literas in Siciliam misit, uti sine excusatione hyemis ventorumque confestim trajiceretur exercitus. Eratque is ardor viri, ut postridie quam nuntium miserat oculos mentemque ad mare directam tenens, moræ contationisque suos insimularet. Mordebat acerrimum imperatorem, quod neque suppetias ire fidem suam implorantibus poterat, et Scipionis insultationes aspicere quotidie atque ferre cogebatur.

Plut. Cæs.  
Auct. de  
B. Afr.

15. Nam ille, superioribus præliis suorum elatus, cum per aliquot continuos dies non longe a suis castris instructa acie stetisset, neque Cæsar contra exiret, contento tandem hoste ad castra illius cum explicata acie et elephantis processit. At Cæsar castris tenebat suos, quæ contra quamlibet vim hostium, operum tormentorumque multitudine et firmitate, et quia præsens ipse erat, satis muniverat. Neque de victoria male sperans intra vallum manebat. Sed quia cum paucis et tiro-nibus vincere sine multo suorum sanguine nequibat, turpe rebatur, post tot devictos hostium exercitus, cum reliquiis<sup>2</sup> pugnantiem eruentam existimari retulisse victoriam.

Dio.  
Auct. de  
B. Afr.

16. In eo statu rerum licet superior Scipio videretur, multi tamen ex castris ejus profugiebant Numidæ Gætulique, quorum alii repetebant domos, alii se transferebant ad Cæsarem, quem C. Marii affinem esse didicerant, cuius magnis beneficiis ipsi majoresve eorum fuerant usi. Horum illustriores quosdam mittit cum literis, ut popu-

<sup>2</sup> Reliquis edd. ante Crev.

lares suos ab obsequio hostium ad amicos sociosque transducerent.

17. Interim et Leptis a Saserra contra Labienum defensa est; Acillani (libera civitas erat, Melitensium colonia) recepto Cæsaris præsidio, quod C. Messius adilitius introduxit, Considio Longo cum cohortibus octo venienti clausurunt portas, Adrumetumque redire nulla re gesta coegerunt: et ab eodem paulo post cum Labieni equitibus regresso obsessi oppugnatique sunt. At C. Sallustius desertam fuga C. Decimii quæstorii Cercinam adeptus, magnum frumenti numerum in castra Cæsaris misit: et sub idem ferme tempus legiones<sup>3</sup> XIII. et XIV. quas A. Allienus proconsule cum equitibus Gallis octingentis, et mille sagittariorum atque funditorum Lilybæi imposuerat in naves, prospero cursu ad Cæsarem pervernerunt.

18. Dum hæc variis locis administrantur, M. Cato supplementum, arma, commeatum cogeat Uticæ, atque horum aliquid subinde in castra Scipionis mittebat. Consilium quoque addidit non læcessendi Cæsaris, cujus impetus nulla re opportunius frangi, quam mora posset. Superbe rejectum hoc a Scipione, semelque rescriptum, ‘sufficere debere Catoni tutum in oppido munito otium: ne aliorum quoque alacritatem opportunitate temporum usuram inlibeat.’ Pupugit ea Catonem exprobratio, rescripsitque, ‘paratum cum iis, quas adduxisset in Africam, copiis trajicere in Italiam, atque Cæsarem ad eam tuendam retrahere.’ Ubi hæc etiam irrita est ab Scipione ratio, non obscure tulit Cato, ‘pœnitere, quod eo tempore, ubi summa respublica ageretur, honoratiori cessisset prudentior.’

19. Sed Cæsar veteranas legiones nactus, omnibus consilii ignaris, præter Ruspina cum toto exercitu versus Uzitam oppidum pergit, ante quod in edito colle Numidarum præsidium erat. Id postquam a Cæsare capi Labienus animadvertit, cum multis equitibus accurrens subsidio, per Cæsaris equites ab exercitu suo est interclusus:

<sup>3</sup> Legio in edd. ante Crev. legitur.

Strabo,  
xvi p. 831.  
Stephan.  
Auct. de  
B. Afr.

Plut. Cat.  
Auct. de  
B. Afr.  
Plut.

Auct. de  
B. Afr.  
Dio.  
Auct. de  
B. Afr.

et, ipso cum Numidis effugiente, Galli Germanique, quos adduxerat, post acrem pugnam interfecti.

20. Hinc propius oppidum progresso Cæsare, Scipio, ne locum opportunum amitteret, cum instructo exercitu, elephantisque in utroque cornu locatis, haud procul Uzita constitit. Cæsar, quod hostis inde non digrediebatur, minime committendum ratus, ut cum fessis militibus eodem tempore et exercitum hostium, et oppidum cum valido præsidio Numidarum oppugnaret, suos in castra reduxit. At Considius, qui Acillam magnis operibus oppugnabat, equestris prælii cognito eventu, discessit protinus, et per regnum Jubæ reductum exercitum cum Scipione partitus, Adrumetum rediit.

21. Inter hæc tam prospera Cæsar tamen parvis detrimentis ignominiaque carpebatur, quod ex secundo suo Siciliensi comæatu navis a Virgilio ad Thapsum capta, itemque alia ad Ægimurum a classe P. Vari et M. Octavii excepta est. In his deprehensi milites cum adducti ad Scipionem essent, atque is vitam concederet sub conditione, 'si militare adversus Cæsarem vellent,' centurio legionis XIV. gratiis actis, recusavit beneficium, ferociterque adjecit, 'ut intelligere Scipio posset contra quos viros suscepisset bellum, se cum decem veteranis suis, cum cohorte quam Scipio delegisset ex toto exercitu, pugnaturum.' Ibi Scipio irritatus annuit centurionibus, ut confestim hominem trucidarent. Veteranos captos, nefario scelere contaminatos, et saginatos eade civium increpans, extra vallum cum cruciatu necari jussit. Tirones in suas legiones dispertitus est. Similis animus eventusque per eosdem dies Petronio Granio quæstori designato fuit, qui et ipse capta navi, oblatam a Scipione salutem respuit, incumbensque gladio, 'hanc' ait 'dare Cæsaris milites, non accipere consuevisse.'

22. Cæsar, his auditis, eos quos<sup>4</sup> ad Thapsum cum longis navibus præsidio esse onerariis jusserat, gravissimo proposito edicto, cum ignominia dimittendos censuit.

<sup>4</sup> Quos pro quibus in edd. præcc. emend. Crev. ex Auct. de B. Afr.

Sueton.  
Cæs. 68.

Auct. de  
B. Afr.

Plut. Cæs.  
c. 23.

Auct. de  
B. Afr.

Erat enim militum suorum amantissimus, adeo ut, audita Sucton. Cæs. 67. P. Titurii clade, summississe barbam capillumque dicatur, nec nisi post vindictam posuisse.

23. Per eos dies sub occasum Vergiliarum res mira Auct. de B. Afr. incidit in castris. Pauci habebant ex pellibus tentoria, nec enim portari ex Sicilia quicquam præter ipsos milites et arma Cæsar erat passus; neque parare in Africa poterant, quod tota ferme regio ab hostibus aut tenebatur, aut exinanita direptaque fuerat. Plerique vestimenta tetenderant, atque arundinibus scopisque contextis utcumque se tegebant. Sed circiter secundam vigiliam, exortus cum grandine imber tentoria nimio pondere rupit, ut, extinctis ignibus, intempesta nocte milites per castra vagarentur, nihil habentes præter scuta quibus capita contegerent. Eadem nocte pilorum quintæ legionis cuspides ardere visæ.

24. Scipio inter hæc multis nuntiis Jubam evocabat, contantemque, omni promissa Africa, qua Romani juris Dio. esset, permovit tandem, ut cum tribus legionibus, et equitibus frænatis octingentis,<sup>5</sup> magnoque Numidarum equitum et levis armaturæ numero, ac triginta elephantis, regno egrederetur, Sabura cum parte exercitus contra Sitium relicto, qui nuper castellum omni rerum copia locuples de rege ceperat. Ejus adventu Cæsar consilii sui plenum fructum tulit. Cum enim hand procul Scipionis castris seorsim consedisset, simul ex propinquo vires ejus cognosci potuere, metus Julianorum versus in contentum est. Auct. de B. Afr.

25. Scipioni tamen crevit animus, ut instruere exercitum, et paulo longius a suis munitionibus progredi auderet. At Cæsar, non facta potestate pugnandi, opera sua promovebat, donec ab adversariis occupato proximo colle pergere prohiberetur. Sed collis vi receptus est, Dio. decusso Labieni præsidio, et irritis quas posuerat insidiis, Auct. de B. Afr. quia, priusquam Cæsar accederet, ex locis occultis Labieni milites metu profugerant. Ipse vix cum parte equitum evasit. Cum deinde opera continuaret Cæsar,

<sup>5</sup> Ex Auct. de B. Afr. edidit Crev. In edd. priorr. est *octoginta*.

ad impediendum omnis adversariorum equitatus et leviter armati præcurrerunt sub vesperam, deductasque ab opere copias Cæsaris impetierunt. Et equitatum quidem multitudine sua summovertunt celeriter: sed ubi, converso itinere, Cæsar cum cohortibus affuit, equites confirmati repulerunt inter sequendum sparsos Numidas, multisque interfectis, eos rejecerunt in castra regis. Ne omnes internecione delerentur, et ipse rex cum Labieno deveniret in potestatem Cæsaris, nocte ingruente, et commoto venti vehementia pulvere, prospectum hosti adimentibus, erepti sunt.

26. Interea cum Cæsar per colloquia militum, spargendisque literis, libertatem atque res suas Afris, præmia insuper Romanis ad se accessuris esset pollicitus, ex legionibus Scipionis quarta et sexta, in quibus Gætuli erant,<sup>a</sup> cives Romani plerique omnes, permulti partim in castra Cæsaris, partim quo<sup>6</sup> quisque potuit, perfugere. Equites etiam qui ex clade Curionis apud Varum remanserant, complures eodem consilio sunt usi. Sed et Gætuli, quos cum literis Cæsaris domum isse diximus, cives suos ad deficientium a rege Juba perpulerunt.

27. Sub idem tempus nona et decima Cæsaris legiones ex Sicilia venerunt ob inopiam navium tardius. Quam nactus ansam Cæsar, C. Avienum tribunum militum legionis decimæ cum ignominia dimisit, quod navem familia<sup>7</sup> sua jumentisque et comæatu occupaverat, immemor sub eo se imperatore stipendia facere, qui maxima classe Britanniam petens, tres tantum servos suos imposuerat. Eadem et aliis quibusdam ignominia addita, quos ob seditionem rapinasque factas in Italia clam oderat.

Athen.  
vi. 20.  
Auct. de  
B. Afr.

<sup>6</sup> Qua pro quo legebatur ante Crev.

<sup>7</sup> Cum familia edil. ante Crev.

<sup>a</sup> Ex legionibus Scipionis quarta et sexta, in quibus Gætuli erant} Non ita apud auctorem de B. Africano, qui et Gætulos, et milites legionum Scipionis quartæ et sextæ, multum propensos fuisse in Cæsarem ait, sed utrosque clare distinguit. Sic loquitur apud eum Gætuli perfuge

aliquanto ante id quod hic narratur: 'Sæpe numero, imperator, (Cæsarem appellant,) complures Gætuli, qui sumus clientes C. Marii, et propemodum omnes cives Romani qui sunt in legione quarta et sexta, ad te volumus in tuaque præsidia confugere.' Crev.



28. Interesse arbitror ipsa referri verba præstantissimi imperatoris. Tribunis centurionibusque convocatis omnibus, ‘Maxime vellem,’ inquit, ‘homines suæ petulantiae nimiaeque libertatis aliquando finem fecissent, meaeque lenitatis, modestiae, patientiae rationem habuissent. Sed quoniam ipsi sibi neque modum, neque terminum constituunt; quo ceteri dissimiliter se gerant, egomet ipse documentum more militari constituam. C. Aviene, quod in Italia milites populi Romani contra rempublicam instigasti, rapinasque per municipia fecisti; quodque mihi rei publicae inutilis fuisti; et pro militibus tuam familiam jumentaque in naves imposuisti; tuaque opera, militibus tempore necessario respublica caret: ob eas res ignominiae causa ab exercitu meo te removeo, hodieque ex Africa abesse, et quantum potest proficisci jubeo. Itemque te, A. Fonteii, quod tribunus militum seditiosus, malusque civis fuisti, ab exercitu dimitto. T. Salicene, M. Tiro, C. Clusinas, cum ordines in meo exercitu beneficio, non virtute consecuti, ita vos gesseritis, ut neque bello fortes, neque pace boni aut utiles fueritis, et magis in seditione concitandi milites adversus vestrum imperatorem, quam pudoris modestiaeque fueritis studiosiores; indignos vos esse arbitror, qui in meo exercitu ordines ducatis, missosque facio, et quantum potest abesse ex Africa jubeo.’

29. Interea Cæsar, perfectis, quæ instituerat, operibus suis, et a vallo castrorum ad Uzitam usque duobus perductis brachiis, præter alia commoda hoc erat assecutus, ut ex propinquo sollicitare hostium animos posset, et transfugere volentibus paratus receptus esset: evenitque ut simul Gætuli quidam nobiliores cum equis et calonibus circiter mille in castra Cæsarum perfugerent. Scipio ceterique, commoti hoc incommodo, ad M. Aquinium senatorem miserunt, quem forte sub idem tempus colloqui cum C. Saserna viderant. Sed ille, nihil motus nuntio Scipionis, colloqui perseverabat, donec missus a Juba viator, audiente Saserna, ‘Vetat,’ inquit, ‘te rex colloqui.’ Et homo Romanus, populi beneficio usus, cum imperatori suo parere nolisset, regi barbaro audiens

dicto fuit. Sed hunc excusat Scipio, quem aiunt ante regis adventum purpureo sagulo usum, tum ad album vestitum se contulisse, quod Juba negasset eodem illum cultu esse oportere quo ipse uteretur. At hic cum Cæsare dimicabat, cui si obtemperare vellet, primas post illum in Urbe tenere multisque Juba potentioribus imperare posset.

Dio.  
Auct. de  
B. Afr.

30. Postridie duo exercitus armati instructique a mane usque ad horam decimam, intervallo circiter passuum trecentorum steterunt: nec tamen commissa est pugna. Tantummodo leve prælium equestre factum, minime dignum memoria. Ceterum per eos dies mari gesta res est, cum P. Varus de navibus Q. Aquilæ ad Leptim quasdam onerarias incendisset, vacuasque defensoribus quinqueremes abstraxisset duas. Hoc ubi Cæsari circumventi opera sua nuntiatum est, protinus eques contendit Leptim, et instructis quæ aderant navibus, Varum celeritate tanta perterritum egit in fugam, quinqueremem unam recepit, triremem repugnantem cepit. Postridie profectus Adrumetum, quo se Varus contulerat, naves quotquot extra Cothonem erant, aut incendit aut subduxit: et cum classe dimicare non auderent hostes, in castra sua rediit. E captivis interfici unum jussit P. Ligarium Afranianum, qui dimissus in Hispania contra datam fidem iterum ad adversarios Cæsaris se receperat.

31. Paucis post diebus cum Cæsar circum villas, ubi rustici fruges in subterraneis specubus condiderant, frumentatum mitteret, Labienus insidias struxit. Sed re comperta Cæsar insidiatores, occisis ferme quingentis, dejecit loco, Labienumque suis cum equitatu venientem auxilio legionum objectu deterruit. Numidæ qui, loco amisso, in castra refugerant, imperio Jubbæ crucibus affixi pependerit.

32. Fatigabat tamen Cæsarem inopia frumenti, et quod eam ob necessitatem quæcumque profectum equitatus et levis armatura Numidarum infestabat, velox hominum genus, et ad procurrendum, et telis conjectis ad-refugiendum habile. Neque his resistere Cæsaris equitatus sine legionibus poterat. Idcirco licet veteranos haberet mi-

lites, tamen quemadmodum contra levem et concursatorem hostem se tuerentur, tanquam lanista tirones solet, accurate docere coactus est. Ad hoc ex singulis legionibus trecentos jubebat expeditos incedere, quorum onera et sarcinæ a commilitonibus portabantur, ut, ingruente hoste, præsto essent qui objicerentur. Hæc diligentia tantum emolumenti rebus ejus attulit, ut sæpe tentatus, a Labieno præsertim, multo plus damni daret hostibus, quam acciperet: neque eo minus plerasque expeditiones, quo volebat eventu, faceret.

33. Nam præter hostium castra ductis legionibus oppidum Zetam cepit; neque diu post Sarsuram. Vaccenses tamen cum præsidium a Cæsare petissent, priusquam illud perveniret, a rege Juba omnes ad unum interfecti sunt, oppidum direptum deletumque. Nec ideo minus Thabenenses, ad mare sita non magna civitas, a rege defeecerunt, occiso quod ibi fuerat præsidio: quibus petentibus auxilium Cæsar M. Crispum tribunum cum cohorte et sagittariis tormentisque compluribus misit. Sub idem tempus novæ copiæ venerunt ad Cæsarem, ex iis qui morbi causa, aut comæatu impetrato prius trajicere nequiverant, militum quatuor millia, quadringenti equites, funditorum sagittariorumque mille. Tanto magis dabat operam, ut de summa rerum dimicaret, sibi militique veterano fidens: et, quia hostes a munitioribus locis deduci non poterant, pridie Nonas Aprilis castra movit, et sedecim millia passuum celeriter emensus, obsidere Thapsus instituit.

Strabo,  
xvii. 831.  
Auct. de  
B. Afr.

Frontin.  
Strat. i. 3.  
Dio.  
Auct. de  
B. Afric.

34. Thapsus in peninsulæ speciem hinc mari, inde stagno salinarum ambitur: inter quod et mare via non amplius mille quingentorum passuum relinquebatur, quam triplici præsidio occupavit Cæsar, ut Scipionem eo itinere excluderet. Et affluit ille, ne fidissimum partibus oppidum per summum dedecus indefensum relinqueret: ac, declinata, quam videbat obsessam, via, supra stagnum ad mare versus castra munire cepit. Ea re cognita, Cæsar, cum pleraque parte exercitus eo contendit: partem etiam classis ad littus accedere jubet, et hostibus a tergo terrorem inentere. At Scipio, parte militum ad opus relicta,

ceteras copias pro vallo instruxit, elephantosque disposui in cornibus.

35. Cum valde cuperet configere Cæsar, impetu militum victum est ejus desiderium, qui retenti revocatique (tantus ardor incesserat) coëgerunt tamen tubicinem classicum canere, et, frustra obsistentibus centurionibus, in hostem irruerunt. Et Cæsar secutus impetum, signo Felicitatis dato, equum admisit, ut more suo princeps cieret pugnam. Interim elephantum rudes et nuper a sylva, fundarum lapidumque stridore avertuntur, proterunt suos, et in semifactas valli portas incidendo infirmum adhuc opus prouunt.

Flor. iv. 2.  
Auct. de  
B. Afr.

Flor. Dio.  
Auct. de  
B. Afr.

36. In eo prælio admirabilis extitit virtus cujusdam ex legione quinta veterani, qui, viso elephanto in oppressum lixam sæviente, ultro petiit belluam, et in altum ab ea sublatus, ferire proboscidem, qua erat circumdatus, non destitit, donec dolorem non ferens elephantis, abjecto eo se daret in cursum, fugientesque reliquos consequeretur. Inde postea quintæ legionis elephanti fuerunt insignia. Hinc magna cædes et in campo Scipionis militum fuit, et ad vallum hostium, quo post acre prælium potitæ sunt Cæsar's legiones. Inter hæc qui præsidio Thapsensibus erant, sive confirmandorum suorum causa, sive fugiendi consilio, sine inguinum ingressi mare, terram petebant. Sed a calonibus Cæsar's clamore jactuque pilorum atque lapidum deterriti in oppidum se receperunt.

Appian.  
Civ. ii.  
Auct. de  
B. Afr.

Plut. Cæs.  
Auct. de  
B. Afr.

37. Reliquiæ victi exercitus ad priora castra, unde nuper egressi fuerant, refugerunt. Sed ibi neque præsidium ultra, neque dux erat, cujus auctoritate regerentur: et cum in regia castra profugerent, illa quoque jam a Julianis occupata repperunt. Quippe fortuna et impetu victoriæ Cæsar usus, et hæc castra fugiente Juba, et Afranio, qui seorsim tetenderat, exterrito, tertia quoque quasi momento ceperat. Tum ergo Scipionis milites, desperata salute, Julianos consalutant, Cæsar'sque implorant fidem. Nec eo minus a veteranis, ira et dolore effertis, conciduntur.

38. Quin et in Cæsar's exercitu quidam illustres a militibus interfecti sunt, ob tantam rem gestam cujuslibet delicti sibi pollicentibus impunitatem. Inter quos et Tullius Rufus quæstorius pilo transjectus est; et Pompeius

Rufus, vulnere in brachium accepto, nisi celeriter confu-  
gisset ad Cæsarem, esset occisus. Hæc tanta licentia, et  
quod ante Cæsaris imperium signa eccinerunt, fidem  
faciunt narrantibus inter instruendam aciem comitali Plut.  
morbo, quo frequenter solebat laborare, correptum, dum Sueton.  
pugnatur, in turri quadam propinqua quievisse. Cæs. 45.  
Plut.

39. Ideirco victæ quoque partes victoriam Cæsaris non Appian.  
militum suorum ignaviæ, nam eos quidem pugnavisse for-  
titer, sed partim ducum imperitiæ, partim fortunæ Cæsa-  
ris transcripserunt; quod tam facile victus erat exercitus  
octoginta millium armatorum, jam a multo tempore as-  
suetus operibus bellicis, et ex prima pugna magnam  
adeptus spem victoriæ. Ingentem profecto fuisse Cæsa- Plut.  
ris felicitatem, utro modo gesta res est, eventus docuit, Oros. vi. 16.  
cum hostium cæsis millibus quinquaginta,<sup>b</sup> captis sexa-  
ginta elephantis, vix quinquaginta milites amiserit.

40. Pugna feliciter confecta, Cæsar, relicto ad Thap- Auct. de  
sum C. Rebilo proconsule, ad Tisdrum Cn. Domitio, illo B. Afr.  
cum tribus, hoc cum duabus legionibus, Uticam præire  
M. Messallam jubet, ipse cum equitatu subsequitur. In-  
terea Scipionis equites, qui ex prælio fugerant, Paradam  
oppidum, ubi non recipiebantur, expugnant: incolas om-  
nes, cum rebus eorum atque facultatibus, in medio foro  
comburunt vivos: deinde Uticam proficiscuntur. Uticæ,  
sicut prædiximus, Cato curabat. Is, tertio post pugnam Dio.  
die, nuntio cladis accepto, convocavit in templum Jovis Appian.  
trecentos ex negotiatoribus, cives Romanos, qui Scipioni Plut. Cat.  
pecuniam ad bellum dederant, unaque senatores Romanos  
qui aderant, et senatorum filios.

41. Ubi comparuerunt, exorsus Cato, 'Fortuna,' in-  
quit, 'novum aperuit nobis ostendendæ virtutis atque  
constantiae theatrum. Victi sunt exercitus ducesque  
nostri, atque omnis residua spes salutis ac libertatis in  
nos recumbit. Sane cum magnitudinem cladis considero,  
tanta est, ut quorumlibet non firmissimorum animi terreri

<sup>b</sup> *Hostium cæsis millibus quin-* cano, decem tantummodo millia  
*quaginta]* Sic narrat Plutarchus. ex Scipionis exercitu cæsa esse  
At propior his rebus et tempo- memorat. Vid. not. ad c. 133.  
ribus testis, auctor de B. Afri- l. ciii. *Crcæ.*

ea atque domari queant: cum in vos respicio, cives, cum alacritatem fidemque vestram expendo, quæ neque pecuniis neque corporibus vos parcere sivit, dum reipublicæ consuleretis; eos esse existimo, qui censi debeant cuilibet fortunæ pares.

42. ‘ Sed neque præcipere vobis quicquam est animus; neque reformidantibus pericula necessitatem suscipiendorum imponere. Unum moneri res et benevolentia mea imperat, ut eodem consilio, qualecumque tandem illud probatum fuerit, utamini. Distracti sententiis et fuga, singulis etiam opportuni ad quamlibet injuriam eritis: junctos et unanimes neque spernet hostes Cæsar, neque supplices aversabitur. Ite igitur, et, utra videatur esse ratio potior, liberrima consultatione disquirite. Neque meos sensus recreatur quisquam. Fortunam sequentes necessitati hoc dare arbitror: obfirmantes animum, ut dignum tali exemplo erit, et admirabor, et laudabo, et hujusemodi me viris ducem atque commilitonem adjungam in omnes casus.

43. ‘ Neque vero conatibus consiliisque Thapsum, aut Adrumetum, aut hanc Uticam statuimus terminos. Roma cogitanda nobis est, communis omnium patria, caput rerum, et imperii sedes. Neque vero credibile est, huic omnium late populorum concessisse imperium Deos, ut ipsam alieno subjicerent arbitrio. Nobilium Urbi fatum est: ideoque multis sæpe fluctibus agitata rursus emersit, tyrannosque suos aut virtute sua excussit, aut felicitate evasit. Cinna quidem a suismet<sup>8</sup> militibus interfectus est. Marius atque Sylla acerbiore fato perierunt, quam qui a crudelissimis hostibus cum exquisito cruciatus necantur. Neque frustra celebratum est M. Drusi dictum, qui pater tribuni fuit: sacram esse rempublicam, eique penas esse persolutas ab omnibus qui violare illam sustinissent.

44. ‘ Igitur bonitate causæ Deorumque justitia fretis, ad hæc Romanæ reipublicæ fortuna, nihil præterea requirendum videatur. Sed tamen et alia supersunt, ob

<sup>8</sup> *A suis ille* edd. ante Crev.

quæ lætum rei exitum desperare nemo debeat. Quanti enim esse creditis, quod nos uni huic negotio intenti erimus, hosti plus etiam respiciendum est? Hispaniam Cn. <sup>Plut.</sup> Pompeius commovit: Roma ipsa jugi impatiens nondum didicit perferre servitatem.

45. ‘Sed nec extenuare pericula moris mei est, quæ non ignoranda, sed contemnenda viris fortibus arbitror. Exemplum vel ab hoste petite. Quantos ille labores exhausit, quanta adiit discrimina, ut vinceret eos quibusecum ei fuit contentio? Qua tandem ille spe, aut quo pretio? Non alio certe, quam tyrannidis, quæ neque tutior est omnibus illis periculis per quæ paratur; et si contingat vel quietissima, nulla non calamitate est miserior. At nobis, quis omne consilium in eo est, non ut injuriam faciamus cuiquam, sed ut rempublicam defendamus, neutra sors cadere infeliciter potest. Nam aut victoribus in libertate et legitimis honoribus fortunata vita per virtutem transigetur: aut vi superatis calamitatum finem mors afferet, non extinguet fructum virtutis gloriam. Sed de istis quidem inter vos deliberabitis, orantes supremum numen, uti vobis pro veteri virtute atque fide vestra animos consiliumque duit.’ Accensi hac oratione plerique, velut oblitī præsentium, bellica consilia agitabant: et erant quibus servitia liberanda in usum militiæ viderentur. Id recusavit Cato, negavitque suscepturum, nisi præbitos a volentibus. Cum multi pollicerentur, nomina dare quibus videretur jussit, utque hoc liberius facerent, consilio excessit.

46. Non diu postea literæ ei Scipionis atque Jubaë traduntur, diversis ex locis, argumento eodem. Rex in monte quodam cum paucis abditus, Scipio sub promontorio haud procul Utica stans ad anchoras, quid consilii Catoni esset sciscitabantur: ad se venturum recepturi, aut si ferre obsidionem decrevisset, suppetias laturo, quibuscum possent copiis. Cato, retentis paulisper tabellariis, cum se digresso refrixisse trecentorum ardorem cognosceret, hoc ipsum nuntiavit, Utica jubens abstinere, sibi que consulere: ‘se quicquid per præsentēs difficultates posset, fide sua facturum.’

47. Interim et ab equitibus præfecti tres affuerunt,

Auct. de  
B. Afr.  
Plut.

totidem afferentes consilia. Jubam alii ducem, alii Catonem optabant : quidam Uticensibus diffisi, quod ob beneficium legis Juliae favere Cæsari credebantur, oppido se includere renuebant. Cato cum præfectis agere cœpit, ‘persuaderent equitibus, uti valere jusso Juba Catoni se committerent Romano duci, atque Uticam ingrederentur, munitionibus tutam, et provisus in multos annos com meatibus.’ Idem etiam senatores cum fletu et precibus postulabant.

48. Interea M. Rubrius, quem ad trecentos miserat Cato, rediit iratus, et multa de perfidia hominum et inconstantia querens. Redierunt et præfecti equitum cum ferocibus mandatis, ‘nullam sibi societatem cum levibus et Punica perfidia infectis fore. Proinde qui sua opera uti cupiat, ejectis aut interfectis Uticensibus, in vacuum oppidum se accipiat.’ Longissime hæc abibant a mente et moribus Catonis. Itaque leni responso dimisit præfectos, ‘cum trecentis deliberaturum.’

Dio.  
Plut.

49. At illi palam et audacius negabant contra Cæsarem bellaturos : et a quibusdam fiebat senatorum mentio, ‘comprehendi eos et Cæsari dedi oportere, quo in reliquos fieret mitior.’ Idcirco dimittendos ex tanto periculo videns, abeuntes jam equites consecutus, oravit, ‘ut vel unam adhuc diem manerent, tutamque præstarent tot Romanis senatoribus fugam.’ Persuasi sunt a Catone equites, et partim in portis oppidi, partim in arce custodiae causa collocati, metum fecerunt trecentis, ne inconstantiae suae penae reposerentur. Idcirco miserunt ad Catonem, oratum, ad se veniret. Ille, delinitis sermone senatoribus, qui circumfusi negabant servatorem suum missuros in proditorum potestatem, solus ad eos profectus est. Illi veniam petierunt, ‘quod æmulari Catonianam constantiam nequirent; agnoscere se quod proavum ipsius fama esset dicere solitum, non posse omnes esse Catones. Sibi in animo esse, legatos mittendi ad Cæsarem, et ante omnia Catonis incolumitatem stipulandi : nec nisi hac impetrata arma posituros.’ Ad ea subridens ille negavit ‘sibi esse deprecatoribus opus, idque Cæsarem ipsum scire planissime. Sibi vero si consulant, se minime invito facturos.’

Plut. Cat.  
Maj. Plut.  
Cat. Min.

Appian.  
Plut.

50. Inter hæc, audito venire cum omnibus copiis Cæ-



sarem, 'vah!' inquit, 'tanquam adversum viros!' Jussisque maturare senatoribus, donec haberent equitum praesidium, portas oppidi clausit, una excepta maritima, per quam emittebat discedentes, naves tribuebat, tumultus sedabat, viaticum dabat egentibus. Haec agentem convenerunt a M. Octavio missi, cum duabus legionibus haud procul Utica consedissee nuntiantes, atque petere a Catone, ut secum statueret, quatenus imperium utriusvis esse deberet. Nihil his respondit. Sed conversus ad amicos, 'Et miramur,' inquit, 'quomodo victi simus, quos ne in extremis quidem deserit ambitio?'

51. Simul properavit ad equites, qui castra, quae fecerat ante oppidum Cato, eoque commigrare plebem Uticensium coegerat, oppugnasse dicebantur; et inde repulsi irrupisse in oppidum, multisque interfectis, diripere domos. Ut igitur hos averteret a rapinis et caedibus, singulis sestertios centum<sup>c</sup> dedit. Idem fecit et Faustus Syllae filius, dataque pecunia, cum his profectus est. Praedam tamen Uticensium repetiit a discedentibus Cato, incitato cursu assecutus: et cum auctoritate viri permoti primi ordines ablata restituissent, ceteri quoque projecerunt rapta, muti praepudore, et dejectis in humum oculis. Tum Cato reversus in urbem oravit Uticenses, 'ne trecentis irati essent, sed communiter deprecarentur Caesarem.' Haec fatus administrationis rationes et reliqua reddidit, obsignavitque pecuniam. Mox, profectus ad mare, postremum salutavit abeuntes.

52. Duobus persuadere non potuit ut a se discederent, filio suo, et Statilio cuidam. Statilius ad imitationem Catonis pectus obfirmaverat. Filius proficisci ad Caesarem jussus, interrogavit patrem, 'Quin igitur idem et ipse faceret, si faciendum esse judicaret?' At ille, 'Dispar est utriusque nostrum ratio, fili. Me natum atque educatum in libertate, concessum a Diis immortalibus donum proderet nefas: tu deteriore republica genitus, non debes recusare conditionem temporum, in quae incidisti.' Monuit tamen, ne capessere rempublicam vel-

<sup>c</sup> Sestertios centum] Tres uncias nostrates argenti, grossum 1. Crev.

Auct. de  
B. Afr.  
Plut.

let. ‘Neque enim nunc eam administrari, ut dignum esset Catoniano nomine, posse: secus autem fieri turpe esse.’ Commendavit deinde cum L. Cæsari, quo usus pro quæstore fuerat: petentemque Lucium adjuvit in oratione componenda, qua Cæsarem exoraret: cum pro se quemquam rogare quicquam districtissime vetaret. Tantum sollicitudinis laborisque et tædii vir iste sumendum putavit, ut aliis prodesset, dudum projecta vivendi cupiditate, et certa destinatione consciscendæ necis.

53. Ut tamen consilium tegeter, corporis curam adhibuit, lotusque cœnavit cum amicis et magistratibus Uticæ sedens: nam accubare post Pharsalicam pugnam desiderat. Productæ quin etiam poculis et sermonibus sunt epulæ, multisque de rebus erudita et jucunda confabulatio fuit: donec prolapsus ad decretum illud Stoicorum Cato, ‘solum bonum virum esse liberum,’ cum opponente se Demetrio Peripateticæ sectæ philosopho tanta contentione vocis vultusque disputavit, ut facile propositum ejus adverteretur. Unde cum mœstos sedere convivas videret, revolutus ad alios sermones eximere suspicionem conatus est. Deambulavit etiam a cœna, præfectisque vigiliarum imperavit quæ videbantur agenda: sed cubitum iturus arcitius diutiusque in complexu filii et ceterorum hæsit.

54. Inde novus illis timor, enseque supra cubile pendere solitum amoverunt. Cato cum libro Platonis qui Phædon inscribitur, cubiculum ingressus, interrogat servum, ‘quis gladium abstulisset?’ Illo tacente, lectionem continuat: paulo post iterum requirit ense, nec allato, librum pellegit. Tum singulos advocans servos, enseque flagitans acriter, unum etiam percussit pugno, manumque eruentavit. Postremo filium et amicos accurrentes increpavit asperius, ‘sibi nec deesse rationem moriendi si vellet, amoto gladio,’ dictitans, ‘neque vero putare ita excidisse mente, ut reciderit in filii tutelam.’ Illi, luctu atque mœrore propemodum exanimati, jubent afferri gladium. Quem ubi eduxit atque consideravit Cato, reposuit iterum, denuoque librum a capite ad calcem relegit ad lucernam: deinde securus obdormiit, ut stertentem perciperent qui excubabant pro foribus.

55. Sub mediam noctem Butam quendam accitum ad mare misit visum, anne jam solvissent omnes : et medico præbuit obligandam manum, quæ ex ictu intumuerat. Id spem fecit reliquis, vivere cum constituisse. Sed falsi sunt. Cum enim reversus Buta solvisse omnes renuntiasset, excepto Crasso, et vehementem ventum incubuisse mari; sorte fugientium indoluit, remisitque eundem, ut, si quis forte alicujus opis indigus remansisset, id ad se referretur. Ubi ille altum in portu silentium esse nuntiavit, janna claudi jussa, tanquam dormiturus in lectulum se reposuit. Sed statim arreptum mucronem infixit corpori : neque exanimatus, quia manus inflammata fuerat ad ferendum infirmior, decidit cubili, strepituque edito, excivit sollicitudinem suorum. Irrumpunt in cubiculum filius, et cum Demetrio Stoicus Apollonides. Medicus intestina videns illæsa, reponere in ventrem, atque consuere vulnus cœpit. Ille, passus donec discederent, manum injecit vulneri, dilaniatoque, et sparsis intestinis, qua cœperat via servitutem exivit.

Dio.  
Appian.  
Flor. iv. 2.  
Liv. Epit.  
Plut.

56. Decessit Cato anno ætatis undequingagesimo. Magni utique vir invictique animi, et indomitæ nec licentiosæ libertatis, sed legum et æqui observantissimus : ejus etiam laudandus exitus foret, si cuiquam ullo casu vitæ necisque suæ potestatem concessisset Deus. Nunc in re vetita saltem hanc abstulerit præ aliis similibus commendationem, ut ex toto desperatorum agmine nemo videatur insanisse speciosius.

Appian.  
et Dio.

57. Sed neque in vita ejus quicquam rectius carpitur, quam quod uxorem Marciam velut usurariam concessit Q. Hortensio, cum tres ei liberos peperisset, atque eo quoque tempore gestaret uterum. Id ejus factum quam Philippo Marciaæ patri probatum, et exemplo Socratis atque veteri Romanorum consuetudine<sup>d</sup> defensum, non immerito reprehendit Cæsar, falsam tamen causam hostiliter affingens, ' uxorem juvenulam ideo dedisse

Plut.  
Appian.  
Lucan.  
ii. 330.  
Strabo,  
xi. p. 515.  
Plut. Tertul.  
Apol. c. 39.  
Strab. Plut.

<sup>d</sup> *Veteri Romanorum consuetudine*] Hoc quidem ita scribit gravis cum primis auctor Strabo, sed solus : cui in re tam abhor-

rente a severitate Romani moris an credendum sit, dubitat Rualdus, Animadv. 25. in Plutar- chum. *Crev.*

utendam Hortensio, ut pro paupere divitem reciperet.<sup>9</sup> Nam hæres instituta ab Hortensio, post illius fata domum Catonis redierat.

Auct. de  
B. Afr.

58. Palam facta morte Catonis, Uticenses, licet ob partium studium oderant, tamen propter singularem integritatem, servatamque haud semel Uticam, et magnis operibus permunitam, publice sepeliverunt, cum multis magnisque<sup>9</sup> laudibus omnium: ne metu quidem impediendo officium, quod jam haud procul copiæ Cæsaris aberant. Tumulus ei mediocris positus est juxta mare, cum statua ejus gladium tenente. Ipse ab hoc eventu cognomine Uticensis a paris constantiæ gloriæque proavo distinguitur. Post mortem Catonis L. Cæsar in concione populi Uticensis suadet ut portæ aperiuntur. ‘Se profecturum ad Cæsarem imperatorem, cujus in clementia spem magnam habeat.’

Appian.  
Dio.  
Plut.

Dio.  
Auct. de  
B. Afr.

Plut.  
Dio.  
Appian.  
Plut.  
Cæs. et Cat.  
Cic. ad  
Att. xii. 4.  
et 5.

A. Gell.  
xiii. 18.  
Dio.  
Appian.  
Plut.

Tac. Ann.  
iv. 31.  
Sueton.  
Cæs. c. 56.  
Auct. de  
B. Afr.

59. Interim Cæsar, cognito Catonem, dimissis ceteris, Uticæ cum filio substitisse, non expediebat consilium viri. Dein audita ejus morte dixisse dicitur, ‘Invideo tibi mortem hanc, Cato, quando tu mihi servati tui famam invidisti.’ Tulit tamen civiliter postea celebrari a Cicerone Catonem, libro qui ‘laus M. Catonis’ inscribitur. Neque aliud, nisi tanquam apud judices respondit, duobus editis Anticatonibus.

Plut. Cat.

Auct. de  
B. Afr.

60. Receptis interim obiter Usceta et Adrumeto urbibus, vitaque Q.<sup>10</sup> Ligario et C. Considio filio concessa, Uticam pergit, quæ jam a Messalla custodiis ad portas oppositis tenebatur. Obvius ibi L. Cæsar se demisit ad victoris genua, vitamque duntaxat deprecatus, in præsentia quidem obtinuit: eademque venia Cæcinæ, C. Ateio, P. Atrio, L. Cellæ patri et filio, M. Eppio, M. Aquinio, Catonisque et Damasippi liberis data: itemque Statilio, qui Catonis exitum imitaturus a philosophis prohibitus fuerat. Uticensibus pro studio erga se gratias egit. Trecentos gravi et longa oratione incusatos, bis millics sestertio<sup>10</sup> mulctavit, ‘quam summam sex pensionibus populo

<sup>9</sup> Deerat in edd. ante Crev. *7d que*.

<sup>10</sup> Q. pro C. reposuit Crev. ex Auct. de B. Afr.

<sup>11</sup> *Bis millics sestertio*] Marcis argenti nostratibus 781250. Crev.

Romano per triennium penderent.<sup>7</sup> Conditionem omnes læti acceperunt (nam de salute sua putarant actum esse) seque illo demum die natos esse prædicantes.

61. Interim Juba cum Petreio Zamam fuga pervenit, quam duplici muro circumdato muniverat, regiamque sibi habnerat. Sed quia et ipse victus, et Sabura cum suis copiis deletus a P. Satio fuerat, contemptus est a suis exclususque. Nec caret defensione Zamensium perfidia: quod in medio foro pyram Juba construxerat, hoc proposito, ut in ultima desperatione civibus interfectis omnibus, rebusque pretiosis in rogam conjectis, ibi cum uxoribus liberisque cremaretur. Igitur, neque minis quicquam proficientibus, neque precibus, (nam et preces adhibere docuerat necessitas,) ne liberis quidem conjugibusque impetratis, in villam suam discedit: deinde similes expertus omnium civitatum animos, post magnificas epulas ferro cum Petreio concurrat, ut per virtutem interfecti viderentur. Petreius valentior facile confecit Jubam: ipse servi sui manu invenit necem.

Vitruv.  
viii. 4.  
Auct. de  
B. Afr.

Appian.  
Dio.  
Flor.  
Liv. Epit.  
Auct. de  
B. Afr.

62. Dum hæc aguntur, Cæsaris fortuna trahente omnia, Considius e Tisdritano oppido, cui præerat, cum Gætulis paucis in regnum profectus, a comitibus suis, qui succinctum pecunia senserant, interficitur: C. Virgilius Caninio Rebilo proconsuli, a quo Thapsi obsidebatur, se dedit: P. Satio, qui plurimum eo bello Cæsari contulerat, vix leviter notus antea, dum per Mauritaniam ad imperatorem proficiscitur, in Faustum et Afranium incidit, qui cum equitibus Scipionis Utica discesserant. Is reliquos partim cædit, partim accipit in deditionem, Afranium et Faustum cum conjuge et liberis capit vivos.

63. Uxori Fausti, quæ eadem Pompeii erat filia, duobusque liberis ejus Cæsar incolumitatem suaque omnia concessit, et ad fratrem proficisci passus est. Afranius et Faustus, tanquam temere orta in exercitu seditione, unaque Petreius filius, interficiuntur. Sed Cæsaris jussu factum non dubitatur, cujus etiam inter artes referunt, quod invisos sibi per milites clam curaverit occidendos, ne clementiæ simulationem omitteret. Sic et Tullium Rufum aliosque inter prælium cum Scipione perisse: sic

Appian.  
Liv. Epit.  
Oros. vi.  
16.  
Auct. de  
B. Afr.  
Dio.

L. Cæsarem, quanquam receptum in gratiam, per insidias interfectum. Quippe iudicii specie, quod liberos servosque Cæsaris ferro et igni crudeliter enecuisse, bestias quoque ad spectaculum venationis comparatas trucidasse dicebatur, militum objecisse ferociae, a quibus quasi per iram interficeretur. Afranium certe et Faustum imperio Cæsaris occisos neque dubium est apud auctores plerosque, neque adeo mirum, quia semel impetrata venia dimissi, denuo ad oppugnandum eum se converterant: cui generi hominum haud sine causa erat infensissimus. Servavit tamen hic quoque institutum suum, ut amicorum atque familiarium deprecationi condonaret<sup>11</sup> singulos. Et Octavius quidem adolescens, qui postea Augustus appellatus est, pro Agrippæ sui fratre, qui eodem bello apud M. Catonem fuerat, avunculum exoravit.

64. Sed Scipio et T. Torquatus, unaque Damasippus et Plætorius Rustianus, cum duodecim navibus apertis multum diuque jactati, cum Hispaniam peterent, adversis ventis in Africam relati, apud Hipponem Regium a classe P. Sittii excipiuntur. Ibi Scipio, cum animadverteret navim, qua vehebatur, ab hostibus capi, gladio se transverberat: et, quærentibus qui interea irruperant, ubi imperator esset, 'Imperator,' inquit, 'bene se habet.' Eodem tempore ceteri quoque a Sittianis militibus interimuntur. Quibus, ob navatam eo bello operam, cum alia præmia dedit Cæsar, tum Cirtam, olim regum domum, quam ceperant, habitandam concessit: unde colonia Sittianorum appellata.

65. Ipse interim Zamæ pecunias cogit, cives Romanos qui contra se pugnaverant, mulctat; provinciaque ex regno facta, C. Sallustium Crispum pro consule præficit, qui tam avidè dicitur expilasse provinciam, ut hoc ei fuisse injunctum a Cæsare quidam erediderint: alii pactum cum eo magna pecunia scripserunt, ne causam diceret. Deinde regressus Uticam, bona eorum qui sub Scipione duxerant ordines, vendidit. Thapsitanos Adrumetanosque pecunia, Leptitanos tricies centenis millibus

Sueton.  
Cæs. c. 75.

Eutr.Zonar.  
Flor. Dio.  
Sueton.  
Nic. Dam.  
de Instit.  
Aug.

Cic. ad  
Fam. vi.13.  
Dio.

Nicol.  
Damas.

Oros.  
Auct. de  
B. Afr.

Appian.  
Dio. Oros.  
Val. Max.  
ii. 2.  
Sen. Epist.  
24.

Flor.  
Liv. Epit.  
Auct. de  
B. Afr.  
Appian.  
Civ. iv.

Mela i. 6.  
Plin. v. 3.  
Auct. de  
B. Afr.  
Appian.  
Dio.  
Cic. in  
Sallust.

Auct. de  
B. Afr.

<sup>11</sup> Condonaverat edd. ante Crev.

pondo <sup>l</sup> olei in annos singulos, Tisdritanos certo frumenti modo muletat.

66. Inter hæc rem summæ mansuetudinis, sed et prudentiæ, facit, cremandis quæ repertæ in scrinio Scipionis erant variorum epistolis: sicut et apud Pharsaliam antea, et olim Pompeius, debellato Sertorio, summa cum admiratione hominum atque laude fecerat. Ita multorum, qui contra ipsum senserant, opprimere crimina, quam exequi malebat: ne quos, mutata fortuna, animum mutatu-  
 rous esse sciebat, permanere in odio et inimicitiiis vel nolentes cogeret. Tantis rebus tam celeriter confectis, Idibus Juniis Uticæ conscendit, et in Sardiniam trajec-  
 tus, Sulcitanis, qui Nasidium elassemque ejus receperant, imperat pecuniam: mox solvens a Caralibus ante diem III. Kalendas Quintiles, quia propter tempestates subinde hærendum in portibus fuerat, duodetrigesimo die Romam venit. Ibi cognoscit in Gallia quoque per absentiam suam a D. Junio Bruto legato rem fortiter feliciterque gestam, victosque prælio Bellovacos, qui eum vicinis aliquot populis rebellaverant.

Dio.

Plin. VII.  
25.Supra,  
xcvi. 19.Sen. de  
Ira, c. 23.Auct. de  
B. Afr.

Liv. Epit.



<sup>l</sup> *Tricies centenis millibus pondo*] Libris pondo Parisiensibus 234375. *Crev.*

# SUPPLEMENTUM

## LIBRI CXV.

### HISTORIARUM

### T. LIVII PATAVINI.

---

---

Dio, XLIII. 1. **R**EVERSUS in Urbem Cæsar, ut omnia suis armis cecissee ostenderet, simul admiratione virtutis et metu potentia civis suos recipere servitutem et pati doceret; quatuor simul triumphos apparavit. Neque vero senatus cunctanter subibat jugum, jamque ultro plura prope, quam postulare Cæsar voluisset, decreverat: 'supplicationes dierum quadraginta, equos albos in triumphis, et lictores quos et tum haberet, quosque in prima et secunda dictatura habuisset. Præfectum quoque morum,' novo nomine reperto, quasi vetus illud 'censoris' usu viluisset, 'esse' jusserunt 'in triennium, dictatorem in decennium: <sup>1</sup> utque suggestus fieret in curia. Uti consiliibus, qui quoque tempore essent, in sella curuli assideret, primusque sententiam diceret: ludis Circensibus omnibus mappam mitteret: magistratus a populo declaratos renuntiaret: utque currus statueretur in Capitolio, adversum Jovem spectans: utque simulacrum ejus eodem loco poneretur, orbem terrarum calcans: in basi inscriberetur, CAESARI HEMITHEO: utque, deleto Catuli nomine, instaurator Capitolii Cæsar scriberetur.' Neque

Sueton.  
Cæs. c. 76.  
Dio.

Flor. IV. 2.  
Dio.

<sup>1</sup> *Jusserunt in decennium tantum exhibetur in edd. ante Crev. Ex Dione correxit Crev.*



hic stetit adulantium humilitas: multaque decreta sunt tam serviliter, ut ipsi quoque nimia viderentur. Sed quæ memoravimus recepit. Catuli tamen nomen, dum pudore delere cunctatur, in Capitolii dedicatione mansit.<sup>a</sup>

Tac. Hist.  
III. 72.

2. Sed honores tam prodige decretos sibi plurimum metu quam benevolentia sentiens Cæsar, ad conciliandos firmius animos, in senatu verba hunc in modum fecit: 'Utinam mortalibus hunc animum Dii dedissent, ut a mutuis injuriis temperantes, amicitiam pacemque colerent: neque bella geri, etiam, quod tristissimum est, civilia necessum foret, neque ex bellis deinceps aut eruenta odia, aut occultæ suspiciones timerentur! Sed quando contra potentiam et improbitatem paucorum defendi rempublicam oportuit, armisque vindicari quod amicitiae juriq[ue] denegatum fuerat; in eam necessitatem incidi, ut aut mihi cadendum cum libertate fuerit, aut ii prosternendi qui nos perditos deletosque cupiebant.

3. 'Et fortuna quidem justiori affluit causæ, multorumque præliorum eventu declaravit, nondum abjecisse curam Romanæ rei Deos. Atque hoc etiam subinde apparebit clarius, cum facta consultaque mea dies aperiet, magnisque documentis palam fiet, qualem ei dederint animum, cui daturi victoriam belli arbitriumque pacis fuerant.

4. 'Nolim enim vestrum quenquam ita maligne de me judicare, patres conscripti, ut aliorum exempla, quam meos mores secuturum putet: neque, si mihi victoria contulit, ut possem, quæ cupiam, facere, aliud facturum credatis quam oporteat. Si Marium, et Cinnam, et Syllam, quorum naturam periculum texerat, nudaverunt vic-

<sup>a</sup> *Catuli tamen nomen, dum pudore delere cunctatur, in Capitolii dedicatione mansit*] Tacitus hoc solum memorat, Catuli nomen usque ad Vitellium mansisse. Quod hic Freinshemius addit, ex mera ipsius conjectura est: non illa quidem satis probabili. Neque enim is erat Cæsar, quem pudor a cupitis facile deterret. Ryckius ad hunc Taciti locum suspicatur, erasum quidem fuisse Catuli nomen, sed

ita ut deletarum literarum vestigia apparerent, quod sæpe in antiquis marmoribus conspicitur. Sed si res ita esset, Tacitus sane existimandus esset negligenter admodum et improprie locutus esse. Nobis verisimilius videtur Dionem errasse, illudque decretum de Catuli nomine delendo, et Cæsaris inseribendo, aut factum non esse, aut a Cæsare repudiatum.

toriae ; non ideo me his similem fore existimaveritis, cujus moderationem, ne recensendo singula me laudare videar, non mutarunt tot prospera, sed probaverunt. Enimvero neque erga fortunam irreverenter me geram, aut indignationem excitabo Deorum, quos ferme non ulterius beneficia sua sarta tecta praestare coguovi, quam donec homines his modeste atque sapienter utuntur.

5. ‘ Neque vero ab initio belli aliud mihi propositum armorum praemium fuit, quam ut, victa invidia atque insolentia, virtutem explicarem meam tuto, et ex augenda utilitate publica gloriam acquirerem. Quos igitur in aliis reprehendi atque persecutus sum mores, iis absit ut me cupiam dedere, similemque his ostendere quos superavi. Ego vero potius ipsa fortuna mea incitor, ut, nisi olim summa mihi voluntas fuisset omnia rite atque ordine administrandi, vel inde majorem sumturus impetum fuerim.

6. ‘ Quem enim potius benefacere multis verum est, quam penes quem earum rerum maxima est facultas? Cui vero minus aut concessum est peccare, aut necessarium? Deorum autem beneficia a quo aestimari rectius possunt, quam ab eo cui illi summa omnia contulerunt? Quis majorem concordiae pacisque publicae aget curam, quam cujus eam servari maxime interest? Is igitur et animo imperabit plurimum, et potentia temperanter utetur : quis sine contineri magnam felicitatem diu non posse nemo dubitat. Quid si ad haec accedat studium gloriae, qua una in re me fateor esse intemperantiorem? An non qui et diligere a praesentibus, et laudari a posteris volet, operam dabit ut iis factis moribusque studeat, per quae ista tam pulchra atque desiderabilia quam certissime et comparantur et retinentur?

7. ‘ Neque haec a me fingi, fidem vobis praeterita non minus quam praesentia facient. Nihil locutus sum, quod non praeme tulerim perpetuo: et si potentia mutasset animum, nunc maxime tempus erat declarandae voluntatis, postquam deletis non partibus modo, sed etiam reliquiis partium, sospes incolumisque et victoriae compos redii. Sed prius omnia in me gravia atque acerba expetant, quam hunc induam animum, ut tyrannus patriae et civium,

quam rector atque princeps audire malim. Consulatus et dictaturas quas<sup>2</sup> dedistis, ad salutem hominum, non ad perniciem valere volo.

8. ‘ Hujus destinationis spondere fidem perpetua mea consuetudo debet. Qui enim credere poteritis periculum a me cuiquam innocenti fore, quem scitis veniam dedisse semper, a quibus infestissime fueram oppugnatus; nonnullis et iterato? Aut quomodo indulgebit suspicionibus, qui repertas apud Pompeium, apud Scipionem literas introspicere noluit, et in ignem conjecit, ut quos a pœna jam absolverat, etiam a metu omni liberaret? Igitur, posita semel cura, et præteritorum oblitterata memoria, tanquam recens in ejusdem reipublicæ societatem venissemus, benevolos amicosque afferamus animos, ut et vos meorum laborum fructum percipiatis, paternam rebus vestris adhibitori curam; et ego vestra prosperitate, tanquam boni parentes liberorum secundis rebus, gaudeam.

9. ‘ Sane nihil tam in votis habeo, quam uti omnes a delictis temperando lenitatem meam sibi propriam atque perpetuam esse patiantur: si tamen aliquid forte peccatum erit, homines nos esse meminero. Et virtuti quidem recteque factis semper erunt apud me parata præmia: errantes, quam mansuetissime poterit, ad officium revocabuntur. Neque milites meos timueritis. Communis mihi atque vobis imperii custodes sunt, alendique multas ob causas necessario. Sed neque contra vos alentur, et contenti his quæ dederitis, amare discent eos a quibus accipient. Sane pecuniæ plus solito exegisse fateor: sed hoc, quam seditiosos habere milites, præstabat, et levi profecto impensa redemptum est, quicquid peccare conscii victoriæ exercitus, inopia et necessitate irritati, potuissent.

10. ‘ Mibi nihil ea diligentia quæsitum est: quin omne patrimonium effusum pro republica, et grande insuper æs alienum contractum. Sed, quemadmodum ipsi liquido cernitis, pars in sumtus bellorum erogata, reliquum ad vos reportatum est: ut ad vos omnis hujus opulentiae fructus, ad me solum exigendi acerbitas et

2 *Dictaturæ quas Cler. dictaturæ quos reliquæ edd. ante Crev.*

invidia perveniret. Sic enim locuples facta respublica dignitatem vestram opesque præstare tutas potest: quando nec imperium sine militibus, neque milites sine stipendio retinentur. Absit tamen, ut cuiquam molestus sim pecuniæ causa. Neque vectigalia nova constituam: veteribus contentus ero. Semperque potius eo cogitationes curasque meas conferam, quemadmodum vos opibus honoribusque augeam, quam quemadmodum aliquid abradam<sup>3</sup> de præsentibus.' Apud populum deinde similia cum disseruisset, multum quidem extinxit de priore hominum cura: fiduciam excitare non potuit, priusquam rebus ipsis comprobata promissa vidissent.

11. Inter hæc apparatu facto, qualem magnitudo rerum gestarum excusare, opes imperii unius in manum redactæ pati potuerunt; quatuor triumphis Urbem ingressus est, eodem mense, sed interjectis diebus. Primum et excellentissimum egit de Gallis, quorum multas magnasque nationes subegerat, cujus apparatus fuisse traditur ex citro. Rhenus ibi traductus est, Rhodanusque, et ex auro captivus oceanus. Ingens multitudo nobilium captivorum curram antecessit, et imperator quondam omnium Vercingentorix. Et hic quidem, acto triumpho, cum aliis quibusdam necatus est.

12. Sed ejus diei lætitiã interpolavit casus in omen tractus a plerisque. Prætervehens enim Fortunæ fanum quod in Velabro Lucullus exædificaverat, axe diffracto pæne curru excussus est: et dum alius apparatus atque adducitur, obortæ sunt tenebræ. Ascenditque in Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra lævaque lychnuchos gestantibus. Cæsar genibus per gradus Capitolii repsit: quanquam et ipse jam staret inter Capitolina numina, curramque Jovi oppositum, et titulum haberet homine majoris. Sed et inscriptionem illam sustulisse paulo post dicitur, solo nomine relicto.

13. Inter hunc honorem Cæsar, cum omnium hominum magnitudinem egressus potentia ac felicitate videretur, annotata sunt carmina plena probri, quæ curram inse-

quens exercitus militari licentia jecerat. Allectos in senatum novos homines ignotosque traducebant: Cleopatrae, mulierumque aliarum, etiam provincialium, objiciebant amores, ‘mæchum calvum’ canentes ‘adducere, qui Romæ mutuum sumpsisset aurum, in Gallia prodegisset turpiter.’ Potentiam quoque male partam sugillabant, Dio. ‘si juste vellet agere, pœnam daturum; quod scelestus esse pergat, dominari.’ Præmiorum quoque parsimoniam Plin. xix. 8. cavillantes, alternis versibus exprobravere ‘lapsana se vixisse apud Dyrrhachium.’ Sed hæc quidem omnia æquo animo Cæsar patiebatur: ‘gaudere’ quin immo dicebat, ‘nosse milites suos, quam bono imperatore uterentur.’ Unius dicti acerbitatem, quod objectum sæpe ab inimicis probrum continebat, ægrius tulit: ‘Gallias a Cæsare subactas esse, Cæsarem ipsum a Nicomede: et triumphare Cæsarem, non triumphare Nicomedem.’ Id vero falso sibi objeci testatus, etiam jurejurando interposito, non ideo potuit expugnare contumaciam famæ, quin ultro tam impudens defensio irrideretur.

14. Triumpho peracto, epulum populo datum per multos dies: duoque et viginti trieliniurum impleta sunt millia. Frumentum accipere solitæ plebi deni modii<sup>b</sup> extra Plut. Cæs. ordinem, ac totidem olei libræ distributæ. Quippe postremo bello vectigal annuorum frumenti ducentorum millium medimnorum Atticorum,<sup>c</sup> olei tricies centena millia Plut. librarum adjecisse reipublicæ commemorabat. Nummos Dio. quoque promissos olim iisdem divisit, viritim trecentos: Sueton. et et pro mora et velut usura, centeni insuper additi.<sup>d</sup> Appian. Veteranis itidem, super bina sestertia,<sup>e</sup> quæ belli civilis initio pronuntiaverat, vicena millia nummum dedit, centurioni-

<sup>b</sup> *Deni modii*] Modii nostrates fere octoni. *Totidem olei libræ*. Intelligendæ videntur mensuræ librales. Decem autem librales mensuræ olei sunt libræ nostrates pondo 6. uncia 8. cum sexta uncia parte. *Crev.*

<sup>c</sup> *Ducentorum millium medimnorum Atticorum*] Modiorum nostratum 925000. *Tricies centena millia librarum*. Apparet ex c. 65. libri superioris libras pondo

hic intelligendas esse. *Crev.*

<sup>d</sup> *Nummos . . . trecentos: et . . . centeni insuper additi*] Quadringenti sestertii efficiunt unam libram argenti Romanam: uncias nostrates 12. cum semuncia. *Crev.*

<sup>e</sup> *Bina sestertia*] Marcas argenti nostrates 7. uncias 6. semunciam 1. *Vicena millia nummum*. Marcas 78. unciam 1. *Crev.*

bus duplum, tribunis alarumque præfectis quadruplum. Quod autem numerum eorum, qui frumentum e publico acciperent, per licentiam temporum, præter modum excrevisse compererat, recensum<sup>f</sup> eorum egit vicatim, numerumque de trecentis viginti millibus ad centum quinquaginta millia retraxit.

Sueton.  
Cæs. c. 41.  
Liv. Epit.  
Appian.  
Plut. Dio.  
Flor. et  
Dio.

Appian.  
Vell.

Dio.

15. Altera deinde laurus Ægyptia fuit, ductaque ante currum Arsinoë, Nilusque translatus, et ad simulacrum ignium ardens Pharus. Achillæ quoque et Pothini spectati exitus. Hujus triumphi apparatus fieri jusserat e testudine. Singulorum enim triumphorum fercula et instrumenta diversa e materia parari, ad ostentationem magnificentiæ, et voluptatem oculorum, visum illustrius fuerat. Sed Arsinoë post triumphum, in gratiam fratris sororisque, dimissa est.

Flor.

Sueton.  
Cæs. 37.  
Vell.  
Plin.  
XIII. 9.

16. Tertius de Pharnace currus Ponticum triumphum invexit. Inter ejus pompæ fercula trium verborum titulum prælatum aiunt, VENI, VIDI, VICI. Hujus triumphi fuit apparatus ex Ægyptia spina, quæ circa Thebas maxime nascitur.

Flor.

Appian.  
Plut.

Plin. v. 1.  
Vell.

17. Quartum ex Africa triumphum duxit, de rege Juba, cujus et filius puer ductus est fortunata captivitate. Quippe liberaliter educatus Romæ, et regnum utriusque Mauritaniæ tenuit postea, et Græcis literis eruditus, memorabilior etiam claritate studiorum quam regno habitus est. Hujus triumphi fercula constabant ex ebore, cujus et copiam eadem victoria subministraverat.

Appian.

Cic. Phil.  
VI. 6. Dio.

18. Diversus animorum sub eos dies habitus fuit. Dolorem multa afferebant: præsertim quod de civibus Romanis, etiamsi titulo abstineretur, re et facto triumphabatur. Omnium enim præliorum tabulæ præferiebantur, et illustrissimi ejusque noscebantur imagines, una Pompeii effigie demta, quam invidiæ declinandæ Cæsar omiserat. Sed Catonis, Scipionis, et Petreii extrema eliciebant lacrymas: neque Gallico triumpho lata Massilia, neque

<sup>f</sup> *Recensum*] 'Census' et 'recensus' differunt. Census numerum inibat omnium omnino civium: recensensus autem hic a Cæsare actus, examen erat et disquisitio

brevis in eos qui jure aut injuria capiebant e frumento publico. Ita fere Berneggerus ad Suetonium. Vid. et Rualdi *Animadv.* 24. in Plut. *Crev.*

Ægyptio ducta Arsinoë parum indignationis ac misericordiæ commoverat. Quin et lictorum numerus, nullius unquam spectatus imperio, admonebat homines sortis suæ, et alienam vicem oblitos, suæ fortunæ cogebat ingemiscere. Vicissim captivorum reputantes multitudinem, et quam infestarum populo Romano gentium robur hi fuissent, rerumque gestarum inauditam antea magnitudinem, ab odio Cæsaris ad laudes et admirationem transferbantur. Delectabant et Achillæ Pothinique pœnæ, et Pontici regis tam celeriter dejecta arrogantia. Opes etiam translatae (ad decies sexies millies sestertium<sup>g</sup> fuisse reperio, coronas aureas, dona regum ac civitatum, duo millia octingentas viginti duas, auri pendentes pondo viginti millia quadringenta quatuordecim<sup>h</sup>) mulcebant animos, magnam exinde partem suis mox usibus aut voluptati cessuram, scientium.

19. Nam et viscerationem populo dedit Cæsar, et omnis generis spectacula diversis causis. Forum enim suum, eo quod Romanum vocabatur, pulchrius, sed minori latitudine, ubi jus redderetur, templumque Veneris Genitricis, et juxta numinis effigiem Cleopatrarum simulacrum dedicavit, cum multis et aliis nobilium artificum tabulis; inter quas Timomachi Ajacem et Medeam octoginta talentis<sup>1</sup> emisse traditur. Locavit ibidem equi sui effigiem, qui humanis similes priores pedes habuit, neque sessorem recipere voluit nisi Cæsarem: statuamque sibi loricatam dicari passus est, cum effigie quam Arcesilaus fecit. Struxit et amphitheatrum, ubi funebribus filiarum ludis pronuntiatum olim populo munus atque venationes exhibuit.

20. Fecit et ludos regionatim, per omnium linguarum histriones, item circenses, athletas, naumachiam. Mummere gladiatorio depugnaverunt quidam Romani equites, sed

<sup>g</sup> Decies sexies millies sestertium] Marcus argenti Parisiensis 6250000. Sequitur Appianum Freinshemius. Velleius enim minorem summam habet, nempe sexies millies, sive marcas argenti nostrates 2343750.

Crev.

<sup>h</sup> Auri . . . pondo viginti millia quadringenta quatuordecim] Marcus 31597. uncias 6. Crev.

<sup>1</sup> Octoginta talentis] Marcus argenti 7500. Crev.

Appian.

Vell. 11.  
56. et ibi  
Lips.  
Appian.

Sueton.  
Cæs. 38.  
Plut. Dio.  
Appian.  
et Dio.

Plin.  
xxxv. 4. et  
11. et vii. 39.  
Plin. viii.  
42.  
Sueton.  
Cæs. 61.  
Plin.  
xxxiv. 5.  
Dio et  
Plut.

Sueton.  
Cæs. 39.

- et **Furius Leptinus**, cujus pater præturam gesserat, et **Q. Calpennus**, senator quondam actorque causarum. **Dimiticare** et **Fulvius Setinus** senator voluerat, sed **Cæsar** negavit passurum in senatoribus, equites admisit. **Pyrrhicham** saltaverunt **Asiæ Bithyniæque principum liberi**.
- Dio.**
- Sueton.**
- Cic. ad Fam. XII. 18.**
- Macrob. Sat. II. 7.**
21. **Ludis D. Laberius** eques Romanus mimum suum egit, quanquam sexagenarius, quod ipse diligenter excusavit in prologo, coactum se testatus ‘blanda vi illius, cui ne **Dii** quidem ipsi negare quicquam potuissent.’ Sed neque serviliter se gessit in actione, ultusque est injuriam dictis liberis sub aliena persona, ‘**Quirites** libertatem perdere,’ exclamans; et, quo versu totum in se populum convertisse dicitur, quasi vocem misisset publici affectus, ‘**Necessum** esse multos timeat, quem multi timent.’ Alienavitque ea libertate **Cæsarem**, ut **Publium** ei mimographum anteponeret: statimque **Publio** palmam, **Laberio** annulum aureum cum quingentis sestertiis daret.
- A. Gell. xvii. 18.**
- Macrob.**
22. Neque tamen **Laberio** vel excusatio sua, vel potentia **Cæsaris** præsidio fuit, quominus equestri loco indignus post mimum actum haberetur. Cum e vestigio in quatuordecim sessum iret, per orchestram, qui senatorum in theatro locus erat, transeunti, **Cicero** ait, ‘**Reciperem** te, nisi anguste sederem:’ simul et illum respiciens, et cavillatus in numerum senatorum, quem **Cæsar** supra modum auxerat. Nec tacitum a **Laberio** tulit, ‘mirum anguste sedere, qui duabus soleret sedere sellis.’ Sed nec ab equitibus receptus est, qui gemino dedecore commaculatum ordinem interpretabantur, et quod eques Romanus in scenam attractus esset, et quod mimus in quatuordecim remissus. Idcirco ita se coactaverunt, ut venienti non esset locus.
- Sueton. Vitruv. v. 6.**
- Sen. Contr. vii. 3. et Macrob. Sat. II. 3.**
23. Sed neque ejusdem ordinis plerique temperabant a majoribus probris. **Circensibus**, spatio circi ab utraque parte producto, quadrigas bigasque et equos desultores agitavit patricia juvenus. Ejusdemque nobilitatis turma duplex, majorum et minorum puerorum, **Trojam** lusit. Venationes per quinque dies sunt editæ: et novissimo quingeni pedites, viceni elephantû, equites treceni commissi, sublatis metis, quo spatium dimicantibus esset,
- Sueton.**
- Dio.**
- Sueton.**
- Appian. Sueton.**



binisque castris eorum in locum repositis, curipoque in gyrum addito, contra eruptionem belluarum. Athletæ, stadio ad tempus exstructo, in regione Martii Campi certaverunt per triduum. Plin. VIII. 7.  
Sueton.

24. Græcis ludis C. Octavium præfecit, sororis suæ nepotem, quem successorem fortunæ suæ destinatum variis jam tum honoribus evehebat. Nam et nuper quatuordecim annis nato virilem simul togam et sacerdotium in locum L. Dómitii dederat: et Latinis præfectum Urbis constituerat: et triumphans, ornatum donis militaribus, quanquam interesse non potuerat bello, currum suum prosequi jusserat. Navale prælium, non in mari aut lacu aliquo, sed in minore Codeta<sup>k</sup> exhibuit, parte Martii Campi effossa, et immisso flumine. Concurrerunt biremes ac triremes quadriremesque Tyriæ et Ægyptiæ classis, quadringenis remigibus instructæ, et millenis navalibus sociis. Nic. Dam.  
de Instit.  
Aug.

25. Et hæc omnia spectacula cum tanto hominum concursu celebrata essent, ut plerique advenæ inter vicos aut vias sub pellibus manere cogentur, multique mortales, et in his duo senatores, eliderentur in turba; ab iis ipsis quorum summa in talibus cura atque voluptas erat, Cæsaris reprehendebatur cum sævitia prodigalitas, qui non contentus immenso sanguine, quem prælia hausissent, nunc per ludum et jocum tantam vim ejus, una cum extortis iniquissime pecuniis effunderet. Opera quoque data fuerat, ut omni temeritate sumtuum cujuslibet priorum exempla vincerentur. Munere gladiatorio carbasinis velis totum forum Romanum intexit, ut spectatores a sole defenderet, Viamque Sacram ab domo sua ad Clivum usque Capitolinum: quod munere ipso visum esse mirabilius tradunt. Studuit etiam inusitata quædam naturæ opera ostendere; tumque primum Romæ visa est camelopardalis. Sueton.  
Aug. 8.  
Dio.  
Sueton.  
Cæs. 39.  
Appian.

<sup>k</sup> In minore Codeta] Sic explicat vocem Codeta Festus: Codeta appellatur ager trans Tiberim, quod in eo virgulta nascentur ad candarum equina-

rum similitudinem. Minor Codeta et major sic appellata, observante Casaubono ad Suetonium, ut Velabrum majus et minus, et alia in eadem urbe. Cret.

Plin. XIX.  
1. et Dio.

Plin. VIII.  
18. et Dio.

Dio. 26. Sed aliorum inermes erant querelæ, nec ultra sonitum processuræ inanium vocum: milites perniciose moveri cœperant, non cura honesti aut inutilium sumtuum tædio, sed quia non potius inter ipsos pecunia dividebatur. Neque quieverunt, priusquam sua manu correptum aliquem superveniens Cæsar ad supplicium centurionibus tradidit. Sed hic quidem non injuste perierat. Duos alios innocentes stolidissimæ superstitionis crudelitas absumsit, ne publici quidem erroris ullo prætextu defensa. Cum enim neque Sibyllinis libris hoc jussum esset, neque ullo alio recepto oraculo, duo viri in Campo Martio a pontificibus et Martiali flamine immolati sunt.

Sueton. Cæs. 41. Dio. Sueton. Cæs. c. 30. Cic. Phil. 1. 8. Dio. Sueton. Cæs. c. 42. 27. Inde conversus ad ordinandum reipublicæ statum, judicia senatoribus et equiti tradidit, remotis qui tertii ordinis fuerant ærariis tribunis. Et quia seipsum, propterea quod multis continenter annis Galliam obtinuisset, imperii consuetudine captum norat, tulit, ne prætorix provincix plusquam annum, ne plusquam biennium consulares obtinerentur. Ad replendam porro Urbem, quæ superioribus bellis vehementer exinanita fuerat, et coloniis transmariis deducendis, quo circiter octoginta millia civium detinebantur; sanxit, ne quis civis major annis viginti, minorve quadraginta, qui sacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abesset: ne quis senatoris filius, nisi contubernalis, aut comes magistratus, peregre proficisceretur: neve hi qui pecuariam facerent, minus tertia parte puberum ingenuorum inter pastores haberent.

Dio. Sueton. Dio. Sueton. Cæs. c. 43. Euseb. Chron. num. 1972. Sueton. 28. Proposuit et iis qui multos susciperent liberos, præmia: et omnes medicinam Romæ professos, et liberalium artium doctores, quo libentius et ipsi Urbem incoerent, et alii appeterent, civitate donavit. Sumtus quoque recidit, non lata modo diligenter, sed etiam excreta lege. Usus conchyliatæ vestis, et margaritarum, nisi certis personis et ætatibus, perque certos dies, ademit. Lecticis etiam uti matronas prohibuit, quæ nec viros nec liberos haberent, et minores essent annis quinquaginta quinque. Circa macellum custodes disposuit, qui opsonia contra vitium emta retinerent, deportarentque ad se: summissis

nonnunquam hictoribus atque militibus, qui si qua custodes sefellissent, jam apposita e mensis ipsis afferrent.

29. Correxit et fastos, jampridem superiorum temporum ignorantia, et per licentiam intercalandi, dum pontifices in gratiam publicanorum extendunt, aut contrahunt tempora, ita turbatos, ut neque messium feriæ æstati, neque vindemiarum autumnio responderent; et jam, quod ex emendatione Cæsaris intelligitur, qui v. Nonas Octobres esse debuerat dies,<sup>1</sup> principium anni haberetur. Igitur, repudiata veterum ratione, qui secuti lunæ revolutiones fuerant, ad solis cursum ordinavit, Ægyptiis adhibitis, et principe omnium Sosigene, quos Alexandriæ consuluerat; et M. Flavio scriba amittente.

30. Sed Alexandrini tricenos dies in menses partiti, sub finem anni quinque reliquos addebant. Id displicuit Cæsari, potiusque visum, et illos quinque dies, et alios insuper duos Februario detractos,<sup>m</sup> certis mensibus adjicere, et quadrantes diei, (eo enim ferme spatio solis conversio dies trecentos sexaginta quinque superat,) colligere, donec ex his confecta dies quarto quoque anno intercalaretur, eo mense ac loco, quo etiam apud veteres intercalari consueverat, id est, ante quinque ultimos Februarii mensis dies: idque bissextum censuit appellandum, quod nimirum id biduum pro uno die haberi, et diem sextum Kalendas Martias vocari volebat.

31. Ut igitur tam fœde luxatus annus ad siderum cœlique leges revocaretur, cum illos supervacuos dies, ad sexaginta septem, inter Novembrem ac Decembrem interje-

<sup>1</sup> Qui v. Nonas Octobres esse debuerat dies] Eryc. Putcanus, lib. de Bissextis, c. 10. probat Kalendas Januarias ejus anni qui præcessit emendationem, incidisse in III. Idus Octobris Juliani, id est, diem 13. Octobris, si nostro more numeremus. Crer.

<sup>m</sup> Et illos quinque dies, et alios insuper duos Februario detractos] Dio hic primum videtur errasse, qui duos dies uni e mensibus a Cæsare detractos scribit, cum nullus omnino mensium a Cæ-

sare sit imminutus. Errorem auxit Freinshemius, qui mensem illum Febrarium esse affirmat, cum constet ex consentiente scriptorum omnium testimonio, Febrarium antiquitus apud Romanos duodetriginta diebus censum esse, ut hodieque ex Cæsaris ordinatione numeramus. Annus Romanus diernum erat 355. Dies decem addidit Cæsar, quos in varios menses distribuit, ut videre licet apud Macrobius et Censorinum. Crer.

Appian. Civ. II. fin. Solin. c. 3. Plut. Cæs. Sueton. Cæs. 40. Scalig. de Emendat. Temp. II. Dio et Appian.

Plin. VIII. 25.

Mac. Sat. I. 14. et 15. Herodot. II. init. Dio et Sueton. et Censor. de Die Nat. c. 20. et Ovid. Fast. III. 155. Macrobr.

L. 98. D. de Verbor. Signif.

Sueton.

Plut. Sueton. cit; tum mensem Mercedonium sive intercalarem, qui ex consuetudine in eum annum inciderat, consumsit: unde factum est, ut annus ille, qui confusionis erat ultimus, in dies quadringentos quadraginta quinque protenderetur. Hæc ferme a veteribus tradita nuper etiam assensum doctissimorum virorum meruerunt. Sed Dio plures<sup>4</sup> septem et sexaginta diebus tribus his intercalaribus a Cæsare consumptos esse negat: <sup>n</sup> cuius opinionem vir perquam eruditus e Gallia minime spernendis argumentis tuetur. Erat hæc res tam usu saluberrima, quam molitu difficilis: et ipse Sosigenes tribus de ea commentationibus editis seipsum in quibusdam corrigere necesse habuit. Præterea nihil in his Cæsar, nisi de consilio principum, aut etiam totius ordinis fecerat. Neque tamen effugere dicacitatem hominum potuit. Adeo ubi nimia taxandi licentia invaluit, non minus bene quam secus facta reprehenduntur. Sane Cicero, quasi potius a Cæsare quam a cælo ea anni ratio indicta esset, cuidam dicenti, cras Lyram exorituram, 'Nempe ex indicto,' respondit.

32. Sed idem Cicero magnis verisque præconiis Cæsarem extulit, cum is Marcello consulari, mentionem ejus inferente L. Pisone, et C. Marcello ad pedes se abjiciente, senatu etiam surgente, et rogante universo, nonnihil prius accusata ejus acerbitate, reditum cum summa illius dignitate concessisset. Quanquam illo beneficio Marcellus frui non potuit, cum a Mitylenis Urbem repeteret, Athenasque venisset, in ipso portu a P. Magio Cilone familiari suo interfectus, qui, vetus Pompeianæ militiæ comes, aliquem amicorum ab eo sibi præferri non patiebatur.

4 Plus edd. ante Crev.

<sup>n</sup> *Dio plures septem et sexaginta diebus tribus his intercalaribus a Cæsare consumptos esse negat*] Immo nullam habet rationem Dio mensis illius, qui ex instituto Numæ intercalari debebat hoc anno, dum negat plures septem et sexaginta diebus a Cæsare in hunc annum additos esse. Et merito illum mensem non annu-

rat diebus a Cæsare additis. Is enim Cæsaris non erat, sed consuetudinis: dies autem sexaginta septem Cæsar a se, non a consuetudine, adjecit. Atque ita tuetur et explicat Dionis mentem Erycius Puteanus, vir perquam eruditus, sed e Belgio, non e Gallia nostra. Crev.

33. Et aspserat Cæsarem suspicio : sed quibus aliqua veri cura erat, eum constaret de Magio, non sustinebant quicquam de Cæsare credere : purgavitque eum scripta ad Ciceronem epistola M. Brutus, Marcelli præcipuus admirator. Neque alio luculentiore testimonio magnitudinem viri approbaverimus, quam quod in libro quem de virtute composuit Brutus ei reddidit, ‘se vidisse Marcellum Mitylenis exultantem, et, quantum modo natura hominis pateretur, beatissime viventem, neque unquam bonarum artium cupidiorum quam illo tempore. Itaque visum sibi se magis in exilium ire, qui sine illo rediturus esset, quam illum in exilio relinquere.’ Addiditque, ‘C. Cæsarem Mitylenas prætervectum, quia non sustineret videre deformatum virum.’

Cic. ad Att. XIII. 10.

Senec. Consol. ad Helv. c. 9. Cic. Brut. c. 71. Senec.

34. Sed horum a Cæsare præclare constitutorum gratiam alia quædam elevabant, quod relaturus gratiam clientibus suis, senatus numerum, indignis multis ascriptis, ampliaverat : prætores creaverat duodecim, quot simul eodem anno fuerant nunquam : quæstorum quoque et minorum magistratuum collegia auxerat : notatos a censoribus, metu judiciorum extorres reducerat : condemnatos ambitus in Italia esse sinebat. Etiam incivis plane videbatur comitorum ratio, quæ cum populo diviserat, ut, excepto consulatu, ceterorum magistratuum partem dimidiam populus, alteram ipse constitueret. Unde candidati Cæsaris appellati, quos nullo repulsæ metu brevibus libellis circum tribus missis commendabat.

Sueton. Cæs. 41. 72. 76. et 80. Dio. D. de Orig. Jur. Paragr. 33. Sueton. et Dio.

Quint. VI. 3. Tac. 1. Ann. 15. Sueton.

35. Sed et Cleopatæ amor magnopere datus est erimini, quæ, anno eodem, Romam regio comitatu venit, accitu ipsius. Cæsar mulieri viroque, minor ille Ptolemæus fuit, hospitium in suis ædibus dedit : notatusque est, tanquam, præter notissimum Cleopatæ adulterium, etiam puero nefarie illuderet. Sane maximis honoribus præmiisque auctos, regesque socios et amicos appellatos, remisit in regnum : filium etiam, quem Cleopatra paulo post discessum ejus ex Ægypto pepererat, de suo nomine Cæsarionem appellari passus est. Quem quidem Cæsar<sup>i</sup> forma quoque et incessu similem fuisse tradiderunt. M. Antonius etiam agnitum ab eo senatui affirmavit : contra

Dio. Euseb. Chron. num. 1972. Sueton. Cæs. 52. Dio.

Sueton.

Plut. Cæs. Dio, XLVII. Sueton.

quem Oppius librum edidit, 'non esse Cæsaris filium, quem Cleopatra dicat:' plane quasi patrocínio res egeret.

Dio, XLIII. 36. Dum ista Romæ geruntur, in Hispania plus obortum belli erat, quam aut classe prius e Sardinia, aut mox cum Q. Fabio Maximo, Q. Pedio legatis exercitu misso coërceri posset: ipsiusque jam Cæsaris præsentia requireretur. Igitur Urbis custodia M. Lepido, et sive sex, sive octo præfectis permissa (nam de numero dubitatur) quos pro prætoribus constituit, qui per absentiam suam res urbanas administrarent; in Hispaniam profectus est, quartum jam non consul, sed designatus sine collega.

Sueton.  
Cæs. c. 76.

Appian.  
FastiCapit.

Vid. Si-  
gon. Comm.  
in Fast. et  
Pigh. Ann.

Sueton.  
Cæs. 76.

Dio.

37. Neque supervacuum fuerit, explicare quali tum honore, et quoties præditus egerit; quando annus ille confusionis hæc quoque confundendi occasionem scriptoribus præbuit. Sed quoniam alii consulem, alii dictatorem fuisse volunt, Suetonii sententiam veram esse judico, tertium et quartum consulatum gessisse titulo tenus, contentum dictaturæ potestate, decreta simul cum consulatibus. Igitur et in tres novissimos menses, puto per eam causam, quod jam ipse consul cum collega per duodecim menses fuisset, (nam annus ille, ut est expositum supra, mensibus quindecim constitit) binos suffecit. Neque vero comitia consularia, quæ sunt circa id tempus a M. Lepido consule eodem et magistro equitum habita, eo pertinuisse crediderim, ut Cæsari sub finem demum anni tertius consulatus daretur, sed ut novi consules sufficerentur. Plurimum certe moveor auctoritate scriptoris, qui bellum Hispaniense tradidit: quem certe, quicumque tandem fuerit, iisdem temporibus vixisse constat: nec iniquum arbitror, ut huic Fastorum fragmenta, quibus alioquin permultum tribuo, posthabeantur.

38. Ceterum Hispaniensium armorum hæc ferme causæ fuerunt. Proximus sub Cassio et Marcello tumultus Cæsaris legiones discordia et suspitionibus labefactaverat; metuque pænæ miserant ad Scipionem legatos: deinde cum Scipio victus esset, Pompeius morbo in Balearibus attineretur, T. Scapula, Q. Aponio ducibus, Trebonio Cæsaris legato negarunt obsequium, totamque fere Baticam traxerunt secum ad defectionem.

39. Interim et Pompeius trajecit in Hispaniam, usque occasione, dum muneribus dandis Romæ Cæsar tempus terit, præter spem omnium brevi magnas copias collegit. Nam, favore paterno adjutus, a multis civitatibus societatem et auxilia obtinuerat: quibus instructus, alias vi adjugebat partibus. Jamque Carthaginem Novam obsidebat, cum Scapula et qui cum eo erant imperatorem eum agnoverunt; vicissim nihil non et dicentem et facientem, quo sibi benevolentiam hominum pararet. Quod alioquin abruptis consiliis necessarium, ab ingenio asperiore et rustico extorserat etiam Allobrogum fuga, qui Curionis milites, deinde Jubæ captivi, post ab hoc Pompeio traditi, nescio quam ob offensam, ad hostes transfugerant. Hac nova humanitate multi etiam allecti sunt ex hostilibus castris: eorum maxime qui olim sub Afranio militaverant.

Auct. de  
B. Hisp.  
Nic. Dam.  
de Instit.  
Aug.  
Dio.

40. Accesserunt interim et ex Africa cum alii, tum Sex. Pompeius Varusque et Labienus, a quibus simul classis instar adductum est. Ea quoque res, quod frater venerat, vires auxit: spem favoremque hominum accendente fama, pro uno duos stare Pompeios: ideoque auxilia diversissimis ex locis confluebant. Sed surgentem hanc et proxima quæque amplectentem potentiam, quorundam adventu, quos Cæsar præmiserat, sparsa mox affuturi fama stitit: Cnæusque diffusus alia retineri posse, relicta maritima ora in Beticam se recepit. At inter P. Varum et C. Didium haud procul Carteia in ipso oceani ostio contractum navale prælium, repens tempestas etiam effecit tristius: sic quoque depressis multis ex utraque classe navibus. Cessit tamen Varus, objectisque in fauce portus anchoris, inter sese inexplicabili nexu obvinctis, arcuit ingressum hostilium navium, classisque reliquias servavit.

Cic. ad  
Fam. xv.  
19.  
Dio.

Appian.  
Dio.  
Flor. iv. 2.  
Dio.

Flor.  
Dio.

Auct. de  
B. Hisp.  
Dio.  
Appian.  
Strab. iii.  
p. 160.  
Sucton.  
Cæs. 56.  
Auct. de  
B. Hisp. et  
Dio.

41. Interea Cæsar in Hispaniam venit admirabili celebritate, et quod miraculum auget, iisdem septem et viginti diebus, tot enim nec amplius, Roma Obulconem, ubi exercitus erat, pervenit, poemate quod inscribitur 'Iter' composito. Ullam oppidum Cn. Pompeius tum oppugnabat ab aliquot mensibus. Idcirco Cæsar sperans bene

meritam civitatem sola adventus sui fama liberari posse, elicta majori parte militum, cum paucis qui sequi poterant, ab equitatu Fabii et Pedii legatorum, quem occurrere sibi jusserat, in castra deductus est. Sed Pompeius, unum virum uni non adeo præstare ratus, in obsidione persistebat.

42. Cæsar igitur undecim cohortes per L. Julium Patiecum introduxit Ullam, per media Pompeii præsidia tutum iter præbente nocte ventis et tempestatibus horrida: ipse contendit Cordubam, non modo spe avertendi Pompeium ab Ulla, sed etiam capiendi per proditionem oppidi, quam ei spem legati Cordubensium injecerant, nupero ejus adventu, cum a Pompeio modo discessissent, obviam profecti. Priori consilio respondit eventus. Namque Sex. Pompeius, qui cum præsidio Cordubam tenebat, trepidis nuntiis accivit fratrem. Sic et Ulla prope capta discrimen effugit; et Corduba a Cæsare relicta est, quem præter hostem etiam vexare morbus cœperat. Igitur dilatatum in hyemem bellum, neque discessum in hyberna: cum interim quartum consul, et valetudinem recuperavit Cæsar, et partem exercitus, quæ consequi celeritatem ejus nequiverat, recepit.\*

Dio.

Auct. de  
B. Hisp.  
Dio.Auct. de  
B. Hisp.

43. Ategua firmissimum erat præsidium Pompeii, quo plurimum frumenti comportatum fuerat. Id subito Cæsar aggressus, circumvallare instituit, susque deque ferente Pompeio, qui munitionibus oppidi confisus, parcebat militibus suis, prius existimans futurum, ut frigoris vehementia desisteret Cæsar, quam Ategua caperetur. Sed illo pertinacius instante, cum exercitu eodem profectus est.

44. Multa forte castella in adventum ejus exstruxerat Cæsar, ut equitum peditumque præsidiis venientem arceret. Sed forte accidit, ut quo tempore Pompeius veniret, sub ortum diei nebula crassissima cælum tegeret. Igitur eo facilins et perrupit Cæsaris præsidia, et multos ejus equites concidit. Legiones omnino habebat tredecim: sed quibus præcipue confideret, duæ erant vernaculæ, quæ a

\* A. U. C. 707. A. C. 45



Trebonio transfugerant; una facta ex coloniis Hispaniæ; una Afraniana ex Africa, quam secum Pompeius adduxerat. Reliquæ constabant ex fugitivis, ne ipsæ quidem plane contemendæ, cum quartum jam annum plerique fuissent in armis exerciti, projectamque afferrent ad prælia audaciam. Appian.

45. Neque tamen ausus est subsidio venire suis: tantum, quia duce carere Ateguenses cognoverat, L. Munatium Flaccum misit. Is se Julianarum partium, et tribuni cornicularium<sup>o</sup> esse simulans, noctu solus vigiles quosdam adiit, tanquam missus ad circumeundas excubias: a quibus, accepta tessera, alios fallens, alios evitans, a postremis etiam deductus, quibus se missum a Cæsare ad recipiendum per proditionem oppidum persuaserat, per medias ejus copias Ateguam ingressus est. Pompeius, incensis nocte castris, inter Ucubim et Ateguam in montibus consedit: mox etiam, his incensis castris, Cordubam intendit iter. Interea cum ad Cæsarem Arguetius (an Aruntius?) et Asprenas venissent, quorum ille signa quinque Saguntinis obiter adempta retulerat, longius evagari Cæsaris equites cœperunt, et eos qui comeatu ad castra Pompeii vehebant excipere. Dio.  
Frontin.  
Strat. III.  
14.  
Dio.

46. Sed qui in præsidio Ateguæ erant, ferociter repugnabant, non ferro tantum, sed etiam igne, per omnia ingenia mittendi, se tuentes. Donec semper cum damno repulsi, iram verterunt in oppidanos, qui Cæsari favere credebantur; nec ipsos modo occiderunt, sed etiam, auctore Flacco, fœminas, vocatis nominatim ad spectaculum viris, quos apud Cæsarem esse sciebant, jugulatas præcipites miserunt de muro: infantes, dictu quoque fœdum, partim in gremiis matrum trucidarunt, alios in conspectu parentum aut humi afflixerunt, aut in sublimi jactatos subrectis exceperunt pilis. Val. Max.  
IX. 2. et  
Auct. de  
B. Hisp.

47. Sub vesperam ejusdem diei venit ad eos clam a Pompeio tabellarius, turres aggeremque jubens accendi, Auct. de  
B. Hisp.

<sup>o</sup> *Tribuni cornicularium*] Cornicularius videtur fuisse tribuni minister sive accensus. Vid. not. Marcelli Donati ad Liv. x. 44.

Cornicularii mentio fit apud Suet. quoque, Domit. c. 17. et Val. Max. l. vi. c. 1. art. 11. Crev.

Dio. et tertia vigilia tentari eruptionem: 'se nocte tota futurum in armis, ut tutiorem daret ad se receptum.' Infelix conatus fuit. Reflante vento ignis in opera Romana jactus ædificia comprehendit oppidi, erumpentesque fumo involvit, ancipiti periculo, quod eodem tempore telis etiam hostium lapidibusque petebantur. Igitur occisi captique magno numero: et argentum et vestis, quæ<sup>5</sup> eo consilio extulerant, ut eorum direptione distractos opprimendo, viam ad erumpendum facerent, victoribus prædæ fuere. Neque tamen destiterunt a defectione, sed ventum secundum nacti, turrin Cæsaris incenderunt.

Auct. de  
B. Hisp.

48. Sed, multis ex oppido transfugientibus, neque inter ceteros integra concordia, tabellæ de muro sunt dejectæ, hoc exemplo: 'L. Munatius Cæsari. Si mihi vitam tribuis, quoniam a Cn. Pompeio sum desertus, qualem me illi præstiti, tali virtute et constantia futurum me in te esse præstabo.' Eodemque tempore legati oppidanorum, qui ante exierant, Cæsare adito, si vitam sibi concederet, postridie oppidum esse dedituros dixerunt. Ille 'se Cæsarem esse, fidemque præstare solitum' respondit. Ita ante diem XI. Kalendas Martii, quæ primo anno Juliano fuerunt, oppido potitus est, et imperator appellatus ex victoria, quartum jam dictator designatus,<sup>p</sup> consul itidem quarto, quem honorem sine collega decretum inire ad finem belli distulit.

Dio.

Auct. de  
B. Hisp.

49. Pompeius, his auditis, castra Ucubim versus movit, convocatisque Ucubensibus, inquiri fautores victoriæ hostium jussit, ex quibus occidit homines septuaginta quatuor: major aliquanto numerus, cum in oppidum reduceretur, negligentia an sponte custodum, in Cæsaris castra perfugit. Similis cædes similibus causis apud Bursavolenses est edita. Cæsar, rebus Ategnæ constitutis,

<sup>5</sup> Quam pro quæ legebatur ante Crev. et mox prædæ fuit pro prædæ fuere.

//////////

<sup>p</sup> Quartum jam dictator designatus] Id cur in hunc locum notare distulerit Freinshemius, non videmus: cum ex auctore de B. Hispan. quem sibi hic

ducem esse professus est supra c. 37. Cæsar profectus sit ab Urbe dictator III. designatus IV. Crev.

ita propinquis a Pompeio locis consedit, ut castris conferre castra videretur. Ibi dum uterque operibus viribusque superare adversarium contendit, aliquot minora praelia facta sunt, certamenque singulare commissum inter spectatæ virtutis viros Turpionem Ambivium et Q. Pompeium Nigrum.

50. Quod tamen ferme superior Cæsaris res erat, Pompeius itidem castra movit; moventemque Cæsar est insecutus, donec eos in Mundensem campum, fatalem Pompeio futurum, belli ratio deduxit. Et erat inde discessurus Cæsar, sed, audito Pompeium de tertia vigilia stetisse in acie, vexillum (id signum erat pugnae) proposuit: sed, Flores. iv. 2. ut est observatum, solito mæstior. Similiter Pompeius, consilii inops, neque constitutam<sup>6</sup> adversus longa belli Dio. detrimenta sociorum fidem ratus, properabat decernere; licet prodigiis aperte deterrentibus. Sane simulacra sudasse, sonitus armatorum auditos in cælo, itemque monstruosos animalium partus, faces ab oriente transeurrentes in occasum, spernere pro irritis aut ambiguis poterat: sed aquilæ Pompeianarum legionum, fulmina, quæ pedibus Jul. Obseq. Dio. aurea tenebant, visæ deijcere, alasque concutere avolatibus similes, haud dubiam eadem videbantur portendere.

51. Planities inter utraque castra intercedebat millium quinque, subjecta collibus in quibus Ucubis erat condita, et Pompeii acies constiterat. In ea planitie, sed propius colles, spatium interjectum uliginosum erat, rivo per cœnosum et palustrem locum decurrente. Ita duplici locorum favore Pompeianos defensos tamen aggredi Cæsar statuit, tessera Veneris proposita, cum Pompeius ad ex- Appian. citandam patris memoriam Pietatem suis dedisset. Tredecim Pompeius legiones in praelium deduxerat, equitatu Auct. de B. Hisp. lateribus circumfuso, et levi armatura, sex millium numero, quibus prope alterum tantum accessit ab auxiliariis Hispanis Maurisque: filios enim suos Pompeio rex Bocchus auxilio miserat; cum adversarius ejus Bogud in Strabo, xvii. p. 828. Dio. præsiidiis Cæsaris esset. Ceterum auxilia utrobique haud magno fuerunt usui: pugnaque vix tentata, Romanis militibus campum reliquerunt.

6 *Et neque constitutam* edd. ante Crev.

Auct. de B. Hisp. 52. Cohortes octoginta Cæsar eduxerat, cum octo milibus equitum. Hi virtute superiores hostibus, iniquitate loci laborabant, ad extremæ planitieï voraginosi progressi. Nullo unquam prælio fluctuata magis Cæsar's fortuna est: ut prope Juliani diffident victoriae. Diu pari Marte nihil aliud quam occidebant occidebanturque: donec pugnando utrimque fessis, velut tacitis induciis quies et mœstum silentium tenuit. Mox renovata pugna, impulsus est illud veterani militis invictum robur, ne prorsus fugeret, verecundia magis quam virtute retentum.

Oros. 53. Ibi vero Cæsar vinci insuetus, ad præveniendum hoc dedecus cogitasse de consciscenda sibi nece traditur. Suet. Cæs. 36. Flor. Id quidem constat, equum e conspectu abduci jussisse, Frontin. scutoque cujusdam arrepto in primam provolasse aciem, Strat. II. 8. Appian. increpita fortuna, quæ veterem ducem semperque victorem pueris proderet. Variis inde vocibus pudorem virtutemque suorum stimulans, cum ante prima signa sic procurrisset, ut vix decem ab hoste pedibus distaret, magnam in se coniectam vim missilium excepit scuto, aut modica corporis declinatione vitavit. Tum vero conmissi decumani, quorum in mediocri numero maxima virtus extabat, redintegrarunt prælium: nec hostes rem gesserunt segnius, quos et ipsos suus imperator, adolescens impetus ad bella maximi, dimisso itidem equo pericula<sup>7</sup> communicans, animabat.

Appian. 54. Cum ita pari animo ac Marte totam ferme diem continuata pugna esset, sub vesperam, unde minime sperabatur, orta est victoriae occasio. Rex Bogud, qui initio prælii reliquerat locum, cum instare sibi neminem cerneret, dum adversarii contumacissima pugna detinentur, tentandorum castrorum consilio capto, Labienum non fefellit. Ideirco protinus quinque cohortes ex acie sua detractas subsidio castris ire jussit. At Cæsar, his abire visis, fugere inclamavit hostem, sive credens ita esse, sive hac specie abusus ad victoriam. Hinc certe et erecti Juliani, et territi hostes sunt: veraeque mox fugæ initium fuit, falso credita, cum etiam, errore comperto, non am-

<sup>7</sup> Periculo eodd. ante Crev.

plius restitui turbati ordines possent. Hæc pugna pug- Auct. de  
nata Liberalibus,<sup>9</sup> advertit hominum curam, ut eodem B. Hisp.  
die ante quadriennium Italiam a Pompeio relictam re- Oros. l'lut.  
cordarentur. Victi pars in castra, pars in oppidum Ep. Mat.  
refugerunt. Castra expugnata sunt, pari prope utro- ad Cic. ix.  
rumque clade. ad Att. ep.  
15. Dio.

55. Mundam quia Cæsar statim circumvallari impera- Flor.  
verat, ne quis per noctem evaderet, et aggeri extruendo  
nec temporis satis nec materiæ suppetebat; congesta sunt Val. Max.  
hostilia cadavera, aggerque ex his effectus, valli vicem VII. 6.  
scutis pilisque et jaculis, quis confixa corpora tenebantur, Appian.  
explantibus. Et gaudebat fœda crudelitate miles, ver- Dio.  
tendisque ad oppidum occisorum capitibus, tanquam Auct. de  
virtutis suæ testimonio delectabatur. B. Hisp.

56. Cecidisse tradunt eo prælio Pompeianorum supra Plut.  
triginta millia, quos inter Labienum et Varum, quibus Auct. de  
fieri Cæsar funus jussit: et equitum Romanorum ex B. Hisp.  
Urbe et provincia circiter tria millia. Aquilæ omnes Appian.  
captæ, cum signis et fascibus, præterea duces belli sep- Vell.  
temdecim. Victores desiderati ad hominum mille, Auct. de  
pedites equites, promptissimus quisque, et vulnerati ad B. Hisp.  
quingentos. Hoc de prælio dixisse Cæsarem ferunt,  
'sæpe se de victoria, tum primum de salute dimicasse.' Appian.  
Plut.

57. Ceterum perditarum rerum nuntius ad Sex. Pom- Auct. de  
peium Valerius adolescens Cordubam ex prælio venit. B. Hisp.  
Idcirco Sextus, distributa equitibus pecunia, nocte Cor-  
duba profectus est, ad Cæsarem de pace iturum simu- Dio. Flor.  
lans: ceterum perfugit in Celtiberiam, ibique repertis Cic. ad  
latebris, latrocinio se toleravit. Diversa Cnæo fortuna Att. XII.  
fuit. Is primum ex acie centum quinquaginta equitibus, 37. Appian.  
peditibusque paucis comitatus, non prius remisit fugam, Auct. de  
quam Carteiam pervenisset, Munda distantem millibus B. Hisp.  
passuum ducentis,<sup>r</sup> ubi naves habebat. Interea Cæsar Strab. III.  
p. 141. Dio.  
Appian.

<sup>9</sup> Liberalibus] Liberalia inci-  
debant in diem XVI. Kal. Apri-  
les, quo die Pompeium Brun-  
disio solvisse ex Italia fugien-  
tem constat ex epistola Matii ad  
Cicéronem. Itaque ille scrupu-  
lus qui torsit hac de re Lipsium,  
ut ipse testatur ep. 31. ad Ger-  
manos, jam nullus est. Tantum-

modo notandus est Orosii error,  
qui pugnam ad Mundam eo die  
pugnatam esse scribit quo Pom-  
peius quadriennio ante 'ex Ur-  
be' an fugerat. Scribere de-  
buisset 'ex Italis.' Crev.

<sup>r</sup> Millibus passuum ducentis]  
Leucis nostratibus fere 67. Crev.

Cic. ad  
Fam.  
ix. 13.

Auct. de  
B. Hisp.  
Appian.  
Auct. de  
B. Hisp.

Dio.

Auct. de  
B. Hisp. et  
Dio.

Auct. de  
B. Hisp.

Dio.  
Appian.

Auct. de  
B. Hisp.

Strab. 111.  
p. 141.

Cordubam profectus est, cujus adventu Scapula, primus eorum tumultuum auctor, magnifice prius epulatus, jugulum servo præbuit. Cordubæ magna erat discordia, ipsis dedere cupientibus oppidum, resistantibus servis, quorum ingentem vim Pompeius armaverat. Ii cum legiones Cæsaris recipi viderent, incendere oppidum cœperunt. Sed superati a Julianis perierunt hominum circiter millia duo et viginti, non connumeratis qui extra murum ceciderant: reliquos Cæsar vendidit.

53. Inde Hispalim itum, divisam et ipsam studiis atque factionibus. Igitur cum legati missi ad Cæsarem præsidium ab eo præfectumque Caninium introduxissent, Philo quidam, Pompeianarum partium acerrimus defensor, clam ad Cæcilium Nigrum profectus, magnaque ab eo Lusitanorum accepta manu, noctu per murum intromissus est, Cæsarisque præsidium interfecit. Cæsar, si infestius oppugnaret obsessum, ne oppidum a desperatis incenderetur veritus, consulto segnius administrari omnia jussit, quo spem effugii præberet hostibus. Nec aliter quam cogitaverat factum. Eruperunt illi, et, incensis ad flumen Bætium navibus, quo distinerent Julianos, profugiunt: sed a præparatis ante equitibus conciduntur.

59. Sic Hispali recepta versus Astam processit, unde legati venerant oppidum dedentes: et in itinere oppugnatis quæ resistebant, ad Carteienses contendit, quorum legati Pompeium in sua potestate esse renuntiaverant. Sed ea quoque civitas discesserat in partes, et, re cognita, portæ sunt a Pompeianis occupatæ. Tandem magna excitata seditione, et cæde edita, saucius humero Pompeius naves triginta occupat longas, iisque profugit. Sed, premente fato, dum navigium conscendit, funiculo irretivit pedem, et accelerans quidam, ferroque abrumperet funiculum volens, sinistrum ejus crus incidit. Comperta Pompeii fuga C. Didium, qui Gadibus classi præerat, excitavit, ut mari cum terraque persequeretur. Sed Pompeiana classis, nullis rebus paratis, profecta, intra quartum diem, aqutionis causa, ad montana quaedam loca applicuit. Eo loco Didius occurrit, et, navibus quibusdam incensis, aliis captis, præclusit maritimam fugam.

60. Pompeius deserta et avia petens, postquam adesse

cum Didianis equitibus et cohortibus Cesennium Lentonem audiit, ad ultimam spem munito loco, haud procul Laurone, capto repugnat. Cesennius ubi vi capere locum posse desperat, circummmuire instituit. Tum vero Lusitani certissimum exitium fuga vitare coacti, deseruerunt Pompeium, qui, præter accepta vulnera talo etiam intorto, neque pedes iter facere poterat, neque ut equo vehiculove uteretur natura loci præcipitiis aspretisque horridi sinebat. Ideirco cavis exesisque rupibus et antris se occultans, captivorum indicio proditus est, atque interfectus. Caput adolescentis præcisum Cesennius retulit, idque a Didio transmissum, Cæsari revertenti Hispalim A. D. pridie Idus Apriles relatum est. Cæsar in conspectum dari populo, ad reprimendos rebellium spiritus, deinde sepeliri jussit. Neque diu lætatus hoc eventu Didius, a Lusitanis, qui se denuo collegerant, per insidias occisus est.

Vell. Dio.  
Flor.  
Auct. de  
B. Hisp.

Cic. Phil.  
xii. 9.  
Oros.  
Plut. Cæs.  
Appian.  
Auct. de  
B. Hisp.  
Dio.  
Auct. de  
B. Hisp.

61. Interea qui Mundæ fuerant circumsessi, cum eruptionem tentassent, essentque a Q. Fabio cum magna cæde rejecti, dolum paraverunt, ut magna manus, per speciem transfugii recepta, in castris administraret cædem, eodemque tempore ceteri eruptionem facerent. Sed, proditorum instituto, Fabius tesseram per castra dedit, uti omnes Mundenses extra vallum conciderentur. Tandem operibus assiduis interelusi, cum extremum malorum accessisset, discordia, deditionem aliis volentibus, ceteris alia omnia, inter ipsos concursum est, et portæ ab alteris adaptæ. Nec prætermisit occasionem Fabius, occisique multis, reliquos redegit vivos in potestatem. Munda cum immensa hominum cæde expugnata, vicinum oppidum Ursaonem tentari placuit, situ operibusque permunitum.

Oros. vi.  
16.  
Dio.  
Auct. de  
B. Hisp.

62. Interea Cæsar a Gadibus, quo processerat, Hispalim regressus, concione advocata,<sup>8</sup> severa oratione Hispanos increpuit, ‘quod beneficiorum quæ primo quæstor iis, postea prætor, deinde consul, nuper dictator victorque, frequentia et magna dedisset, immemores, tam facile ad arma contra se capienda inducti essent.’ Deinde revolu-

<sup>8</sup> Ita correxit Crev. ex Auct. de B. Hisp. In edd. priorr. legitur *commeatu convocato*.

- tus ad perpetuæ suæ clementiæ commemorationem, conservaturum se provinciam dixit. Pecunia maxime imperata est, quibusdam et agri ademti, et graviora imposita stipendia. Sed ex æde Herculis Gaditani donaria sustulit, satis assuetus apertissimis rapinis atque sacrilegiis
- Dio. sustinere bellorum atque munerum impendia. Ne sociis quidem et bene meritis gratuita beneficia tribuit, agro donando, aut immunitate concedenda, civitatisque et coloniæ
- Isid. xv. 1. nonnullis dando jura. Sub hoc tempus Hispalim deducta  
Plin. III. 1. colonia, ex nomine Cæsaris et Romæ, Julia Romulensis appellata est.
63. Inter hæc otia, hæc enim bellicis comparata laboribus, homini nunquam cessare solito otia videbantur, Anticatones duos scripsit, vituperationem continentes
- Sueton. Cæs. 56. Cic. ad Att. XII. 40. Nic. Dam. de Insüt. Aug. Catonis, laudationique Ciceronis oppositos. His rebus ferme septimum intra mensem confectis, C. Octavius ad avunculum Cæsarem Carteiæ adhuc agentem venit, impeditus morbo, ne discedentem Roma comitaretur.
- Dio. 64. Per eos dies enatum palmæ germen in loco Mundsensis pugnæ huic Octavio prosperum omen fecisse credunt, quem tantarum opum successorem Deus designaverat. Sed ad suam fortunam trahens Cæsar, factus erat hilarior atque confidentior. Tantoque facilius accepit
- Nic. Dam. Octavii preces, tam pro aliis interpositas, quam etiam pro Saguntinis, qui multis criminibus urgebantur, cum ad conventum Carthaginiensem Cæsar accessisset. Cetera deinde
- Appian. provincia constituta, uti commodum properanti fuerat, Romam ad triumphum decessit.



# SUPPLEMENTUM

LIBRI CXVI.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

---

1. **H**ISPANIENSEM Cæsaris triumphum, non, uti consueverat, lætum populo, sed peracerbum fuisse tradunt: quia sub Hispanorum præscriptione, non de rege aliquo aut imperatore barbaro, sed aperte de civis amplissimi modo, mox miserrimi, oppressa domo ducebatur. Itaque nec apparatus (erat autem ex argento rasili) nec epulum quod populo dedit, pari voluptate lætitiæque celebrata sunt: quanquam duo præbisset prandia, quia prius parcius atque tenuius quam pro sua liberalitate instructum crediderat. Tum quoque frumentum populo distribuit, ne quid magnificentiæ deesset. Porro post triumphum consularia comitia habuit, suffecitque sibi in tres novissimos menses (tot enim supererant) **Q. Fabium Q. F. Q. N. Maximum, C. Trebonium C. F.** tanta quidem indignatione populi, veterem morem iterum violari non ferentis, ut **Q. Fabio** theatrum introëunte, cum licitor animadverti ex more jussisset, universi reclamaverint, ‘ non esse eum consulem.’

Plut. Cæs.

Vell. II. 56.  
Dio, XLIII.

Sueton.  
Cæs. c. 38.

Dio.  
FastiCapit.

Sueton.  
Cæs. 76.  
et 80.

2. Triumphum etiam eidem Fabio, sed et **Q. Pedio**, legatis suis, decernendum curavit ex Hispania, quasi parum fuisset semel traductam esse civiliū armorum calamitatem: quanquam nihil illi suis auspiciis gesserant.

FastiCapit. Fabius Maximus A. D. III. Idus Octobres in consulatu suo triumphavit; A. D. Idus Decembres Pedius. Hi Dio. triumpho, cum, minime favente populo, ducerentur, etiam ob mediocritatem pompæ derisi sunt. Cum enim, paucis ante diebus, Cæsar oppida eborea aut argentea transtulisset, deinde Maximus lignea; ‘ thecas esse oppidorum Quint.vi.3. Cæsar’s jactitatum est.

2. Sed mirari non oportet Cæsarem hanc ostentasse Plut. victoriam, cum tantis excepta Romæ publicis gratulationibus esset, tam singularibus cohonestata decretis. Sane tantum illi verecundiæ superfuert, ut neque nuntios ex Dio,xliv. et Plut. Hispania, neque literas publice mitteret. At patres, plerique adulandi studio, nonnulli quo majore oneratum invidia velocius et excusatius perderent, honores nullo nec jure nec exemplo congerebant. Et Cicero quidem, quantum summo cuique hominum tribui potest, sententia sua dederat. Sed alii sic adauxerunt, ut Cicero prope-

Dio, XLIII. modum malevolus fuisse videretur. Ita supplicatio die- Ovid.Fast. rum quinquaginta decreta: utque Palilibus ludi ederentur, non jam ob natalem Urbis, sed quia pridie ejus diei Dio. nuntiata Cæsar’s hæc victoria fuisset. Quemadmodum Ovid.Fast. eodem mense A. D. VI. Idus Apriles ludi ob victoriam IV. 377. Appian. Africanam fiebant. Sed et ceteras insigniores ejus victorias singulis ludis placuerat celebrari. Ceteram hæc erat potius calamitatis vulnerumque reipublicæ tristes exprobratio. Levius insanisse viderentur, qui Clementiæ templum ponendum censuerant; nisi commune ipsi atque Plut. Clementiæ esse voluissent, simulacris utriusque dextras Dio, XLIV. Appian. jungentium dedicatis.

Sueton. 4. Sane quid facturus fuerit Cæsar, si vixisset diutius, Cæs. c. 75. non liquet. Illud in confesso est, quoad vixit mitem humanumque et placabilem adversariis se præbuisse. Sed et sub extremum tempus etiam quibus nominatim reditum non concesserat, reverti omnes, honoresque et imperia capere passus est. Brutum quidem et Cassium prætores Plut. Cic. ad Fam. VI. 6. Appian. Polyæn. Strat. VII. Sueton. Plut. Cæs. tum fecerat: aliis multis alios magistratus concesserat: conjecturam inde faciente populo, fore ut exemplo Syllæ reipublicam redderet. Postea et L. Syllæ, Cn. Pompeii statuas a plebe disjectas, per Antonium collegam reposuit;

quo tempore dixisse Cicero fertur, 'Cæsarem Pompeii et de Cap. statuas erigendo, stabilire suas.' De Pompeio semper ex huius. honorificentissime loquebatur. Præterea cohortes præ- Util. et Apoph. torias, quibus stipatus bellorum tempore fuerat, a se re- Rom. in Cic. movit. Custodes corporis uti aseisceret amicis monenti- Cic. ad Fam. bus, multisque se offerentibus ad officium, respondit, 'se- Plat. Cæs. mel mori præstare, quam semper timere.' Dicta graviora Appian. in- Sueton. hibere quam vindicare maluit. In quibus et A. Cæcina Cic. ad Fam. vi. 6. criminosissimum librum, et M. Otacilii Pitholai carmina et 7. maledicentissima æquo et civili animo tulit. Macrob. Sat. ii. 2. Sueton.

5. Sed hæc tam pulchra et laudanda plerisque insolenter usurpandis corruperat, in omni celebritate triumphalem vestem indutus, laurumque perpetuo gestans: quo Appian. et Dio, XLIII. Sueton. tamen honore lætatum ideo præcipue ferunt, quod molestæ Cæs. 45. et dictis obnoxia calvitiei deformitas sic tegebatur. Sed ipsum occultandi studium patebat obtrectatorum jo- Dio. cis; et quod a Venere sua præcipuum formæ decus adeptum sese credi volebat; et de maximis quibusque negotiis literas Venere armata obsignabat, hanc insculptam annulo gestare solitus.

6. Fuit enim statura excelsa, colore candido, teretibus Sueton. membris, ore paulo pleniore, nigris vegetisque oculis. Sed et cultu notabili commendare formam studens, jam olim non evitaverat dicitia: cum et rubei coloris veste Dio. uteretur, qualem Albæ regibus gestari solitam ipse Iuli genus credebatur ad se pertinere; et fluxiore cinctura, in quam memorabile dictatoris Syllæ dictum fuit, deprecantibus pro Cæsare amicis, 'cavere' jubens 'male præcinctum puerum.' Unde et Cicero post civile bellum Sueton. et Dio. interrogatus quomodo in electione partis errasset, 'Præcinctura,' inquit, 'me fefellit.' Macrob. Sat. ii. 3.

7. Sed hæc erant, præ his quæ sequuntur, tolerabilia. Namque sacrificiis, certaminibus, donis circa omnia templa et loca publica, per singulas tribus colebatur: delubra quoque complura ei decernebantur senatusconsulto: eandemque insaniam, ad exemplum Urbis, civitates regesque socii insaniebant. Ipse Liberator vocabatur, relato in Pausan. iii. fastos nomine: templumque Libertati locabatur publice. Dio, XLIII. Prænomen imperatoris non ipsi tantum, sed filiis etiam Sueton. Dio.

nepotibusque dabatur, cum nullos haberet; quod postea sequentes ad principes cum nomine Cæsaris pervenit, privato concessum nemini: cum adhuc imperatores vocarentur ob victoriam. Quem honorem ipsi quoque principes asciscabant, vel sæpius; ut Augustus quidem imperator appellatus legatur semel et vicies. Sed ista quidem appellatio quoties victori tribuitur, post nomen ascribi solet: eidem, quoties principatus est nota, præmittitur.

Tac. Ann.  
III. 74.  
Dio.

Tac. Ann.  
I. 9.  
Lips. ad  
Tac. Ann.  
III. 74.

Sueton.  
Flor. IV. 2.  
Appian.  
Dio, XLIII.  
et XLIV.

8. Appellatus est et pater patriæ, et dictator perpetuus, consulque in decennium continuum, et sacrosanctus esse jussus, quo jure semper tribuni plebis fuerant. Sacerdotibus Vestalibusque injunctum, 'uti singulis lustris vota pro eo facerent publice.' Decretum, 'ne quis conjunctum cum eo imperium haberet, neve rerum bello gerendarum laudem communicaret: utique magistratus inter ineundum jurarent, nihil moturos eorum quæ essent a Cæsare definita: neve quis injussu ejus ullam partem militaris imperii, aut pecuniæ publicæ attingeret.'

Euseb.  
n. 1975.  
Macrob.  
Sat. I. 12.  
Dio, XLVII.

9. Mensem quoque ejus nomen antiquitus a numero Quintilis fuerat, Julium appellari voluerunt, quod eo mense erat in lucem editus, A. D. IV. Idus: quo die sacrificandum quoque censuerunt ob natalem Cæsaris. Sed quia dies eadem celebrabatur Apollinaribus ludis, ea

Dio, XLIII.  
Sueton.

Flor.  
Appian.  
Dio.

causa fuit, cur, edicto triumvirorum postea, Cæsaris natalis in antecedentem diem retraheretur: quia honores ei divinos habere cupiebant, Apollinaribus non poterant, quem diem antiquæ religiones unius Apollinis honori voluerunt esse consecratum. Tum etiam statuam Cæsaris eburneam, mox thensam et ferculum Cæsaris Circensi pompa inter simulacra Deorum jusserunt vehi: et imagines in templis vario ornatu proposuerunt: unam in fauo Quirini cum inscriptione Dei invicti; aliam in Capitolio, ubi septem regum erant statuæ, et octava in medio gladium stringentis L. Bruti, qui libertatis vindex fuit.

Cic. pro  
Dej. c. 12.  
Plin.  
XXXIII. 1.  
Plut. Brut.  
Dio.  
Flor.

Juxta hanc Cæsaris collocata statua M. Bruto momentum ad facinus fuisse creditur, quod postea suscepit. His honorum velut infulis victima ornabatur, solatio potius quam remedio casura libertatis. Sed et alia multa decreta fuerunt, quæ tamen ex his cognosci æstimarique possint.

10. Nec ei numerus tantum horum atque novitas concivit invidiam, sed magis etiam ipsius superbia, quod cum his decretis venientem ad se pro aede Veneris Genitricis universum senatum, consulibus præcedentibus, sedens exceptit, dextra tantum porrecta singulis. Nihil temere aut acceptum acerbius, aut pluribus exagitatam sermonibus fuit. Quidam assurgere conantem a Cornelio Balbo retentum autumant, memorem esse jubente majestatis suæ. Alii conatum negant, sed et C. Trebatium admonere ausum limis aspectasse. Quapropter excusantibus illum postea, profluvio ventris laborantem timuisse, ne quid assurgens turpiter faceret, non est creditum, præsertim quia deinde pedibus domum redierat. Et, quo ægrius homines factum ejus paterentur, quam ipse tulisset iniquo animo, recordabantur, quod triumphanti, cum subsellia tribunitia<sup>2</sup> præterveheretur, a tribuno plebis Pontio Aquila resurrectum non fuerat. Nam et statim præ indignatione exclamarat, ‘ Repete igitur a me Aquila rempublicam tribunus: ’ et per continuos aliquot dies nihil promisit cuiquam, ut non adjiceret, ‘ si tamen per Pontium Aquilam licuerit.’

11. Ex honoribus porro decretis, præter deceanam consulatum, admisit reliquos, et quibusdam statim cœpit uti. Magistratusque ad libidinem et capere et dare solitus, pridie Kalendas Januarias, cum hora secunda, comitiis quæstoriiis institutis, sella Q. Maximi consulis posita, deinde mortuo eo nuntiato, qui nullis evidentibus causis obierat, sublata esset; qui comitiis tributis esset auspiciatus, centuriata habuit: potentemque consulatum hora septima renuntiavit consulem C. Caninium C. F. C. N. Rebilum, qui usque ad Kalendas esset, quæ essent futuræ postridie.

12. Hæc referri melius non potuere, quam verbis Ciceronis, qui interfuit. Neque dicta prætermittenda, quibus consulatus iste derisus est. ‘ Caninio consule prandisse neminem: eum tanta fuisse vigilantia ut toto consulatu suo somnum non viderit,’ Ciceronis sales sunt; ‘ antea

Liv. Epit.  
Sueton.  
Cæs. 78.  
Dio, XLIV.  
Plut. Cæs.  
Appian.  
Eutrop.  
Plut. et  
Sueton.  
Dio.  
Sueton.  
Appian.  
Sueton.  
Cæs. 76.  
Cic. ad  
Fam. VII.  
30.  
Plin. VII.  
53.  
Cic.  
Plut. Cæs.  
Dio, XLIII.  
Sueton.  
ubi supr. et  
Ner. 15.  
FastiCapit.  
Tac. Hist.  
III. 37.  
Cic.

2 Tribunitia add. Crev. ex Suet.

Macrob. Sat. II. 2. Plut. Cæs. Macrob. Sat. II. 3. Dio. flamines Diales fuisse,<sup>a</sup> nunc consules,' Pitholai. Sed et ad salutandum consulem ituris, 'Maturemus,' inquit Cicerone, 'ne priusquam accedamus, ille consulatu abeat:' idemque Græco verbo λογθεώρητον appellabat consulem, tanquam qui sensu percipi nequiret: 'idque consecutum esse Caninium' dicebat, 'ut, quibus consulibus consul fuerit, quæreretur.' Sed tamen res in exemplum ivit: neque deinde quicquam fuit usitatius, quam ut multi eodem anno consules, et plerique in bimestre crearentur; annis nomina darent, qui ex Kalendis Januariis fuissent.

13. Ceteros magistratus in speciem more antiquo populus dabat, recusante munus istud Cæsare: sed tamen neque contra voluntatem ejus fiebant, et provinciæ ab ipso mandabantur extra sortem. Numerus adhuc ceterorum idem: sed prætores eo anno quatuordecim, quæstores quadraginta creati. Nec enim erat alia maturandis civilis belli præmiis expeditior ratio. Eandemque ob causam collegio quindecimvirovum adjectus unus est; et septemviris tres additi.

14. In senatorium quidem ordinem allegebat sine discrimine milites, libertinos, civitate recens donatos, Gallos quinetiam semibarbaros, aucto ad nongentos senatorum numero. Unde rogatum a quodam Ciceronem, 'uti privigno suo decurionatum expediret,' respondisse ferunt, 'Romæ si vis habebit; Pompeiis difficile est.' Et Q. Sextius pater, latum clavum offerente Cæsare, studiorum obtentu repudiavit. Quosdam etiam infimi generis propevit ad summos honores: monetæ, publicisque vectigalibus peculiare servos præposuit: trium legionum, quas Alexandriæ reliquerat, curam et imperium exoleto suo, Rufini liberti sui filio, commisit.

15. Hæc quoque vanis vocibus ultus est populus, hoc tantum assecutus, ut et pati posse quævis indignâ et molesta judicaretur. Ideo 'Gallos idem in triumphum atque curiam, depositis braccis, lato clavo sumto, duxisse' canebatur: et libellus est propositus in hanc formam: 'Bo-

<sup>a</sup> Antea flamines Diales fuisse] Tunc nullus flamen Dialis erat. Vid. supra LXXX. 44. Crev.

num factum. Ne quis senatori novo curiam monstrare velit.' Hæc ille sic defendebat, ut dice. et palam, ' si grassatorum et sicariorum ope in tuenda dignitate usus esset, talibus etiam se parem gratiam relaturum.' Sueton.  
Cæs. 72.

16. Sed in allegendis patriciis fuit aliquanto severior : in quos et C. Octavium recepturus erat, carissimum sibi ; et maximi meriti virum, neque pollutum ab indignis honorem patienter laturum, M. Ciceronem, lege Cassia. Ascripsit autem præterea consulares omnes, et eos qui cum imperio ad exercitus fuerant. Sed et viris prætoriiis decem consularia ornamenta tribuit. Quod autem dimissi quidam fuerunt, quos accusatores corruptorum judiciorum convicerant, id crimini datum est Cæsari, tanquam pecuniæ causa jus violasset : eaque suspicio vehementius aucta, postquam loca publica, nec profana modo, sed etiam sacra quædam, subjecit hastæ. Id. ib. 41.  
Dio.  
Nic. Dam.  
de Instit.  
Aug.  
Dio, XLVI.  
Tac. XI.  
Ann. 25.  
Dio, XLIII.  
Sueton.  
Cæs. 76.  
Dio.  
  
Sueton.  
Cæs. 54.  
Dio.

17. Certabat tamen ibi quoque cum rapacitate profusio, multisque grandes summæ donatæ, aut minimis addicta sunt luculenta prædia : notumque est Ciceronis dictum, mirantibus amplissimos fundos minimo abstulisse matrem Serviliorum ; ' Quo melius emtum sciatis, Tertia deducta est.' Erat autem Junia Tertia Serviliæ filia, C. Cassii<sup>2</sup> uxor : quam et ipsam conciliare Cæsari mater credebatur. Sed L. Basilo præturam gerenti visum intolerabile, quod, negata provincia, pecuniam Cæsar dedisset : igitur, non ferens ignominiam, sibimet conscivit necem. Hæc, ut in civitate studiis et motibus discordi necessum erat, varie accipiebantur : gaudebant, quorum hæc fiebant emolumento ; ceteri ringebantur, sermonibusque occultis, et quibus plus audaciæ erat, libellis editis, temporum infelicitatem traducebant. Sueton.  
Cæs. 50.  
Macrob.  
Sat. II. 2.  
  
Dio.

18. Hæc ferme anni illius gesta reperio : quo quidem ærarii curam ex præfectorum numero duo gesserunt, a quæstoribus prius administrari solitam. Ab eo initio varie habita ejus rei forma est ; nec postea perpetuo mandata quæstoribus, sed postremo præfecti sunt ærario Tac. Ann.  
XII. 29.

Dio. prætorii. Quæstores autem eo anno nulli creati,<sup>b</sup> cum Lepido magistro equitum, sicut èt factum anno superiore fuerat, præfectis urbana negotia administrantibus, qui postulati, quod lictores prætextamque et sellas curules habuissent, legem protulerunt, per quam earum rerum potestas fiebat iis qui magistratum aliquem a dictatore accepissent. Apollinares ludi sumtibus Cæsaris facti sunt per alterum præfectorum, quos ærario præfuisse diximus: Romanos ædiles plebis fecerunt ex senatusconsulto. Præterea, quod neque prius neque postea factum reperitur, unus præfectorum, cum feriis operam daret, alium sibi suffecit in proximum diem, atque ille iterum alium.

19. Sequitur annus Julianus secundus, quintam Cæsaris dictaturam, quintumque et postremum consulatum afferens.\* Proximis enim comitiis cum, promissis ejus inductus, Dolabella consulatum petisset; quia M. Antonium creare consulem cupiebat, qui ex Hispania redeunti longissime profectus obviam, pristinum familiaritatis gradum recuperaverat; sciens eum esse Dolabellæ inimicissimum, semetipsum cum M. Antonio designarat: Dolabellam ostendens, priusquam ad bellum Parthicum proficisceretur, consulem esse jussurum. M. Lepidum asciverat magistrum equitum: et, quia Galliam ille Narbonensem cum Hispania citeriore per legatos administrabat, et tum iturus ipse erat in provinciam, C. Octavius C. F. C. N. magister equitum designatus est, ut, cum M. Lepidus paludatus exisset, iniret. Nam, ut Lepido præferretur ab avunculo frustra petierat, quod esset adhuc adolescentulus.

Fasti Capit. Dio. Appian. Dio. Fasti Capit. Plin. vii. 45. 20. Designavit et Cu. Domitium M. F. M. N. Calvinum, qui sibi dictatori magister equitum in annum sequentem esset: sed tum magistro equitum non fuit opus, dictatura

<sup>b</sup> *Quæstores . . . . eo anno nulli creati*] At supra c. 13. memortum est 'quæstores quadraginta esse factos.' Utrobique Dionem auctorem sequitur Freinshemius. Hunc uodum sic solvit Pighius in *Annal. Rom. ad hunc annum,*

ut existimet prætores et quæstores a Cæsare post reditum deum ex Hispania creatos esse, ita ut per majorem anni partem nulli quæstores, nec prætores fuerint. *Crev.*

\* A. U. C. 708. A. C. 44.



sublata. Quod enim belli Parthici causa abfuturus erat Dio.  
 Cæsar, decretum fuerat, ‘uti plures in annos magistratus  
 ordinarentur.’ Nec tamen omnes declarati: prætores Sueton.  
 tamen constituti sedecim, in quibus et P. Ventidio fuit Cas. 76.  
 locus. Ediles tum primum sex creati, duo patricii, quos Dio.  
 ob frumenti procurationem Cereales vocabant; quatuor Dig. de  
 plebei. Ceteri quoque magistratus omnes eum in annum Orig. Jur.  
 constituti sunt: in sequentem, præter consules et tribunos Paragr. 33.  
 plebis nemo. Dio.

21. Ipse, qui nunquam posset quiescere, multa simul Plut. Cæs.  
 negotia amplexus, dum expeditio paratur, de ornandis Sueton.  
 instruendisque Urbe et imperio cogitabat. Theatrum Cæs. 44.  
 primis extruere aggressus est summæ magnitudinis, Tar-  
 peio monti accubans. Destinavit et Marti templum,  
 quantum nusquam esset, complanato lacu, in quo nauma-  
 chiam ediderat: præterea Græcas Latinasque bibliothec-  
 as, quam posset maximas, colligendi negotium M. Var-  
 roni dederat. Quæ opera morte ejus interrupta, succes- Dio.  
 sor Augustus perfecit. Penes ipsum invidia fuit, quod  
 loco theatri repurgando multa privata atque etiam sacra  
 ædificia diruerat; crematis simulacris ligneis, et quos re-  
 pererat thesauris suum in sinum reconditis.

22. Parabat et siccare Pontinas paludes, quæ a Cir- Sueton.  
 ceis magnum agri Latini modum absorbuerant: Anienem Dio, xliiv.  
 flumen, ipsumque Tiberim, statim a Ponte Mulvio, præ- Plut.  
 altis foveis exceptos, secundum montes Vaticanos, per Plin. iiii.  
 Circæum promontorium Tarracinam, atque in mare Tyr- 5. et xxvi.  
 rhenum deducere, quo minore negotio subigi naves onera- 4. Plut.  
 riæ possent: et, jactis ad mare circum Ostiam molibus, Cic. ad  
 alveoque Tiberis repurgato, portum efficere cujuslibet Att. xliii.  
 navigationis capacem: et quo facilius Urbs adiretur, a 33.  
 mari Supero per Apennini dorsum ad Tiberim usque mu- Plut.  
 nire viam. Sed et isthnum perfodere inter Læcheam et Sueton.  
 Cenchræas navigabili alveo cogitavit; quod olim rex De- Dio, Plut.  
 metrius, postea Caligula et Nero Cæsares, infansto<sup>3</sup> om- Plin. iv. 4.  
 nes incepto, et ipsorum interrupto morte, tentaverunt.

3 Ita ex Plin. emend. Crev. pro *infesto* Clerici, et *infesto* reli-  
 quarum edd.

- Dio, XLIII. 23. Inter hæc et leges tulit, et pomœrium protulit Ur-  
 Cic. ad bis. Quibus rebus cum imitari Syllam videretur, longis-  
 Att. XIII. sime anteibat clementia, qui adversus se arma tulerant  
 33. et 35. pari cum ceteris jure sinens agere, et quibus bona propter  
 Dio. delictum ademerat, eorum filiis remittendo partem. Igi-  
 tur licet arduum sit unum aliquem et belli et pacis excel-  
 lere laudibus, utroque nomine clarus apud populum Ro-  
 manum atque venerandus erat. Auxitque gloriam apud  
 Plut. Dio. exteros, duarum nobilissimarum urbium, Corinthi et Car-  
 Pausan. II. thaginis, instauratio, quæ ante annos circiter centum  
 Diod. ap. simul deletæ, tum clementia et liberalitate Cæsaris resur-  
 Val. rexerunt.
- Appian. 24. Consilium hoc cepisse in Africa creditur, somnio  
 Libyc. permotus, cum adversus Pompeianos in solo Carthaginis  
 Strabo, castra posuisset. Magnum exercitum videre per quietem  
 VIII. p. 381. imaginatus, seque fletu ejus permotum appellari, ut popu-  
 et XVII. losissimam olim urbem iterum e ruinis excitaret; statim  
 p. 833. in commentarios retulit, ‘missurum colonias Carthaginem  
 Appian. et Corinthum,’ cujus eum simul memoria subierat. Co-  
 loni sunt Corinthum missi libertini generis plurimi, ‘Co-  
 Strab. VIII. riuthiensesque’ appellati, et colonia ‘Julia Corinthus.’  
 Festus. Ab eo tempore rursus magnopere hæ urbes effloruerunt;  
 Vales, in Dioid. Carthago quidem in tantum, ut a Solino ‘alterum post  
 Fragn. Mela, I. 7. Urbem Romam terrarum decus’ appellaretur.  
 et II. 3. Solin. c. 30.  
 Dio. 25. At Cæsar, multis ad bellum causis excitatus, quod  
 Appian. et Crassum vindicari populus Romanus jubebat; et ipsi  
 Civ. II. valetudo inter laborem erat firmior; sed præcipuo gloriæ  
 Plut. stimulo, quam vastus et insatiabilis animus sine modo sine  
 fine indesinenter appetebat, præmissis trans Adriaticum  
 Appian. sinum legionibus sedecim, equitum decem millibus, Dacos  
 Sueton. qui se in Pontum et Thraciam effuderant, coërcere; mox  
 Cæs. 44. Parthis inferre bellum per Armeniam minorem meditaba-  
 tur: his devictis, per Hyrcaniam ad Caspium mare  
 Plut. penetraturus, ut, Caucaso ambito, Scythiaque perdomita,  
 et quæ supra Germaniam colunt gentibus, ipsaque Ger-  
 mania, per Gallias in Italiam rediens, omnem fere orbem  
 habitabilem unius imperii jure complecteretur. Sub idem  
 tempus, his puto cogitationibus admonentibus, senatuscon-  
 sultum faciendum curavit, ‘uti totius orbis Romani de-
- Æthic. in  
 Prof.

scriptio, cum accuratis locorum dimensionibus, in tabulas referretur.'

26. His excitæ rumoribus Illyriorum nationes, nunquam satis pacatæ, legatos miserunt, præteritorum petentes veniam, traditis in fidem Cæsaris omnibus. Sed inter orandum barbara quadam ferocia, gentis suæ robur, et induratum bello fortitudinem extulerant. Appian.  
Illyr.

27. Itaque Cæsar, acriore responso superbiam eorum reprimendam ratus, 'Vos quidem,' inquit, 'armis Romanis sæpe provocatis domiti, dum majoribus curis stringimur, a pacta fide subinde resiluistis. Nec antiquiora commemoro: me subigendis Galliis occupato, cum Liburnis Priamonem reddi juberem, spretis mandatis meis, etiam copiarum eo missarum partem insidiis circumvenistis. Post paulo Gabinium cum quindecim cohortibus, et tribus millibus equitum, per fines vestros ad me tendentem in Macedoniam, hostiliter vexastis, multis occisis militibus, signis spoliisque ablatis. Nunc amicitiam audetis a me petere, quem tot injuriis lacessere veriti non estis. At ego talia perpetrantibus amicus esse non didici. Armis ulcisci armatos, et pacem quam petunt præstantibus parcere, Romanum et meum est. Idcirco tributa, et in futurum fidei pignus obsides mittite; aut hostilia omnia propediem expectate.' Orantibus illis, et utrumque pollicentibus, P. Vatinius cum legionibus tribus, et magno equitatu misit, qui acciperet obsides, et tributa imponeret. Sed talia agitantem animo Cæsarem festinata civium dolo mors prævenit. Sueton.

28. Jam eum exosum multis nimii honores fecerant, et quod in his usurpandis existimatus erat esse superior. Sed maxime despectus ab eo nuper senatus putabatur: isque dolor arrogantiore facto sævius recrudit. Cum A. D. VII. Kalendas Februarias ex Albano monte ovans reverteretur (hic enim ei honor decretus fuerat e feriis Latinis redeunti) acclamatione quorundam rex appellatus, cum id animadverteret populo parum placere, 'non regem se, sed Cæsarem esse' respondit. Attamen quidam e turba statuæ ejus coronam imposuit, candida præligatam fascia, in diadematis modum. Eam fasciam duo Dio, xlii.  
Sueton.  
Cæs. 78. et  
79.  
FastiCapit.  
Dio. Plut.  
Appian.  
Sueton.  
Plut. Cæs.  
et Brut.

Dio. tribuni plebis, L. Cæsetius Flavus, C. Epidius Marullus,  
Sueton. detrahi, hominemque in carcerem duci jusserunt : gra-  
Appian. tum facturos Cæsari sperantes,<sup>c</sup> quod ille motam aliquando  
Sueton. regni mentionem <sup>4</sup> similis indignabundo rejecisset. At  
Plut. ille graviter increpavit tribunos, quasi ereptam sibi glo-  
Dio. riam recusandi doleret : subinde Brutos vocans et Cuma-  
nos, quia populus factum eorum probans, quasi vindices  
libertatis hostesque regni, Brutos appellaverat. Nihil  
tamen adjecit in præsentia tristius.

29. Ceterum tribunos post aliquot dies queri ausos,  
'sibi neque integrum, neque tutum esse de republica lo-  
qui,' accusavit in senatu, 'quod invidiam sibi tanquam  
affectanti tyrannidem facerent ;' et multis extrema decer-  
nentibus, 'sufficere' dixit, 'si senatu moti tribunatum  
amitterent.' Rogationem de abrogando eis magistratu  
Liv. Epit. C. Helvius Cinna pertulit : pauloque post interemtus,  
Jul. Obseq. firmavit opinionem, neminem, qui collegæ magistratum  
Val. Max. abstulisset, annum supervixisse. Cæsetii pater, a Cæsare  
v. 7. 2. filium abdicare jussus, facturum se negavit. Quod a  
Dio. Cæsare latum civiliter, non tamen absolvit eum cogitata  
'Appian. dominationis crimine, quod lenis alias et mansuetus, tam  
præcipiti iracundia in homines præmio digniores exar-  
sisset.

Plut. Cæs. 30. Fertur et ipse sensisse commota hominum odia, et  
et Anton. amicis dixisse, jugulo nudato, 'paratum se ad cædem cui-  
Appian. libet : ceterum vigilarent illi : nunc enim egregium nactus  
Vell. II. 57. esse prætextum inimicos.' At Pansa et Hirtio prædi-  
centibus, 'ut principatum armis partum armis tueretur ;'  
Appian. quærentibusque, 'num igitur pateretur iterum stipari co-  
hortibus, quas Hispaniensi bello habuisset ?' respondit,  
Vell. 'nihil esse miserius perpetua custodia ; hoc enim sem-  
per timentis atque solliciti esse. Mori se quam timeri  
malle.'

Dio. 31. Neque tamen aut ipse desiit appetere regnum ; aut

<sup>4</sup> *Rationem* edd. ante Crev.

<sup>c</sup> *Gratum facturos Cæsari sperantes*] Sive sperare se simulantes : ὑποκρινόμενοι τι καὶ Κασαρί χαριεῖσθαι, inquit Appianus. Crev.

familiares ejus hanc augere suspicionem. Novissime pro rostris aurea sella, in regia veste, cum aurea corona sedentem, M. Antonius, inter Lupereos currens, adiit, et diadema paratum afferens, capiti ejus imponebat, tanta hominum mæstitia, ut etiam M. Lepidus averteret oculos; et Cæsar ipse repelleret, plaudente populo, qui modo graviter ingemuerat.

32. Id quia factum erat aliquoties, neque offensus Cæsar pro gravitate rei videbatur, et, cum capiti detractum in sella collocasset, seposuisse potius, quam repudiare existimatus est, enimvero manifesta res visa. Neque mentibus eximi suspicio potuit: quanquam mox in Capitolium illud mitteret,<sup>5</sup> ‘solum Jovem Romanorum esse regem’ dictitans. Plura enim augendæ suspicioni fiebant, aut futura credebantur. Nam et passus erat Cæsar ascribi in Fastis ad Lupercalia, ‘C. Cæsari, dictatori perpetuo, M. Antonium consulem populi jussu regnum detulisse, Cæsarem uti noluisse.’ Igitur rem actam ex composito credebant: ut Cæsar, quod flagrantissime cupiebat, suscipere coactus videretur. Quin etiam fama percrebuit, ‘migraturum Alexandriam vel Ilium, ut id deinceps haberet<sup>6</sup> imperii caput: exhaustaque delectibus Italia, regimen Romæ permissurum amicis. Sed et proximo senatu L. Cottam Quindecimvirum sententiam dicturum, ut quoniam libris Sibyllinis comprehensum esset Parthos nisi a rege vinci non posse, Cæsar rex appellaretur.’

33. Id maturandi consilii causam conjuratis attulisse creditum, et quia revera regem Cæsar agebat, ne modestum quidem, sed assentatorum vocibus infatuatum, et nimios honores sine numero admittentem. Nam præter eos qui suis locis sunt memorati, decretum ei fuerat, ‘uti fastigium, qualibus ornari templa solent, in domo ejus locaretur: ipse curuli sella semper uteretur; ludis in tribunicio subsellio spectaret inter tribunos: opima spolia in templo Jovis Feretrii suspenderet: lictores semper haberet

<sup>5</sup> Existimatus est. Neque . . . mitteret eam edd. ante Crev. qui correxit ex Suet.

<sup>6</sup> Eam deinceps habiturus, et mox postremo pro proximo, et vinci posse pro vinci non posse edd. ante Crev.

Flor. iv. 2.  
Liv. Epit.  
Dio.  
Plut. Cæs.  
et Anton.  
Cassiod.  
Chron.  
Cic. Phil.  
ii. 34.  
Sueton.  
Appian.  
Cic. Phil.  
xiii. 8. v.  
14. et Plut.  
Liv. Epit.  
Sueton.  
Plut. Dio.

Dio et  
Cic. Phil.  
ii. 34.

Dio.

Sueton.

Cic. de  
Div. ii. 54.  
Appian.  
Plut. Cæs.  
Sueton.

Dio.

Flor. Plut.

Dio.

laureatos : ipsius imagine moneta signaretur : statuæ in omnibus urbibus, atque omnibus Urbis Romanæ templis ponerentur : in ipsis quidem rostris duæ, altera cum civica corona, altera cum obsidionali ; tanquam ipsius virtute servati cives, liberata patria, forent : uti Concordiæ Novæ templum statueretur, cum anniversariis ludis, propter restitutam a Cæsare pacem : curia quoque nova ædificaretur.' Hostilia cum funere Clodii arsisset, dudum instaurata fuerat. Sed eadem nuper erat iterum diruta, magistro equitum Lepido templum ibi dicente ædificaturum Felicitati. Ceterum id ea re actum ferebatur, ut inde quoque Syllæ nomen tolleretur, et nova ibi curia ex fundamentis educta Julia fieret. Quemadmodum et mensis appellatus ab eo fuerat, et tribuum una sorte ducta ex omnibus.

Supra,  
CVII. 22.  
Dio.

Flor. Dio.

34. Ad hæc datum, ' uti solus perpetuusque censor esset : filius, sive natus ei, sive adoptatus foret, pontifex maximus crearetur. Pro salute ejus vota quotannis fierent : per genium ejus juraretur : omnia quæ egisset, rata haberentur : senatores atque equites custodiam corporis ejus agerent : Quinquennalia tanquam heroi agerentur : Lupercis tertium collegium adderetur, Juliorum cognomento : munere gladiatorio in Urbe et per Italiam unus dies Cæsari dicatus esset : in theatris sella ejus aurea, et gemmata radiisque distincta corona, sicuti ceterorum Deorum, inferretur.' Postremo jam non per ambages, sed propalam pulvinari decreto Jovem Julium appellarunt, eique suum attribuerunt flaminem, Antonium. Nec eo minus tanquam mortali sepulcri locum dederunt intra pomerium. Et hæc decreta literis aureis in columnis argenteis consignata sub pedibus Capitolini Jovis collocaverunt.

Sueton.  
Cæs. 76.  
Dio.

35. Non me fallit his commemorandis lectori me simile fastidium comparasse, atque ego cognoscendis digerendisque subii. Sed referre credidi, ne parum diligenter ista traderentur, quo sub illustri documento palam fieret, in quantum insanire magna ingenia possint, quoties popularium vocum puerilibus oblectamentis in transversum acta, semel a vero gloriæ itinere diverterunt.

36. Inerat sane Cæsari præstantissimus animi vigor, et capax omnium, ad quæ aspirare mortalis natus ausit, sublimitas: sed assuetudine et voluptate jueunda quam salutaria audiendi non cessavit a se desciscere, donec ad stollida, et pudenda, et postremum exitiosa prolaberetur. Igitur propalam edebat voces insolentis arrogantiae plenissimas, ‘Nihil amplius esse rempublicam: appellationem modo sine corpore ac specie. Syllam nescisse literas, qui dictaturam deposnerit. Debere homines jam consideratius secum loqui, et pro legibus habere quæ dicat.’

Plin. vii.  
25.

Sueton.  
Cæs. 77.

37. Sane magnos ei honores a principio quotquot adhuc vetere curia digni superabant, non immerito detulerant. Sed ubi hæc cupide recipi intellectum est, statim prorupit adulantium protervitas, tam impudenter, ut inter alia turpia censerent quidam, quod mulierosum esse scirent, ‘ut uxores, liberorum quærendorum causa, quas et quot vellet, ducere liceret.’ Aiuntque hoc etiam placuisse Cæsari, atque Helvium Cinnam plerisque confesum, habuisse paratam legem, quam ea de re ferri, se absente, Cæsar jussisset. Jamque eo perventum erat, ut tot atque talia admitti ab homine, vel ipsi, qui detulerant, indignarentur.

Dio.

Sueton.  
Cæs. 50.  
Dio.

Sueton.  
Cæs. 52.

Dio.

38. At populus, ut mos est vulgo, sæpe nominibus magis, quam rebus offendi, quem tamdiu regem erat passus, sic appellari velle non ferebat. Itaque clam palamque dominationem asperrantes, vindicem requirebant. Proximis comitiis reperta dicuntur complura suffragia Cæsetium et Marullum consules declarantium. L. Bruti statuam in Capitolio fuisse diximus, juxta regum effigies, ubi et C. Cæsari nuper erat posita. Huic igitur inscriptum fuit: ‘Brutum, ejectis regibus, primum consulem factum esse; hunc, ejectis consulibus, postremum regem.’ Bruti vero statuæ: ‘Utinam viveres!’

Plut.  
Anton.

Sueton.  
Cæs. 80.

Supra c. 9.

Sueton.

39. Atque inde conversi ad prætorem Brutum, quem propter nominis communionem ab altero illo genus ducere faventes dicebant, subinde inclamarunt Bruti nomen, sibi que ‘Bruto aliquo esse opus.’ Tribunali quoque ejus inscriptum, ‘Dornis Brute!’ et, ‘Non es Brutus!’ Is populi sensus animos inimicorum Cæsaris erexit; Cassio-

Dio. Plut.  
Cæs. et  
Brut.  
Dio.  
Appian.

Plut. Brut. que solicitanti quosdam, annuerunt, si dux facti Brutus esse sustineret. Ab hujus enim integritate putabant accessurum ausis suis honestissimum colorem, ut res, Bruto probata, non nisi causa libertatis suscepta videretur.

Plut. Cæs. et Brut. Appian. Vell. II. 56. Plut. Brut. et Appian. 40. Sororem Bruti Cassius duxerat; sed erat inter eos nuper orta dissensio, quod minorem natu Brutum Cæsar urbanum prætorem fecerat, eidemque consulatum promiserat, dilato Cassio, cujus tamen causam esse justiore fatebatur. Tunc igitur prior ad Brutum Cassius venit, percontatusque est, 'essetne interfuturus senatui Kalendis Martiis? Nam audire se Cæsaris amicos relatu- esse de regno ejus.' Ille negare affuturum. Tum Cassius, 'Quid si cogamur adesse?' 'Multa querar,' ait ille, 'de republica: et oppetam pro libertate.' 'Istud vero nec Dii nec homines sirint!' exclamat Cassius. 'Quin ille pereat potius qui meruit. Nec enim solus obijciere periculo. Ecquid eos putas, qui voce non ausi te compellare, tribunal tuum fecerunt interpretem suæ voluntatis? Non forensis ea turba est profecto, aut sellularii opifices: illustres viri sunt, et principes civitatis.'

Plut. Brut. 41. Ab hoc colloquio Brutus, jam consilii certus, Q.

Cic. pro Lig. Ligarium invisit familiarem suum; qui, accusatus apud

Plut. Cæsarem, et patrocínio Ciceronis absolutus, acriorem periculi quam beneficii sensum retinebat. Igitur, dicente Bruto, 'Quali tempore ægrotas, Quinte!' continuo se erexit in cubitum, et, arrepta Bruti manu, 'Si quid,' inquit, 'dignum te cogitas, valeo.' Inde ad solicitandos amicos conversi, multos pertraxerunt in societatem, quos-

dam etiam ex Julianis partibus. Horum principes fuerunt D. Brutus, C. Trebonius: ceteri nobiliores Ser. Sulpicius Galba, Caius et Publius Servilii Cascæ, Tullius Cimber, Minucius Basilus: plerique omnes nulla alia de causa, quam quod satisfacere Cæsar cupiditati omnium nequibat, cum singuli ferme tantum poscerent, quantum

vix dare poterat universis. Ex Pompeianis, præter duces consilii Brutum atque Cassium, L. Cassius, Caii Frater, Cu. Domitius Ahenobarbus,<sup>d</sup> P. Turullius, A-

Appian.

Sueton.

Galb. c. 3.

Appian.

Sen. de

Ira, III. 30.

Appian.

et Casaub.

ad Sueton.

Cæs. 80.

<sup>d</sup> Cn. Domitius Ahenobarbus] Huuc inter conjuratos fuisse negat Suetonius, Nerone, c. 3. Cicer.



lius, Petronius, C. Cornelius Cinna, Cassius Parmensis, Cæcilius et Bucilianus fratres, Rubrius Ruga, Q. Ligarius, M. Spurius, P. Sextius Naso, Pontius Aquila.

42. Sed Ciceronem, de cujus neque fide neque benevolentia dubitarunt, celare consilium maluerunt, circumspectam senis prudentiam veriti, minime aptam negotio quod celeritatem et impetum requireret. Sed et Statilium et Favonium, duos Catonis æmulos, non adhibuit Brutus, tentata dissimulanter utriusque sententia, dum inter sermones de philosophia elicitur Favonius, ut ‘deterius esse tyrannide bellum civile’ diceret: Statilius, Epicuri sectæ deditus, ut negaret ‘cordato viro laborem et periculum esse suscipiendum malorum et stolidorum hominum gratia.’ Igitur his relictis, Labeonem<sup>e</sup> quendam adjuvit.

43. A Labeone simul et Cassio D. Brutus tentatus est, vir animi non maximi, sed cui plurima erat fallendi copia, per amicitia fidei: erat enim inter familiarissimos Cæsaris. Præterea cum Idibus Martiis munus editurus esset in theatro Pompeii, gladiatores ejus ingentem præbere usum poterant. At ille, nullo tum responso dato, perrexit ad Brutum: et, intellecto hunc esse rei gerendæ duce, omnia promisit amplissime. Ceterorumque plurimos et præstantissimos auctoritas M. Bruti allicuit: donec facti sunt senatores equitesque amplius sexaginta. Tum consilia, quæ seorsim hactenus bini ternive ceperant, in unum conferre visum: et licet neque juramento, neque sacris tactis astrinxerunt fidem, eam tamen cum silentio præstiterunt, ut ex tanto numero nemo mutaret animum, nemo proderet: ne Cimber quidem Tullius, confessæ ebriositatis, et qui postea per jocos dicere solitus est, ‘Egone ferrem quenquam, qui viam ferre non possum!’

44. Sane non fallebat Cæsarem nocturnos conventus agi, Brutumque et Cassium suspectabat, negans ‘obesos illos et comatulos se timere,’ (Dolabella et Antonius rerum novarum insimulabantur,) ‘sed pallidos hos et macilentos.’ Ceterum sive inopia consilii, sive nimia fortunæ suæ fiducia, contentus edicto admonuisse, ‘nota sibi esse

Plut. Cic.  
et Brut.

Plut. Brut.

Appian.  
Dio.

Plut.

Entrop.  
Sueton.  
Cæs. c. 80.  
Plut. et  
Appian.

Sen. Ep. 83.

Sueton.  
Cæs. c. 75.  
Plut. Cæs.  
et Brut. et  
Anton.

Sueton.

<sup>e</sup> Labeonem] Qui ab utroque dissentire se significaverat. Crev.

quæ agerentur,' ultra nihil cavit: etiam haruspices irridens, a quibus monebatur.

45. Quo die primum veste purpurea processit, atque in aurea sella sedit, sacrificanti extis cor defuit in opimo bove. At ille tristitia exta nuntianti Spurinnæ, dicentique timendum esse ne consilium et vita deficeret, quod utraque hæc corde continerentur; 'futura' dixit 'lætiora cum vellet: neque pro ostento ducendum si pecudi cor defuisset: idemque sibi evenisse in Hispania; neque ideo minus secutam victoriam.' Sed haruspice regerente, 'tum quoque maximum capitis discrimen adisse;' hactenus motus est, ut postero die iterum immolaret. Tum vero caput in jecore non fuit. Prædixit igitur Spurinna, 'caveret proximos dies triginta, quorum erat postremus Idus Martiæ.'
46. Sed et alia plurima circum hoc tempus apparuisse prodigia tradunt. Nam præter fulgurita plurima, et visa per noctem discurrentium virorum flammea spectra, avestque solitarias in foro conspectas, paucos ante menses Capuæ repertam in conditorio Capiis tabulam æneam familiarissimum Cæsaris Cornelius Balbus memoriæ prodidit, literas Græcas exhibentem hac sententia: 'Quandoque ossa Capiis detecta essent, fore ut ex ea gente prognatus manu consanguineorum necaretur, magnisque mox Italiæ vindicaretur cladibus.' Proximis quoque ante mortem diebus ei nuntiatum est,<sup>7</sup> greges equorum, quos in trajiciendo Rubicone consecratos sine custode vagari patiebatur, pertinacissime abstinere pabulo, ubertimque flere. Prædie Idus avem, ex eo genere quod Regem avium appellabat Italia, cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ se inferentem, volucres varii generis ex proximo nemore persecutæ, ibidem discerpserunt. Ipse in cæna apud magistrum equitum Lepidum, cum more suo inter recumbendum epistolas commentaretur, ut erat ad plura simul agenda singulari quadam mentis velocitate præditus; motam interea quæstionem audiens, 'quænam esset mors optima?' prævertens omnes exclamavit, 'inopinata.'

<sup>7</sup> *Enuntiatum pro ei nuntiatum legebatur ante Crev.*

47. Eandem deinde noctem et vigilans et dormiens irrequietam habuit, visus sibi per quietem interdum supra nubes volitare, alias cum Jove dextram jungere: et cum arma Martis, quæ veteri instituto domi pontificis maximi asservabantur, sonitum ingentem edidissent; valvæque cubiculi fenestræque omnes, quæ diligenter clausæ fuerant, subito essent patefactæ, strepitu simul, et fulgore lunæ exterritus, animadvertit juxta cubantem uxorem Calpurniam in somno graviter angi: comperitque imaginatam, 'fastigium quod adjectum Cæsaris ædibus senatusconsulto fuerat, ruisse. Deinde maritum se tenere confossum in gremio suo.'

Sueton.  
Cæs. c. 81.  
Dio.

Jul. Obseq.  
Plut.

Jul. Obseq.  
Sueton.  
Plut. Dio.  
Constant.  
Manasses.  
Val. Max.

48. Jam illuxerant Idus, quam in diem senatum in Pompeii curiam convenire jusserat, ut quarto post die paludatus votis nuncupatis proficisceretur. Sed tenebat eum Calpurnia, flens oransque ne quo procederet: et movebatur ille solitudine matronæ, in qua nullam alias muliebrem superstitionem animadverterat. Accedebat et valetudo infirmior, et quod pluribus hostiis cæsis renuntiatum erat non litari, avesque non sinere eum egredi domo.

1. 7.  
Sueton.  
Cæs. 80.

Appian.  
Plut. Brut.  
et Cæs.

Appian.  
Sueton.  
Cæs. 81.  
Dio.

49. Jamque per Antonium dimittere statuerat patres; cum D. Brutus, monentibus per nuntios consciis, amitti occasionem veritus, irrisit haruspices: ipsum castigavit, 'si frequente, ac dudum opperiente senatu, deluso, criminationum malevolis præberet materiam. Paratos esse decernere, uti locis omnibus extra Italiam insignia nomenque regium ferat, domi sub nomine dictatoris eandem potestatem retineat: hoc enim quasi temperamentum placuisse nonnullis credebatur. 'Eos jam dimittere, et jubere opperiri, donec lætiora fiant Calpurniæ somnia, nihil esse aliud, quam se offerre sermonibus et judiciis, qualia maxime nolit. Quod si omnino constituisset eam diem inauspicatam ducere, at ipse veniret in curiam, senatumque mitteret.' Sic expugnatus decessit, sed ea destinatione ne quid majoris rei ageret. Cum exiret domo, imago quædam ejus in vestibulo posita sponte decidit, et comminuta est.

Appian.  
Plut. Cæs.  
Dio.

Sueton.  
Plut.

Dio.

50. Vix erat egressus, cum servilis quidam conditionis accurrens, quoniam repulsus ab aditu ejus fuerat, Calpur-

Plut. et  
Appian.



niam adiit, custodiri petens, donec Cæsar redisset: ‘magnarum enim rerum se adesse indicem.’ Sed et Artemidorus Gnidius, qui propter linguæ Græcæ professionem plerisque Bruti familiaribus notus, consilia eorum olfece-  
 rat, libello porrecto, cum vidisset alios ipsi oblatos amicus tradentem, ‘Hunc,’ ait, ‘operæ pretium est ipse perlegas, et cito.’ Sed sæpe conantem subinde intervenientes alii salutantesque averterunt: manuque libellum tenens curiam introiit.

Sueton.  
 Dio.  
 Plut. et  
 Appian.

Plut. Brut. 51. Sub idem tempus pro tribunali Brutus jus reddebat ita securo vultu, ut nullius insoliti consilii nota deprehenderetur. Cuidam tamen appellanti Cæsarem respondit, ‘Neque prohibet me jus secundum leges dicere Cæsar, neque prohibebit.’ Interea nuntiatur ei uxorem Porciam deficere, quæ una mulierum conspirationis hujus erat conscia. Quippe maritum præter morem inquietari animadvertens, neque fatente illo, rem grandem et arcanam agitari suspicata,<sup>8</sup> scalpellum, quo præcidere ungues solebat, alto vulnere demersit in femur: magnoque inde dolore, et propter amissum sanguinem debilitate affecta, anxium virum sic affata dicitur:

Dio.  
 Val. Max.  
 III. 2.  
 Plut.

Polyæn.  
 Strat. VIII.  
 Plut.

52. ‘Ego, mi vir, in communionem utriusque sortis nupsisse tibi scio. Tu vero, cum animum meum probares, corpori diffisus, quod in hoc sexu infirmius imparque dolori creditur, sollicitudines tuas occuluisti. Neque ego credebam mihi, donec experimentum facerem. Ecce autem possum quod volui, et facile cruciatum fero. Quod si post hoc tirocinium contaberis habere mihi fidem, ne quis aut Catonis filiam aut Bruti conjugem vocet, ni morte mea dedecus hoc abrupero!’ Sic admissa in consilii societatem, ipsa viro ad facinus prodeunti vestes, et obvolutum illis pugionem attulit. Hæc igitur, sive nondum percurato vulnere, sive curis urgentibus, deliquium animi passa nuntiabatur. Sed Brutus, audito jam affuturum Cæsarem, privatae sollicitudini publicam causam anteposuit: ceteri quoque consilii respiraverunt a metu.

Polyæn.

Plut.

Dio.

53. Timebant enim ne, delato rei indicio, venire Cæsar contaretur. Nam et apparitor sellam auream curia jam

8 *Divinata* edd. ante Crev.

extulerat, quæ et ipsa res post necem Cæsaris in omen tracta est. Sed ille, sive prædictionibus spreto, sive defunctum se periculo putans, in alias cogitationes intendebat animum; ita securus, ut visum forte, dum in senatum pergat, Spurinnam haberet ludibrio, 'venisse' dicens, 'Martias Idus.' Atque ille, 'venisse quidem, sed nondum præterisse' respondit.

Sueton.  
Plut. Cæs.  
Dio.  
Val. Max.  
VIII. 11.

54. Exscendentem e lectica Cæsarem Sex. Popillius Lænas secreto sermone diu detinuit: unde iterum formido consciis, ne consilia sua proderentur. Nam ea quidem in re præter assuetam magnis ausis trepidationem, miro gemini erroris ludibrio propemodum ipsi detexerunt animi destinata. Paulo enim ante Cascæ quidam familiaris, sed hujus consilii expers, prehensa ejus manu, 'Tu vero,' inquit, 'nos celasti de arcano, sed Brutus nobis expromisit omnia.' Et nisi paulo post, stupente Casca, subjecisset, 'Unde igitur eæ tibi subito opes, ut cogitare ausis ædilitatem?' minimum aberat, quin Casca rem omnem tanquam gnaro aperiret.

Plut. Brut.  
et Appian.

55. Et Brutum atque Cassium impensius salutans Popillius, priusquam adiret Cæsarem, clam insurravit, 'optare prosperum eventum cogitatorum. Sed emanare rem: properarent.' Hunc igitur cum Cæsare tamdiu colloquentem profecto deferre indicium rebantur. Et admovebant nonnulli sub toga pugionibus manus, interfectori semetipsos priusquam comprehenderentur: cum Brutus, considerato attentius Lænatis gestu, preces eum, non indicium deferre conjiciens, quia sermoni non erat locus, hilariori intuitu advertit Cassium, et a re præcipitanda abduxit.

56. Interim Antonium pro foribus curiæ C. Trebonius longo sermone distinuit: sive ne perire Cæsarem homo prævalidus, et majestate consulatus armatus, impune siceret; sive ne ipse periret. Fuerat enim dubitatum quid Antonio fieri oporteret. Nonnullis illum quoque, sed et Lepidum tolli jubentibus, mitior sententia vicit. Nolebat Brutus 'quenquam præter Cæsarem occidi, quo nihil aliud a se petitum, quam libertatem, ipso opere demon-

Dio.  
Appian.  
Cic. ad  
Fam. x. 28.  
et Phil. 11.  
14. x 111. 10.  
Plut. Cæs.  
et Brut. et  
Anton.  
Dio.  
Plut. Brut.  
Appian.  
Vell. II. 58.

- Cic. Phil. strarent.' Profuit etiam Antonio, quod C. Trebonius cum  
 11. 14. eo se Narbone hoc consilium cepisse dicebat: eamque  
 Plut. rem nunquam Cæsari indicaverat Antonius.  
 Anton.
- Plut. Cæs. 57. Sed in curia cum ingredienti Cæsari senatus assur-  
 et Brut. rexisset, conjuratorum alii sellam ejus specie officii cir-  
 Sueton. cumsteterunt, pars accesserunt ad eum cum Tullio Cimbro,  
 Cæs. 82. tanquam pro fratre ejus exule rogaturi. Multa hic Cim-  
 Appian. ber a Cæsare beneficia acceperat; quorum immemor, pri-  
 Plut. mas in eo facinore partes suscepit. At Cæsare negotium  
 Cic. Phil. in aliud differente tempus, et, quia impudentius urgebatur,  
 11. 11. volente consurgere, togam ejus purpuream ab utroque hu-  
 Sueton. mero Cimber comprehendit. Hoc signum ut esset cædis  
 Plut. faciundæ convenerat. Igitur clamantem, 'Ista quidem  
 vis est,' alter Casca sauciavit paulo infra jugulum; non  
 letali, nec admodum alto vulnere, quod inter initium fa-  
 cinoris manus trepidaverat. At Cæsar correptum Cascæ  
 Sueton. brachium graphio trajecit, exclamans, 'Scelerate Casca,  
 quid facis?' Et prosilire conabatur, nisi foret ab alio per-  
 cussus in pectore. Simul irruerunt ceteri strictis pugioni-  
 bus, nemine non hanc appetente gloriam: et Cassius  
 Dio. Plut. quidem caput ejus petiit, Brutus percussit inguina, occi-  
 Appian. put vulneravit Bucilianus.
58. Aiunt feræ modo se convertentem in singulos, et  
 cum clamore repugnantem, ubi Brutum quoque conspex-  
 it irruere, dixisse Græcis verbis, 'Tunc etiam inter hos es,  
 Plut. filii?' Nam quod flagrantissimo amore suo Brutum pe-  
 Appian. pererat Servilia, natum ex se credebat. Alii negant ul-  
 Dio. lam misisse vocem, neque præ irruentium multitudine fa-  
 Sueton. cere quicquam potuisse; sed toga capiti obvoluta, simul  
 Appian. sinistra manu deduxisse sinum vestis, ut, inferiore parte  
 Val. Max. corporis tecta, honestius caderet, uno tantum ad primum  
 11. 5. ictum edito gemitu. Hoc habitu cecidit ad Pompeii sta-  
 Sueton. tuam, eamque largo cruore respersit; cum etiam in jacen-  
 Appian. tem sæviretur, manumque Bruti sauciaret Cassius, eodem  
 Plut. Brut. tempore plagam inferens. De tribus et viginti vulneribus,  
 Flor. 11. 2. tot enim facta erant, nullum fuisse letale medicus qui ea  
 Appian. inspexit existimabat, præter quod secundo loco acceperat  
 Plut. Cæs. in pectore.  
 Liv. Epit. Sueton.



59. Conjurati corpus in Tiberim trahere, publicare bona, rescindere acta, quod fuerat ipsis propositum, metu consulis Antonii, et magistri equitum Lepidi, supersederunt. Sed qui in curia et circa eam exsortes consilii fuerant, saevo spectaculo attoniti, suamque vicem anxii trepidabant: nec enim quanta aut manus conjuratorum, aut quale consilium esset, liquebat. Ideoque licet progressus in medium Brutus alloqui cuperet, eicientes se curia, fuga et tumultu omnia miscebant, obvios sui quisque terroris implens. Eaque res levissimo cuique occasionem fecit, per vulnera et rapinas exercendae petulantiae: multique peregrini atque cives, sed et senatores nonnulli vulnerati et occisi sunt incertis auctoribus; mensae tabernaeque direptae. Quippe ex propinquo theatro tam spectatorum turba, quam ipsi quoque gladiatores ab editore praemoniti cruperant. Et augebat consternationem vehemens imber cum horribili tonitru, quasi caelum ipsum funestam atque luctuosam faciem induisset.

60. Idcirco tota Urbe domus claudebantur: senatores, ubi quisque poterat, per tabernas et insulas se abdebant: occursabant invicem agmina, hinc contententium ad spectandum corpus, inde, re perspecta, redeuntium. Antonius et Lepidus sibi timentes, primo in alienas aedes profugiunt: mox Antonius, mutata veste, clam egressus, communivit suas: Lepidus in Tiberis insulam, ubi legio erat militum, transmisit, atque inde deduxit in Campum, mandata Antonii tanquam consulis opperiens. At corpus illud terrarum modo mariumque domini, diffugiente comitum turba, aliquamdiu desertum jacuit, donec tribus

Dio.

Plut. Cæs.  
et Brut.

Appian.

Dio, p. 176.

Plut.

Appian.  
Dio.

Plut. Cæs.

Cic. Phil.

ii. 35.

Plut.

Anton.

Dio.

Appian.

Sueton.

Appian.

servulis lecticam impari gressu succollantibus, dependente brachio domum reportaretur.

61. Sed percussores Cæsaris, postquam in curia nemo præstabat audientiam, togis circum læva brachia circumvolutis, cruentos pugiones quatiendo, recta pergebant in forum, præferente quodam in hasta pileum, libertatis signum: hortabanturque populum, 'regem atque tyrannum interfectum esse' dictitantes. Et M. Brutus cruentum alte extollens pugionem, Ciceronem nominatim inclamavit, atque ei recuperatam libertatem est gratulatus.

Plut. Brut.  
Dio.  
Appian.

Cic. Phil.  
II. 12.

62. Interim nonnulli aggregabant se euntibus, laudi et præmio futurum rati, si egregii facinoris socii existimarentur: e quibus postea C. Octavius, P. Lentulus P. F. Spinther, ejusque familiaris Patiscus, aliique vindicibus Cæsaris pœnas dederunt insolentiæ, quod se percussoribus miscuerant; cum nullam partem gloriæ tulissent, omnibus eos facto non affuisse scientibus. Sed populus diu trepidato, ubi neminem præterea lædi petive constitit, verba percussorum accepit tranquillior, 'bono animo' jubentium 'esse, positoque omni metu, quam diu votis expetissent, nunc beneficio suo haberent, puram haurire libertatem.' Ita multitudine utcumque placata, neque tamen illis se adjuncte, Capitolium petierunt, tanquam Diis acturi gratias; illudque stipati manu gladiatorum occuparunt.

Plut. Dio.  
Appian.  
Cic. Phil.  
II. 11.

Plut. Cæs.  
Appian.  
Cic. ad  
Fam. XII.  
14.

Plut.  
Appian.  
Dio.  
Plut. Brut.  
Dio.  
Appian.

Vell. II. 58.  
Liv. Epit.

Cic. ad  
Att. XIV. 10.

Appian.  
Dio. Vell.  
Appian.  
Euseb.  
Chron.  
Dio.

Appian.

63. Clamabat tum Cicero, 'senatum in Capitolium a prætoribus vocari oportere.' Quod profecto si foret factum, longe aliter atque accidit constitui respublica potuisset. Venerant tamen in Capitolium, advesperascente die, Favonius, Aquinius, Mureus, Patiscus: sed et Dolabella, jam consul: quippe fascēs atque insignia consularia statim corripuerat, quanquam nullo jure facere videretur, substituendus in locum profecti: sed ille profectum interpretabatur, qui esset in ea causa ut amplius proficisci non posset. Postridie foro venali turba repleto, quam per amicos Cassius comparaverat, jactatæ voces sunt, non probantium factum, sed pacem et concordiam postulantium: quæ res, nisi ignosceretur interfecto, obtineri non poterat.

Val. Max.  
IX. 9.

64. Hæc agentibus commodum L. Cornelius Cinna prætor supervenit. Is neque affinitatis, neque beneficio-



rum memor, acta Cæsaris acerba oratione pro rostris insectatus est: insignibus etiam magistratus abjectis, 'quæ sibi data contra leges a tyranno' dicebat: auctorque erat populo deducendi libertatis auctores a Capitolio, præmiisque et honoribus ornandi. Neque tamen adhuc ultra priores voces incaluit multitudo, Cæsaris ante oculos obversante adhuc majestate, et incerto rerum exitu. Sed ubi Dolabella cum lictoribus affuit, atque haud dissimilia locutus est, 'eumque natalem Urbis habendum' dixit, 'quo, tyranno interfecto, libertas esset restituta,' crevit fiducia animis, cœperuntque postulare, 'uti devocarentur a Capitolio patriæ liberatores.'

Sueton.  
Cæs. 85.  
Appian.

65. Atque illi Dolabellæ accessione gaudentes, natosque rati duccem idoneum, quem Antonio vindicare eadem volenti opponerent, juvena promptum, nobilitate validum; non tamen descenderunt universi. Cassius tantum atque Brutus progressi in concionem de facto suo locuti sunt confidenter et magnifice, mutuo se laudantes, et sociorum prædicantes operam; D. Bruti maxime, qui gladiatores in tempore præbuisset. 'Debere populum Romanum induere majorum animos, qui legitimam licet potestatem regum, simul ad tyrannidem inclinare cepisset, aboleverint. Revocari oportere Sex. Pompeium cum tyranni legatis dimicantem in Hispania; Cæsetiumque et Marullum abrogata potestate exules.' His dictis iterum in Capitolium se receperunt, parum credentes præsentī multitudini, quod honestior populi pars aberat.

Cic. ad  
Att. xv. 1.  
Appian.

66. Hactenus tamen erat profectum, ut necessariis eorum amicisque concederetur in Capitolium aditus. Ex horum numero consulares nonnullos miserunt ad Antonium et Lepidum, qui aliquoties iverunt rediveruntque, donec certius aliquod responsum obtineretur. Causa dubitandi ex eo, quod vindicare mortem Cæsaris erat his animus; sed consensum senatus, et maxime D. Bruti potentiam, cum exercitu veterano Galliam obtinentis, verebantur. Tandem, dum earum copiarum corrupendarum occasionem nanciscerentur, paulo liberalius respondendum rati, 'nihil ex privato odio agi placere' responderunt; 'sed cogi senatum, et ad eum referri de præsentibus, idque obtinere, quod patres conscripti censuissent.'

Plut. Brut.  
Appian.

Cic. Phil.  
II. 35.  
Appian.

67. Minime displicebat ea ratio conjuratis, qui de senatus animo sententiaque non dubitarent. Idcirco reliquo diei et per noctem deinde miserunt circum domos, oratum, 'ut patriæ causam suamque tueri singuli atque universi vellent.' Neque minor erat militum sollicitudo, quibus agros Cæsar dederat aut promiserat; ii quoque circumibant, miscentes cum precibus minas. Denique nox ea nihilo tranquillior aut otiosior fuit, quam negotiosissimi dies esse consueverunt. Nam et Lepidus in foro tetendit cum militibus, et Antonius hoc præsidio tutior, jubebat excubare magistratus, facibus accensis, et quasi de die sedere pro rostris per vicos.<sup>f</sup> Ipse pecuniam commentariosque Cæsar's deportari jussit in ædes suas: incertum suone consilio et proprii emolumenti causa, an orante Calpurnia, ne per tumultum diriperentur.

Dio.  
Appian.

Cic. ad  
Att. xiv.  
10. et 14.  
Dio.  
Appian.

68. Liberalibus luce prima convenire patres in Telluris cæperunt. Eo senatum indici placuerat, quod curia subjecta Capitolio, in quo gladiatores erant, tanquam obnoxia conjuratorum insidiis vitabatur. Cum inter ceteros intrare Cinna vellet, resumtis insignibus quæ pridie projecerat; coorta est in eum, quæ Cæsar's necem ægre ferebat, populi manus, laceratumque maledictis et lapidibus appetitum in domum quandam coëgerunt confugere. Neque hic finis erat periculi: ligna congesta sunt, et incendium paratum, ni Lepidus cum armatis accurrens vim extremam arcuisset. Idem, ad omnes aditus positus custodiis, ingressum ceteris tutiorem præstitit. Sed tamen ab hoc initio Cæsar's fautores receperunt animos, et cum subinde plures eorum concurrerent, Cassianorum mercenariorum fractæ ac debilitatæ voces conticuerunt.

Dio.  
Appian.

69. Interim perstrepebat senatus mira vocum orationumque discordia, hoc intemperantius, quod libertas ex intervallo regustabatur. Proximo enim quadriennio pleraque contra animi sui sententiam censuerant. Pleraque tamen pars favens conjuratis, eos quoque jubebat

<sup>f</sup> *Sedere pro rostris per vicos*] ait tantum magistratus jussos esse ab Antonio *sedere ἐκ διαστήματος*, alium alibi, *in publico*. Crev.  
Si *pro rostris*, quomodo *per vicos* sedere poterant? Non satis diligenter hic inspexit Appianum Freinshemius. Græcus scriptor

arcessi: neque repugnabat Antonius, sciens non esse descensuros.

70. De interfecto Cæsare multa et diversa dicebantur, cum aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus esse videretur. Pars, auctore Ti. Nerone, præmia decernebat interfecto-Tac. Ann. 1. 8.ribus: alii gratias agendas, omissis, quæ ne ipsi quidem postulerent, præmiis. Erant qui sufficere crederent impunitatem. Contra dicebatur, 'rem esse commissam minime laudabilem, reipublicæ tamen condonandam, ne novis vulneribus veteres civilium malorum cicatrices rescinderentur: ' sed honores adimebantur, quos necessum erat cum Cæsaris contumelia conjungi. Reclamabant alii 'majorem esse habendam superstitem rationem, quam mortui.' Et arripiebatur quod forte a quodam asseveratum erat; 'alterutrum esse necessarium, uti vel tanquam tyrannicidæ præmia accipiant percussores; vel tanquam in delicto deprehensi, veniam: ' et postulare cœperunt, 'referretur iterum de Cæsare, qualem existimari oporteat: juratusque senatus censeret, gratia facta prioris sacramenti, quo se Cæsaris salutem defensuros aut vindicatu-Sueton. Liber. 1. Appian.ros jurassent: id enim necessitate extortum.'

71. Inter has contentiones, Antonius insidiosè habitum animorum speculatus, cum cœptari rem videret ad multa quæ nollet valituram, injiciendum celeriter impedimentum ratus, audientia postulata, 'Priusquam,' inquit, 'uti placere plerisque video, de Cæsare sententiæ dicantur; hoc equidem sciri considerarique refert, quod rem, longe quam putamus latius, egressuram molimur. Etenim si tyrannus fuit Cæsar, projici cadaver ejus insepultum convenit, et acta rescindi. Ceterum acta Cæsaris, ut scitis omnes, nullam non terra marique partem imperii contingunt: quorum pleraque revocare, ne si decretum quidem certumque vobis foret, possemus: id quod paulo post apertius demonstrabo. In præsentia velim unum illud mihi consideretis, levius ceteris, et in potestate nostra haud dubie situm; ut ita demum ad cetera convellenda accingamini, cum hoc rescideritis. Quotquot ferme sumus senatus primores, profectos a Cæsaris auctoritate magistratus et imperia aut gessimus, aut gerimus, aut gesturi paulo post videmur. De his fieri quid placet?'

72. Sic commutata leviter quæstione, cum non jam de Cæsare, sed de sua dignitate intelligerent agi, velox animorum conversio facta, conclamatumque, ‘non esse cur novis comitiis populo creetur molestia: præstare semel accepta retineri.’ Præ ceteris tendebant, qui contra leges a Cæsare producti, hujus condemnata memoria, nulla se videbant ratione tueri illius beneficia posse. Quos inter consul Dolabella, quinque et viginti annorum juvenis, qui neque præturam gessisset, et in summo esset Antonii odio, sibi haud leviter metuebat.

Dio.  
Plut. Brut.  
Cic. Phil.  
xi. 1.  
Appian.

73. Idcirco voces audires stomachantium, ‘non contentos, si non pessimi, saltem insolentis facti fautores, concessa amicis venia; sed etiam postulare ut alii sua dignitate careant, quo factum illorum illustrius videatur atque ornatius.’ Sed bono hos animo jubebant esse alii: ‘neque enim hoc agi, ut beneficia, sed ut auctor mutetur. Eadem habituros eosdem, sed jam populi suffragiis; idque ipsis etiam honestius fore.’ Hoc sermone permoti quidam continuo posuerunt magistratus insignia, tanquam paulo post majore cum dignitate recepturi: major tamen pars retinuit, rata semel omissam potestatem, quod in aliorum esset futura manibus, non esse simul atque cuperent ipsi redituram.

74. Inter hæc evocati e senatu Antonius atque Lepidus ostenderunt se multitudini, quæ in foro innumerabilis constiterat. His in superiore loco conspectis, ingens sublatus est clamor: quo vix sedato, quidam, dubium an subornatus, exclamavit, ‘haberent rationem sui, ne similia atque Cæsar paterentur.’ Ad hæc Antonius,<sup>9</sup> dimota leviter veste, loricam ostendit sub ea, quo magis incitaret animos, ne consulibus quidem inermibus, tutum esse quicquam credentium.

75. Ibi sublatus est iterum a diversis agminibus clamor, ultionem aut pacem varie postulantium. Antonius utrique se venditans, ‘Pacem,’ inquit, ‘ut habeatis curabitur, utque sit ea propria nobis et perpetua. Quanquam id sane difficile est apud hos animos, qui ne juris quidem

<sup>9</sup> Ille pro Antonius legebatur ante Crev. Ex App. emend. Crev. Mox alios pro animos legitur in edd. ante Crev.

jurandi religione retinentur. Quid enim ista cautio Cæsari profuit? Deinde versus ad turbam vindictam postulantium, ‘Vos quidem,’ inquit, ‘perstatis in data semel fide. Atque ego etiam ipse accederem vobis, nisi consul essem, cui non tam respiciendum est, quid sua natura sit æquum, quam quid esse videatur e republica, ut quidem senatui placet.’

76. Cum fluctuare Antonius videretur, Lepidum postulare vindicem concio cepit: jussitque in forum degredi, quo a pluribus dicta ejus acciperentur. Is igitur, cum rostra conscendisset, diu tacitus flevit: deinde, ‘Hoc,’ inquit, ‘loco tecum nudiustertius constitui, Cæsar. Nunc de morte tua hinc querendi imponitur necessitas! Vos vero, Quirites, quid postulatis?’ Ibi quoque veterani Cæsaris ‘ultionem,’ mercenarii Cassii ‘pacem’ acclamarunt.

77. At Lepidus his quidem: ‘Placet,’ inquit: ‘sed qualis ista pax erit, et qualibus religionibus tuta? quandoquidem Cæsari juravimus, idque jusjurandum violatum est a nobis, qui principes esse ceterorum qui jurarunt dicimur.’ Mox ultionem flagitantibus, ‘Cæsar,’ inquit, ‘profecto<sup>10</sup> sacrosanctus atque venerabilis nobis ereptus est. At senatus contatur metu, ne rempublicam lædat.’ Reclamarunt illi: ‘Tu igitur solus exsequere.’ Atque ille: ‘Vellem, et fas sit. Sed nec ego solus, neque vobis etiam solis adiutoribus in tanta re quicquam aut velle aut nolle debeo.’ Perplexa respondentem acrius aggressi mercenarii, quod ambitiosissimum esse scirent, pontificem maximum facturos ostenderunt in Cæsaris locum. Et accepit omen Lepidus, egitque gratias, memoresque promissi esse in loco jussit. Tum illis audacius pacem suam urgentibus: ‘Cum impietate,’ inquit, ‘et injustitia conjunctum negotium est: attamen quæ jussuritis faciam.’ Hisque dictis in senatum se recepit.

78. Ibi Dolabella toto tempore satagebat haud parum indecore, uti retinere magistratum liceret: regressus dum Antonius cum voluptate et risu spectabat jactantem

10 *Non profecto* edd. ante Crev.

se inimicum; simul ecquid in foro novarum rerum oriretur, opperians. Sed postquam et illo spectaculo satiatatus est, et extra curiam nihil majoris tumultus motum, animadvertit eo descendendum esse necessario, ut percussoribus impunitas detur. Sed necessitatem tegens, et in maximi beneficii loco daturus incolumitatem, simul confirmaturus Cæsaris acta senatusconsulto, ad perficienda quæ animo conceperat, ita cœpit:

79. ‘ Quamdiu quidem de conjuratione disceptastis, patres conscripti, ego sententiam meam non interposui. Sed ubi, percussoribus omissis, Cæsar oppugnari cœptus est, ex actis ejus omnibus unius tantummodo mentionem intuli, et ab ea sola difficultate tanto jam tempore vos explicare non potuistis. Neque sane mirandum. Nam si ponimus acceptos ab eo magistratus, periculum est, ne tot et tales viri nostra quoque confessione indigni eis habeamur.

80. ‘ Quid si jam convertamus animos ad innumera-bilia illa, quæ vel audire labor sit, quæ per civitates et nationes, et regna atque tetrarchias passim constituit Cæsar? Quis enim est, ut ita dicam, ad occidentem ab oriente angulus, actorum Cæsaris expertus: quem ille non aut subegerit armis, aut beneficiis atque humanitate confirmarit? Cogitate igitur, eequem existimetis æquo animo passurum auferri sibi, quæ acceperit a Cæsare, ut non omnia profinus bellis ardeant? At nos in tantum abhorremus a bellis, nec injuria, ut hæc sola multis causa sit, cur impunitam Cæsaris cædem esse patiamur. Infirmam enim et nimium vexatam armis rempublicam, non nisi quiete refoveri posse omnes consciscimus atque consentimus.

81. ‘ Sed reges et nationes, et unde longinquior est metus, mitto. Quid vos suburbanam hæc Italiam quieturam creditis, Cæsare condemnato? Scilicet veteranos illos cum iisdem armis et ordinibus in coloniis locatos nihil movebit metus amittendorum, tyranno judicato Cæsare, quæ sunt iis data ab eo præmia, cum consul et dictator populi Romani haberetur? Quid quod eorum sunt adhuc in Urbe multa millia, qui promissa expectant et

exigunt. Ne tanquam rebus incertis ambigamus, admonere recentissimum factum potest, quis hominum sensus sit atque animus. Quæ fuerit eorum hæc proxima nocte circa senatorum domus discursatio, plurimorum querelis paulo ante cognovimus. Omnes propemodum appellati sumus, et amplissimus quisque frequentius et minacius. Per horum igitur ora oculosque raptabimus Cæsaris corpus, his confectum contumeliis, quibus fas est tyrannorum vexari reliquias; et horum manibus non discerpemur? Scilicet cujus ductu auspiciisque ferocissimas illi devicerunt nationes, cujus beneficio fortunas suas omnes debere arbitrantur, quem semper in summis magistratibus imperiisque viderunt; cum summa affectum ignominia patienter ferent?

82. ‘Quam urbanæ porro plebis, quam Italiæ totius indignationem fore credimus? Immo quam apud omnes pæne dixerim et Deos et homines invidiam nostram? quis ignominia tanta notatum a nobis feret populi Romani modo principem, qui nostrum imperium terminavit oceano, sed et trans oceanum ignotas prius adjecit gentes? Quæ vero judiciorum nostrorum inæqualitas et quam acriter notabitur, si præmia decernamus iis qui consulem in curia, sacrosanctum in sacro loco, pontificem maximum sub oculis Deorum confecerunt; hunc extrema dehonestemus infamia, qui propter excellentem virtutem etiam apud hostes habetur venerabilis?’

83. ‘Quapropter ita censeo: Cum C. Cæsarem pro tyranno damnari nec fas sit, nec e republica, rata esse acta ejus et consulta omnia: interfectoresque incolumitate contentos esse, gratiasque hujus clementiæ nomine habere et agere senatui: quandoquidem simul laudari factum eorum, simul honori Cæsaris consuli non potest. Hæc una est optima concordia, quam omnes optamus, via. Sic et veteranos metu, et solitudine civitatem liberabimus.’ In eandem ferme sententiam magnus orator Munatius Planeus consul designatus disseruit: nisi quod pro percussoribus paulo liberalius. Hunc deinde M. Tullius excepit, et, qua solebat, summa eloquentia disseruit, ‘omnem memoriam injuriarum oblivione sem-

Cic. Phil.  
1. 1. et 13.  
Plut. Brut.  
Cic. ad  
Fam. x. 8.  
Dio et  
Vell. 11. 58.  
et Cic. Phil.  
1. 1. et

Plut. Cic.  
et Cæs. et  
Brut. et  
Anton.

piterna delendam esse.' Sed et Græcum verbum usurpavit 'amnestiam,'<sup>§</sup> Atheniensium factum commemorans, 'qui post externa atque intestina mala, tyrannidemque perlatam, hac una tantum ratione rempublicam constituerent.'

Appian.

84. Placatis per hæc ferme animis, et inclinatis ad concordiam, fit senatusconsultum, 'quæri de cæde Cæsaris non placere: acta rata esse.' Additum est, 'propter utilitatem publicam,' quasi per se invalida fuissent; tendentibus percussorum amicis, et concedente Antonio. Sed et illud expresserunt veteranorum centuriones tribunique, uti de præmiis suis atque coloniis nominatim referretur; hic etiam, quasi per metum, cedente Antonio, et demonstrante, 'cum præsidium senatus non habeat, nihil denegari posse armatis.' Inter hæc postulantibus patribus, 'uti concordiæ ineundæ exemplum consules darent, quemadmodum et consilium dedissent,' depositis inimicitiis in gratiam redierunt: et ex eo die Antonius collegam consulatus sui Dolabellam agnovit.

Cic. ad  
Att. XIV.  
14.

Cic. Phil.  
I. 13. Dio.

Appian.

85. Senatu dimisso, L. Pisonem circumsteterunt quidam, ne tabulas testamenti Cæsaris proferret, neve palam sepeliret mortuum, rogitantes: ne forte quid inde novarum rerum exoriretur. Negantem inde presserunt acrius, minas intendentem, si propter eum dissiparentur tantæ opes, quas publicas esse oporteret, tyrannum fuisse Cæsarem subinnuendo.

86. Igitur Piso consules altissima voce testatur, patres nondum digressos iterum cogi petiit. 'Rem enim sane magnam incidisse: quando ii qui tyrannum oppressum esse pugnent, tot exoriantur pro uno tyranni. Sepeliri pontificem maximum vetant,<sup>11</sup> et testamentum profe-

11 *Nolunt Cler. Luctant reliq. edd. ante Crev.*

<sup>§</sup> Græcum verbum usurpavit *amnestiam*] Accuratissimæ Cicero-  
nis editiones non habent vocem  
*amnestiam*. Sed et Muretus, l. 11.  
Variar. Lecton. c. 15. nullis  
probat propriam hac in re apud  
Athenienses loquendi formulam

fuisse, μή μνησικακείν. Mureti  
argumenta recenset, et adoptat  
celeberrimus apud nos Demo-  
sthenis interpres Torellius in  
notis ad orationem Æschinis in  
Ctesiphontem. Crev.



renti minantur, et bona interfecti publicare pergunt. Belli vero homines, qui sibi ab eo tributa firma esse rataque postulant; et quæ suo jure decrevit de suis rebus, irrita esse jubent! Neque hoc Brutus aut Cassius, sed ii nimirum faciunt, qui cædis illis auctores extiterunt. Ceterum sepultura quidem Cæsaris in vestra potestate est, testamentum autem in mea: neque commissum fidei meæ prodam, priusquam et me aliquis occiderit.' His obtestationibus, et quia multi lucrum sperabant ex testamento, facile inducti patres, 'et testamentum proferri a Pisone debere, et ipsi Cæsari funus publicum' decreverunt.

87. Hæc cum vix acta prius, quam nuntiata in Capitolium essent, Brutus et Cassius per internuntios excitarunt plebem: multisque eo concurrentibus, concionari Brutus in hanc sententiam cœpit: 'Qui vobiscum heri in foro egimus, Quirites, iidem nunc hoc agimus loco, non tanquam ad asylum confugientes, nihil enim peccavimus; neque tanquam ad arcem, qui nos nostraque omnia vobis permittere non recusamus; sed periculo Cornelii Cinnæ moniti, quem audacia nonnullorum improvise eodemque indigno casu pæne consumpsit. Audimus autem esse quorum vocibus et sermone pro perjuris atque turbatoribus pacis traducamur: coque vos accivimus, coram quibus nos purgaremus, quemadmodum salva libertate, de ceteris etiam, quæ ad rempublicam pertineant, vobiscum agi jus est.

88. 'Nos equidem C. Cæsari, cum e Gallia exercitum contra rempublicam eduxisset, coque bello defensorem libertatis Cn. Pompeium, multosque deinde præstantissimos viros in Africa Hispaniaque sustulisset, coque nomine suo capiti non sine causa metueret, fidem jurejurando dedimus, non fore præteritarum injuriarum memores. In futurum omne tempus servituros, neque dedimus fidem; neque, si exegisset, dedissemus. Quis enim, qui vere quidem sit Romani sanguinis, non mori, si fieri posset, millicies malit? Hactenus igitur obligati Cæsari fuimus. Idcirco siquidem Cæsar postea nihil contra libertatem nostram molitus est, pejeravimus. Sin vero

neque magistratus, neque provincias, nec exercitus, aut ullam reipublicæ partem senatui populoque Romano reddidit, sed suo unius arbitrio constituit omnia, Sylla deterior, qui tamen aliquando satiatus malis publicis dominationem deposuit: quæ non dicam species, sed quæ omnino spes superfuit libertatis?

89. ‘Dicit aliquis, fuit quidem vindicandæ vobis libertatis causa justissima: sed sacrosanctum occidere non debuistis. An igitur, si æquum utrimque jus esset, aliquem gaudere fas est beneficio legis, quam ipse violarit prior? Sed et causa longe est dissimilis. Cæsetius et Marullus qua potestate fuerunt? Nempe tribunicia, quam antiquissimæ leges jurejurando majorum confirmatæ sacrosanctam esse jusserunt. Sed hos in exilium exegit Cæsar indemnatos, quos, dum illa potestate fungebantur, ne in jus quidem vocare fas erat cuiquam. Et illi tamen haud dubie sacrosancti. Cæsar, quia voluit, quia coëgit armis ac terrore tot interfectorum civium, sacrosanctus fuit. Voluntatem igitur suam vimque accuset, quæ dare ei hunc potuerunt honorem, tueri non potuerunt.

90. ‘Sed forte semel ira elatus sic peccavit Cæsar. Infirma defensio! nec enim cuiquam sic licet esse irato, ut patria jura subvertat, tollat religiones, piaculo civitatem obliget. Sed ne vera quidem esset. Quis enim Q. Metello tribuno plebis iniuncta est mortem? Cæsar profecto: nec ab ira tum quidem, sed effractus ærarium, et rapiendæ publicæ pecuniæ causa. Desinant igitur exprobrare nobis perjurium, quos neque obstrictos fuisse ulla religione apparet, quin quod fecimus, faceremus; nec eam qua fuimus obstricti, ullo pacto violasse. Non enim præteritorum maleficiorum a Cæsare poenas exigimus, quæ erant jurejurando remissæ: sed importunum tyrannum, nec dominationem nisi cum vita positurum, ob ea quæ postea peccarat peccaturusque erat innumerabilia, cervicibus oppressæ civitatis depulimus.

91. ‘Taceo jam plerisque videri, ne jusjurandum quidem tyranno datum servari oportere: quod cum eo nullum esse possit commercium vel humanitatis vel religionis, qui divina atque humana omnia pervertit. Quod igitur,

aiunt, postea reperiemus jusjurandum satis firmum atque efficax, ad certæ stabilisque pacis fiduciam? Quid enim jurejuraudo opus est, nihil præter civilia cupientibus? Quando patres nostri majoresque tali aliqua causa jurarunt? Non enim habebant opus: et inusitatum hanc cautionem novissimus demum tyrannorum excogitavit timor. Licet igitur sane res tota tollatur; etenim probis et modestis supervacua est hæc cura; regnum affectantibus infirma et vana. Nec enim tu, Capitoline Jupiter, siris, vosque ceteri Dii, liberæ civitatis tamdiu custodes atque præsides, uti hic populus regem unquam vel juratus ferat! Neque pœnitet ista hoc quoque tempore profiteri, quo nondum satis liquet, quid aut patriæ futurum sit, aut nobis. Sed et profitebimur indesinenter, neque ullo tempore potiores privatas rationes publicis habebimus.

92. ‘Cujus quidem rei putamus evidentissimum modo documentum edidisse. Cum enim liceret securis honoribus frui, perire in liberata patria, si quidem ita cordi fuisset Diis, quam in oppressa magistratum gerere maluimus. Sed adversarii satis intelligunt, de jure sibi minime æquam nobiscum disceptationem esse. Ad alias confugiunt artes, et maxime quærunt invidiam nobis facere apud veteranos. Quo ex genere si qui adestis, quæso vos, significate.’

93. Significantibus multis, ‘Bonum factum,’ inquit, ‘quod inter alios cives hic quoque numerus veteranorum venit. Ad vos igitur orationem converto, vosque, sicuti cum ceteris civibus omnia vobis patriæ communia beneficia sunt, ita amorem quoque et affectum communicetis hortor. Vos ab initio non Cæsar delegit, nec enim potuit; sed respublica vos dedit Cæsari, quibuscum populi Romani hostes cœrceret. Justis illis et legitimis bellis meruistis certe præmia, et iniquus sit, qui adimat. Deinde contra voluntatem vestram, sed quasi sacramento devinctos, adversus patriam et defensores patriæ duxit. Quibus ex bellis, si hæc vobis sola bellata essent, petere præmia vos etiam ipsos, opinor, puderet: sed Gallici sunt et Britannici labores, quorum vobis laudem atque merita, neque tempus ullum, nec invidia abrogabit.

94. ‘ Sed neque vos aversabimini pro his præmia, quæ majores nostri concedere consueverunt. Illos enim novimus sociorum aut aliorum innocentium possessiones non attigisse : ne hostibus quidem superatis totum eripuisse agrum ; sed parte ademta deduxisse colonos, ut in officio victi continerentur. Quod si forte angustior quam pro numero colonorum ager erat, dividebatur publicus, aut a volentibus emebatur pecunia. Hac quidem ratione, cum vis imperii penes populum esset, sine querela cujusquam, in colonias deducebamini.

95. ‘ Nuper demum L. Sylla, et postea Cæsar, patriam, tanquam hostilem urbem, armis captam, armis retinere necessum habuerunt. Itaque satellitum et custodum egentem, neque missionem vobis dare voluerunt, neque publicum saltem agrum dividere ; sed neque pretium qualiscumque solatii causa numerare possessoribus, quantum abundabant pecunia ex vectigalibus publicis et hasta : verum Italiam omnis expertem delicti prædonum more spoliarunt agro, focis, aris, sepulcris, quæ nec externis ademimus justo bello subactis, decimis tantummodo frugum contenti. Sic igitur vestrorum civium bona vobis divisa sunt : eorum, inquam, qui Cæsaris ipsius auspicio, vobis commilitonibus, bello Gallico tulerant arma ; qui vos proficiscentes in expeditionem deduxerant ; qui pro incolunitate vestra atque victoria vota fecerant.

96. ‘ Et deducti quidem estis sub signis, densisque ordinibus, ut appareret non ad quietem vos, sed in aciem venire ; paratos ad inferendam injuriam, neque ab aliorum insidiis tutos. Neque enim fieri potest, ut quibus agri sui per vim ablati sunt, eos, diutius quam necessum sit, penes injustos possessores esse patiantur. Unde liquido apparet, quo consilio sit hoc a tyrannis factum. Non enim profecto, vos uti agros haberetis, (dari enim aliunde citra injuriam poterant,) sed ut vos intelligentes multis esse odio, fidei defensores essetis ejus imperii, cujus auctoritate vestræ possessiones defenderentur. Hoc enim unum satellitibus adversus dominantes est fidei vinculum, ut contracta ex communibus delictis pericula communi etiam Marte operaque propulsent.

97. ‘ Videte igitur quid inter illos nosque intersit. Illi, quorum acta valere contra justitiam utilitas vincit, effecerunt ut alii vobis suspecti, vos aliis invisi essetis. Nos, quibus qui nunc sunt in republica principes incolumitatem dicunt clementiæ et misericordiæ causa concedere, hoc agimus ut eorundem omnium non modo secura vobis, sed etiam tuta sit possessio. Fallimini, si vestris armis fiditis, et omnia putatis esse in præsentī potentia. Tempus varie versat res humanas, et occasionem sæpe præbet infirmioribus adversus robustissimos. Pereant qui morem tam illiberalem reduxerunt in vitam, quique inductum retinent, ut potentiori quidlibet liceat! et profecto perierunt. Etiam crocodilum, tam et validam et astutam belluam, contentum animalculum ichneumon dormientem interimit. Ne quis tantis viribus tantaque vigilantia sit prædo, quin sæpe non aliorum modo prædonum insidiis pateat, sed eorum etiam quos spoliavit. Nisi jure et amicitia nos nostraque muniamus, nihil nobis unquam certum aut quietum erit. Solin. c. 35.

98. ‘ Nos igitur, qui pro communi libertate facinus pulcherrimum soli fecimus, primos allaborare convenit, uti recuperatum munus ad omnes ex æquo cives communi lætitia fructuque perveniat. Igitur et quæ accepistis confirmamus, et, quo vobis propria sit ac justa possessio, quamprimum per reipublicæ necessitates poterit, enixe dabimus operam ut prioribus dominis pretium ex ærario solvatur. Ita nobis atque reipublicæ præsentia, quæ testamur, numina, quicquid optimo proposito fecimus, bene evenire jubeant.’

99. Hæc oratio valde mitigavit animos: præsertim ubi, missis etiam in forum tabulis, eadem scripto polliciti sunt. Jamque unus omnium sensus erat, ‘ fortissimos et reipublicæ amantissimos viros dignitati suæ restitui oportere.’ Sed invitantibus ad descendendum Bruti Cassiusque responderunt, ‘ facturos, simul tuto possent.’ Igitur obsides in Capitolium mitti placuit: missique parvulus Antonii filius cum M. Lepidi liberis. Lepido ulcisci Cæsarem animus fuerat. Sed destitutus a militibus otium et concordiam spectantibus, nihil audebat: et suadebat An- Dio.  
Appian.  
Cic. Phil.  
1. 13. et 11.  
36.  
Vell. 11. 58.  
Plut. Anton. et Brut.  
Dio.

tonius, præsentibus acquiesceret, ipse minime cupidus pacis; sed ne Lepidus armatus, se infirmo, unus omnia posset.

Appian.

100. Descendentibus e Capitolio applausum atque acclamatum est: et consulibus, nescio quid, incipientibus dicere, postulatum, 'uti prius dextras darent invicem atque reconciliarentur.' Inde metus incessit consules, ne paulo post percussorum factio majores quam ipsi vires obtineret. Salutarunt tamen omnes invicem, complexique sunt comiter: et ab Antonio Cassius, a Lepido affine Brutus ad cœnam invitati. Ceteros etiam, ut cuique familiaritas aut necessitudo erat, alii senatores exceperunt. Ibi Cassium, inter convivalium sermonum simplicitatem interrogatum ab Antonio, 'num adhuc pugionem haberet sub ala;' respondisse ferunt, 'Et acutissimum quidem, si et tu affectas tyrannidem.' Postridie, simul atque illuxit, senatus est habitus, præsentisque Brutus et Cassius ceterique laudati sunt, iisque provinciæ decretæ, quas eis Cæsar ex prætura destinaverat, Macedonia et Syria. Sed et

Plut. Brut.

Dio.

Asia Trebonio, Bithynia Cimbro decreta. Galliam Cisalpinam D. Brutus ex destinatione Cæsaris retinuit.

Plut. Brut.

101. Hactenus omnia satis composita atque serena apparuerunt. Sed celeriter, unde non expectabatur, mota tempestas, novis turbinibus atque procellis inhorruit. De testamento itemque sepultura Cæsaris agebatur. Cassius utrique repugnabat vehementissime, ratus quod res erat, perisse causam, siquidem ille funere elatus esset; et L. Pisonis atque L. Cæsaris sententiam laudabat, qui nuper cum eadem de re quæreretur, quanquam alter socer defuncti, alter gentilis esset, funus fieri vetuissent: si tamen ea Pisonis sententia fuit. Ceterum Brutus, ingenio mitis et moderatus, utrumque permisit.

Appian.  
Liv. III.  
Plut.

Cic. ad  
Att. XIV.  
10. et 14.  
Lactant.  
I. 15.

Plut.

102. Testamentum igitur allatum, quod proximis Idibus Septembribus in Labicano suo fecerat, demandaveratque maximæ Vestali, L. Pisone postulante, in domo Antonii consulis aperitur. Scripserat hæredes sororum nepotes C. Octavium ex dodrante, L. Pinarium, Q. Pedium ex quadrante reliquo: in ima cera C. Octavius in nomen adoptabatur: pluresque percussorum in tutoribus

Sueton.  
Cæs. c. 83.

Vell. II. 59.  
Appian.

filii, si quis sibi nasceretur, nominabantur. D. Brutus etiam in secundis hæredibus scriptus erat: quæ res valde miserabilis<sup>12</sup> est visa, hujus potissimum consilio occisum fuisse, quem tantopere dilexisset. Ut vero populo Romano hortos circa Tiberim cum signis atque tabulis publice legatos acceperunt, et viritim sestertios trecenos;<sup>m</sup> lucri dulcedine convulsi et mutati, 'Cæsarem injustissime pro tyranno vituperari' exclamarunt, 'quo nemo fuisset patriæ civiumque amantior.'

Dio. Plut.  
Cæs.  
Sueton.  
Dio.  
Appian.

103. Idcirco Cæsaris corpus in forum a Pisone illatum magna multitudo cum armis circumdedit: positumque pro rostris est in aurata æde ad effigiem templi Veneris Genitricis fabrefacta: intra quam lectus eburneus erat, auro ac purpura stratus, quem magistratus et honoribus functi intulerant; et ad caput tropæum cum prætexta in qua fuerat occisus. Indictum erat funus in Campum Martium, ibique rogos exstructus. Igitur præferentibus munera (quæ suffecturus dies non videbatur) præceptum, 'ut, omisso ordine, quibus quisque vellet itineribus, eo deportaret.' Magna ibi comploratio orta, querelæque proruperunt, senatusconsulti quanquam recentis immemores.

Sueton.

Appian.

104. Quam inclinationem populi ubi M. Antonius vidit, laudationis loco pronuntiavit per præconem senatusconsultum, quo divinos ei humanosque honores omnes decreverat. Ipse perpauca a se verba addidit: ut unumquodque ex senatusconsulto recitabatur, augens extollensque ad miserationem et invidiam. Cum senatusconsulto 'pater patriæ' appellaretur, 'En,' inquit, 'pietatem qua tractatus est hic patriæ pater.' Ad mentionem 'sacro-sancti, qui nemini violabilis, sed et aliis perfugio esse deberet,' exclamavit, 'Enimvero non alius ad hunc confugiens, sed ipse hic sacrosanctus occisus est. Quos ille profecto honores neque jussit unquam, neque petiit. Nos

Sueton. et  
Appian.

<sup>12</sup> Ita ex Appian. emend. Crev. pro *mirabilis* in edd. præc.

<sup>m</sup> *Sestertios trecenos*] Marcam argenti nostratem 1. unciam 1. grossos 3. Crev.

vero illiberales, qui honores ejusmodi dedimus, ut volunt, indigno nec petenti. Quanquam vos, o fidi cives, hic quem etiam mortuo habetis, honor, ab hoc crimine satis liberat.' Prælecto deinde jurejurando, quo se pro salute ejus astruxerant omnes, execrabilemque esse jusserant, qui non vindicasset petitum insidiis; contentissima voce, manuque ad Capitolium sublata, 'Juravi,' inquit, 'Jupiter Diique ceteri, et paratus eram ulcisci. Sed quando hæc potius decerni e republica visum est patribus, precor ut sint utilia.'

105. Tumultuantibus ad hæc verba senatoribus, nec enim obscure petebantur, ad leniendam offensam subjecit: 'Sed oportet, Quirites, existimare, Deorum hanc potius invidiam, quam mortalium factum fuisse; magisque de præsentibus quam præteritis esse sollicitos. Magna enim nos pericula circumstant, et, si iterum ad arma itur, omnis reliqua nobilitas periit. Quod igitur superest, hunc Deorum numero ascriptum destinata pompa deducamus, laudes lacrymasque debitas persolvendo.'

106. Hæc locutus, veste raptim more fanatici cujusdam subducta, accinxit sese, lectumque subinde aperiens et introspiciens multa querebatur. Postremo sanguinolentam Cæsaris vestem conto sublatam explicans, indignamque viri necem miseratus, populum veluti furore quondam inflammavit. Accesserunt deinde inter ludos ex poëtis accommodatæ ad hunc casum voces; mirificeque commovit animos illud a Pacuvio: 'Men' servasse, ut essent qui me perderent!' quod interfectorum plerique, cum fuissent in Pompeianis partibus, Cæsaris beneficio non vitam modo fortunasque suas, sed etiam dignitatem retinuerant.

Appian.

107. Sic affectos nova etiam species adjecta insaniore fecit. Corpus ipsum in lecto jacens conspici non poterat. Sed simulacrum ex cera confictum pari magnitudine machina quadam extolli ex eodem lecto poterat, tria et viginti vulnera representans, iisdem locis quibus percussum corpus fuerat.

Sueton. et  
Dio.  
Appian.

108. Ibi vero nemo se continuit amplius. Pars eum in Capitolini Jovis cella cremare destinabat; alii faces



ingerebant curiæ, in qua occisus fuerat, eo corpus illaturum, nisi metu ne una theatrum et templa arderent, sacerdotes prohibuissent. Cum repente duo quidam gladiis succincti, ac bina jacula gestantes succenderunt lectum in foro, ubi regia quondam fuerat: confestimque circumstantium turba cum subselliis tribunalia, mensasque nummulariorum, et quicquid lignorum in foro erat, cum ipsa funeris pompa donisque conjecerunt in rogam. Deinde tibicines et scenici artifices vestem, quam ex instrumento triumphali, funeris condecorandi causa, acceptam induerant, sciderunt, injeceruntque flammæ; et veterani arma, quibus exculti celebrabant funus, nonnulli coronas etiam et dona militaria; matronæ insuper pleræque ornamenta sua, quæ gerebant, et liberorum bullas atque prætextas. Hac flamma domus L. Bellieni deflagavit: multa que et alia vicina foro ædificia corripuisset ignis, nisi milites restitissent, consulumque jussu quidam perditorum, qui dolo augebant incendium, de rupe Tarpeia præcipitati essent. Nec ideo minus plebs accensis e rogo facibus ad domum Brutorum et Cassii ceterorumque cucurrit, easque oppugnavit, et, vi rejecta, mimitata est postridie cum armis affore.

109. Sic sævienti forte se Helvius Cinna tulit obviam, extremum officium persolurus amico, quem uri in foro audiverat, quanquam valetudine infirma, et proximæ noctis dira quiete territus. Visus erat invitari a Cæsare, et cum renueret, arrepta manu trahi. Erat multitudo infensissima Cinnæ Cornelio, qui nuper graviter erat in Cæsarem concionatus. Igitur audito 'Cinnam adesse,' tanto furore concitata est, ut frustra testantem, 'sibi nihil commune cum illo præter cognomen esse,' ferarum more discerneret, caputque præfixum hastæ circa rogam ferret. Ea causa fuit C. Cascæ, qui et ipse tribunus plebis erat, libellum proponendi, 'sibi et Servilio Cascæ parricidæ cognomen idem, mentem longe diversam esse.' Ob hunc tumultum edixerunt consules, 'ne quis arma ferret, militibus exceptis.' Atque ita cædibus finis est impositus.

110. Interea reliquiæ Cæsaris a libertis in monumen-

Sueton.

Dio.

Appian.

Sueton.

Plut. Cæs.

&amp;c.

Sueton.

Cic. Phil.

II. 36.

Dio.

Appian.

Sueton.

Plut. Cæs.

&amp;c.

Appian.

Sueton.

Dio.

Appian.

Plut. Cæs.

et Brut.

Val. Max.

IX. 9.

Dio.

Cic. Phil. n. 42. Appian. Dio. Sueton. tum illatæ sunt: in loco busti populus aram excitavit. Columna quoque erecta est prope pedum viginti ex mare Numidico, inscriptumque, 'Parenti Patriæ.' Et hic loci sacrificare, libare, vota suscipere, controversias quasdam interposito per Cæsarem jurejurando dirimere instituerunt.

Appian. Civ. l. III. Liv. Epit. Nic. Damasc. de Instit. Aug. 111. Hæc, auctore quodam Amatio, humillimæ sortis juvene, facta, sed qui se C. Mario C. F. progenitum ferens, apud turbatam et credulam plebem plurimum posset. Nam et, vivo adhuc Cæsare, eo audaciæ venerat, ut venienti in Urbem Octavio cum magno agmine, in quo et matronæ quædam erant necessariae Cæsaris, ad Janiculum occurreret. Quo tempore adolescentulus ille magnum sane prudentiæ specimen edidit.

Val. Max. ix. 15. Nicol. Damasc. 112. Magnopere instabant ei qui cum Amatio venerant, ut eum pro cognatione quæ Mariis cum familia Cæsarum esset complecteretur. Dubitabat quid faceret Octavius: admitteret, quem sciret ab Atia matre sua, atque a matertera repudiari? Rejiceret igitur tanta stipatum manu testimonium ei generis ferentium, et maximo favore hominum elatum ad minime spernendam potentiam? Quippe coloniæ veteranorum complures, et municipia splendida, collegiaque fere omnia patronum adoptarunt: et paulo ante, cum reversus ex Hispania Cæsar populum in hortos suos admisisset, proximo intercolumnio propemodum æque frequenter atque Cæsar fuerat salutat. Tandem lenibus verbis, 'ad se minime pertinere iudicium de tantis rebus,' respondit: 'Cæsarem, uti rei Romanæ, ita et familiæ suæ principem esse: hujus voluntatem sibi pro præcepto fore. Interim integra omnia servaturum.'

Val. Max. Cic. ad Att. xii. 49. Val. Max. 113. Sed Cæsar, comperto Hierophilum ei nomen, artem veterinariam esse, nolente causam ejus suscipere Cicerone, extra Italiam decreto relegavit. At is post necem ejus redierat, validaque manu cinctus, metum non interfecto modo, sed universo senatui maximum injiciebat, de interficiendo eo consilia agitare creditus.

Cic. ad Fam. xi. 1. 114. Igitur, legatione impetrata libera, multi ex Urbe discedebant, alius alio: et qui provincias habebant a

Cæsare, proficiscebantur. Brutus autem et Cassius præ-  
tores deducendos in colonias veteranos curabant, ne quid  
turbarum in Urbe darent: id quoque concedentes benefi-  
cii, uti portionem suam cuique liceret vendere, quod lex  
ante vicesimum annum non admittebat. His cum insi-  
diari falsus Marius diceretur, ab Antonio raptus in carcerem,  
atque ibi, indicta causa, necatus est. Patres consulis  
audaciam mirati, factum non improbarunt, quod, eo  
superstite, sollicitam plenamque metus vitam acturi vide-  
bantur.

Dio.  
Appian.  
Civ. 111.

Val. Max.  
Appian.

115. Sed ærarium privatum, quod interfecto-  
ribus constitui ab equitibus Romanis quidam excogitaverant, T.  
Pomponii Attici gravitate sublatum est. Is enim eque-  
stris ordinis ætate et existimatione facile princeps, cum  
appellatus ea de re per C. Flavium Bruti familiarem  
esset, respondit, ‘ si quid Brutus de suis facultatibus uti  
voluisset, usurum, quantum cæ paterentur: sed neque  
cum quoquam ea de re collocuturum, neque coitutum.’  
Et valuit exemplum primarii viri, qui neque partium odio  
hoc faciebat, quarum principes adamabat; neque parsimonia,  
ultra plura collaturus, quam petebantur: sed quia  
viro bono discedendum a ratione recta nusquam videbatur.  
At hujusmodi homines interdum importuni sunt  
vetita molientibus: neque dubium est, quin illa Attici  
tergiversatio Brutorum causam haud perfunctorie per-  
culerit.

Corn. Ne-  
pos in Vita  
Att.

116. Sed et in senatu per eosdem illos dies, Antonio  
referente, multa præclare constituta: inter quæ ‘ ne qua  
post Idus Martias immunitatis tabula, neve cujusquam  
beneficii figeretur;’ et illud, omnium maxime aptum  
libertati, ‘ ut nomen dictaturæ in perpetuum e republica  
tolleretur;’ execrationibus additis in eorum capita, qui  
mentionem ejus fecissent, quive magistratum eum acce-  
pissent; præmiis quoque constitutis, si quis horum ali-  
quem occidisset. Cum ob hæc laudibus omnium Anto-  
nius in cælum efferretur, æmulatione accensus Dolabella,  
per absentiam collegæ, tumultuantem subinde plebem  
acerrimis suppliciis repressit, liberos homines de saxo  
dejici jubens, servitia in crucem tolli. Sed et columnam,

Cic. Phil.  
1. 1. et 13.  
et 11. 36.

Liv. Epit.  
Dio.  
Appian.

Cic. Phil.  
1. 2. et ad  
Att. xiv.  
15. et 16.

aramque Cæsari positam evertit, solumque sternendum locavit. At hæc omnia brevi sunt in contrarium versa : eodemque loco templum postea exstructum in Deorum numerum relato. Hoc primum Romæ impiæ stoliditatis exemplum fuit : a quo postea manavit mos absurdissimus defunctos imperatores appellandi Deos, quos vivos ne reges quidem appellari majorum gravitas tulerat.

117. Hunc exitum vitæ C. Cæsar sexto et quinquagesimo ætatis anno habuit : vir Alexandro Magno haud immerito conferri solitus, maximi vigoris ad omnia, qui perficere, quod vellet, posset : hoc miserior, quod non voluit meliora, dubiumque reliquit, utrum eum nasci, an vero non nasci reipublicæ magis profuisset. Generis humani profecto pestis fuit crudelissima : qui pugnis quinquaginta duabus, quarum multo majorem partem sola ductus ambitione decertavit, undecies centum et nonaginta duo millia hostium occidisse fertur, non computatis civium infinitis millibus, quorum referri numerum vetuerat.

Appian.  
Civ. II.  
Sueton.  
Cæs. 88.  
Appian.

Sueton.  
Plut. Cæs.  
Appian.  
Civ. II.  
Plin. VII.  
25.  
Sen. Nat.  
Quæst. v.  
18.

Plin. VII.  
25. et So-  
lin. c. 6.

# SUPPLEMENTUM

LIBRI CXVII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

---

---

1. **O**CCISO Cæsare, cum, immenso interfectorum errore, potius sublata recens respublica, quam restituta vetus esset; spe, metu, solitudine, rumoribus omnia miscebantur. Quibus dominatio lucro fuerat, assertores ejus respicere, fovere, etiam incendere. Quanquam id palam præ se ferebat nemo. Lepidus et Antonius amicos magis Cæsaris quam ultores profitebantur, nec ipsi fidentes invicem, et nescii quorsum evasura præsentia forent; si casus daret, non ausuri leviora, quam Cæsar concupiverat. Percussores facto suo læti, patrumque laudibus erecti, dum ad honestatem retulisse omnia videri volunt, negligentiores erant in comparandis ad fortuita præsidiiis.

2. Senatus discors, et plerisque omnia alia quam rempublicam spectantibus, vindicatam ordini dignitatem gratulabatur magis, quam usurpare noverat: pars magna otium, alii privatas rationes spectare: nihil in plerisque gravitatis, nihil in reliquis potentiae esse. Milites magna Cæsaris veneratione, hunc unum anteferre omnibus; ceteros despiciere: bellis civilibus contemnere senatum, odisse patriam, facere injurias, vim et arma minitari didicerant. Plebs olim corrupta, seque et rempublicam venalem habere docta, rerum ceterarum æque imperita ac

negligens, turbulentis vocibus strepere. Pauci omnium ordinum boni, præsentia mala deflere magis, quam emendare poterant. Quidlibet tamen potius evenit, quam quod expectabatur : ut neque respublica pristinum statum recuperaret, neque ulli horum, qui hominum opinione domini destinabantur, succederet.

Appian.  
Civ. III.  
Sueton.  
Aug. 8. et  
89.  
Plut. Brut.  
Dio, XLV.  
Vell. II. 59.

3. C. Octavius civilium simul atque militarium artium studiis sextum jam mensem vacabat, magistro dicendi usus Apollodoro Pergameno, quem jam grandem natu ex Urbe secum Apolloniam Taulantiorum eduxerat, præmissus ab avunculo ad Geticum bellum. Circumcirca legiones erant collocatæ, imperatorem expectantes, quem longinquos hostes cogitantem interim domestica fraus absumserat. Id ubi compertum est, pro atrocitate rei gravis orta consternatio, et ex proximis hybernis concursus tribunorum et centurionum ad Octavium fuit, suam militumque operam offerentium. Nec spernendam Salvidienus et Agrippa judicabant, æqualium familiarissimi. Sed ipse, licet in puerilibus annis, eximia prudentia, nihil moliri rerum atque amicorum incomperato statu certus, ad Urbem properavit : matris insuper et Philippi vitrici literis confirmatus, quibus eadem placebant.

Appian.  
Sueton.  
Aug. 8.  
Vell.

Appian.

4. Igitur, trajecto Adriatico mari, Lupiam petiit, propinquum Brundisio oppidum, incertus adhuc quemadmodum animati milites essent, qui eo præmissi a Cæsare fuerant. Ibi de testamento Cæsaris et adoptione sua, itemque populi ob interfectum Cæsarem dolore factus certior, quanquam propinquis dissuadentibus, cernere hæreditatem statuit : et, præmissis qui specularentur, nummè aliquis ex percussorum numero, sibi quoque metuendus, Brundisii esset, postquam omnia tuta cognovit, eodem profectus est. Exiverunt obviam legiones, magna que exceptum lætitia in oppidum deduxerunt.

Dio.  
Jul. Obseq.  
Appian.

5. Hinc ille confirmatus, adire hæreditatem, et nomen asciscere Cæsaris non distulit : hujusque favore paucos intra dies et firmam militum manum, et pecuniæ vim haud spernendam adeptus est, confluentibus ad eum, qui profecturi Brundisio in Macedoniam fuerant, quique cum arte publico veniebant e transmarinis provinciis. Satis

hinc munitus adversus vim apertam, sed, ut in nova amicitia, suspectans suos, cum frequenti comitatu proficisci cœpit.

6. Municipiorum non erat omnium idem favor: sed veteranorum ubique summa studia, vindictæ se offerentium, incusantiumque negligentiam Antonii, qui scelestissimum facinus inultum sineret. Cæsar hos collaudans, opperiri tempora sua quietos jussit. Ita per Neapolitanos fines profectus, in villam Philippi vitrici, et cum eo ad Ciceronem in Cumano suo agentem venit. Et facile consensum est inter hos, ut mutuum sibi operam pollicerentur: Cæsar adolescens militum studio firmior, sed urbanæ opis indigens, patrumque favorem adjungere cupidus, quos Cicero unus omnium maxime facundia et auctoritate moderabatur; Ciceroni vicissim adversus arma Antonii armis erat opus, quibus salutem suam defenderet. Interea enim et rixa ei cum Antonio inciderat, et multa facta in Urbe erant, quæ rerum totam faciem insigniter commutarent.

Cic. ad  
Att. xiv.  
10. 11. 12.  
Plut. Cic.

7. Quippe M. Antonius ad quælibet consilia perinde facilis, mire miscibat boni malique civis indicia; multa e republica, multa contra patriam factitando, et vicissim his illisque carus aut invisus. Sed tum acri studio partes tueri optimatum videbatur. Quippe 'de revocando Sex. Pompeio' retulerat, 'utque pro paternis ei bonis bis milies de publico daretur: utque maris imperium ei concederetur, quale pater habuisset.' Ob hæc collaudatus a Cicerone et reliquis patribus, cum infensam habere plebem videretur, auctoritate senatus armatum comparare præsidium cœpit. Quo initio reversus ad ingenium, hunc defectum instituit, ut numero militum atque genere formidolosus, senatum non jam pro Antonio, sed sibi, timere cogeret. Jam enim habebat ad sex millia: neque pro-

Appian.  
Dio.  
Vell. II. 73.  
Appian.

<sup>n</sup> *Bis milies*] Prioræ editiones *quingenties*, ut et interpretæ Appiani; sed manifesto errore. Appianus enim drachmas 50000000 decretas esse Sexto Pompeio scribit. Drachma autem æqualis est quatuor sester-

tiis: unde efficitur drachmas 50000000 æquiparari sestertis minoribus 20000000, sive bis milies sestertio. Porro bis milies nostro pondere æstimatum redit ad marcas argenti nostrates 781250. *Crev.*

miscue, sed ex iis qui duxerant ordines, aut aliquo insigniori facinore clari erant, legebantur. Senatui metum fasso respondit, ‘ dimissurum hos esse, simul atque populus conquiesset.’

Plut.  
Anton.  
Dio, XLIV.  
Vell. II. 60.  
Appian.  
Cic. passim in Phil.  
et Epist. ad Att. XIV.  
Dio, XLIV.  
Appian.  
Dio.

8. Interim cum et commentarios Cæsaris haberet domi, et scribam ejus Faberium sibi obsequentissimum, (nam et abiturus ad bellum Cæsar multa ad Antonii arbitrium rejecerat,) his ad stabiliendam suam potentiam abutebatur, quos volebat ab exilio revocans; regibus civitatibusque, sed et sui præsidii primoribus, beneficia dispensans; quodam et in senatum recipiens: quarum rerum omnium invidia penes defunctum, gratia penes Antonium erat. Idem ut M. Lepidum beneficio devinciret, regimen sacrorum, quod in illa confusione rerum ipse potuisset intercipere, illi dare statuit. Sed id quo facilius consequeretur, lege lata sacerdotum comitia<sup>o</sup> populo ademta transtulit ad pontifices. Ita, re in paucorum redacta potestatem, in ceteris quoque solennibus nihil ferme pristini moris servans, quasi

Vell. II. 63.  
Liv. Epit.  
Appian.

furtim paratis suffragiis M. Lepidum pontificem maximum renuntiavit.

9. Hinc nova percussoribus sollicitudo. Igitur, missis ad amicos nuntiis, D. Brutum, qui tres habebat legiones, intentum esse, Trebonium in Asia, Cimbrum in Bithynia, quantas possent pecunias cogere jubebant. Ipsos consilii incertos diversæ causæ tenebant. Manerent in Urbe? Facere cum periculo viderentur. Exirent? Nondum tempus eundi in provincias venerat; et, si prius egrederentur, fugæ similis futura erat profectio. Igitur senatus, salutem atque dignitatem virorum æqualibus studiis conservare pronus, frumenti eis procurationem imposuit. Et, quia prætor urbanus Brutus erat, Antonio referente, legibus est solutus, ‘ si ab Urbe plus quam decem dies abfuisset.’

Cic. ad Att. xv. 9.  
Cic. Phil. II. 13.  
Appian.

10. At his ex Urbe digressis, Antonius moliri multa instituit, Syriam provinciam appetens, destinatam Cassio: deinde, quia sibi paratum esse adversarium Dolabellam sentiebat, eo vertit, ut huic persuaderet eam pro-

<sup>o</sup> Sacerdotum comitia] Dio habet pontificis maximi comitia, τὸν αἵρεσιν τοῦ ἀρχιερέως. CrCV.



vinciam petere, suum auxilium pollicitus. Sic, rogatione ad plebem lata, nec enim impetrari ab senatu potuisset, res confecta: frustra obnuntiante tribuno plebis Asprenate, quem senatus subornaverat, sperans Antonium quoque, ut augurem, et Dolabellæ nuper infensissimum, occasione oblata usurum. Sed ille, graviter correpto Asprenate, mitti tribus in suffragia jussit. Cum provincia bellum quoque Parthicum datum, et legiones quæ, ejus belli causa, præmissæ in Macedoniam fuerant.

11. Dein Antonius Macedoniam provinciam petiit. Nec fuit difficile negotium, victis in Dolabellæ causa omnibus quæ obstiterant. Ex his rebus apparuit, bona fide cum collega reditum in gratiam ab Antonio esse, qui non modo Parthicum ei bellum demandandum curasset; sed et in illius gratiam exarmasset Macedoniam, quam ipse habiturus provinciam erat. Ut tamen commutatæ potius provinciæ, quam ademtæ Pompeianis viderentur, senatus obtinuit pro Syria C. Cassio Cyrenen, pro Macedonia Plut. Brut. M. Bruto Cretam dari.

12. Hæc Octavio nuntiata sunt apud Tarracinam: quo magis sibi properandum in Urbem judicavit: ominibusque prosperis exceptus est. Cum enim circiter horam tertiam, ingenti circumfusus multitudine, quæ officii causa obviam erat effusa, Romam intraret, super caput ejus, circa solis orbem arcus fulgentibus stellis in speciem coronæ micuit. Ac subinde Juliæ Cæsaris filiæ monumentum in Campo fulmine ictum.

13. Credo his quoque excitatum adolescentem, ut magno animo negotium capesseret. Perseverabat enim dissuadere Attia, cui magna erat non ut matri modo, sed ut severæ diligentique educatrici, apud adolescentem auctoritas: et accedebat cum Philippo vitrico sororius Marcellus, minime contemnendis adducti rationibus, 'quod successurus erat in clarissimi ejusdem invidiosissimique nominis hæreditatem, octodecim annorum adolescens, id temporis quo tanti viri cædes impunita, percussores in honore et imperiis essent, et his omnibus suspectior Antonius, summa potentia parique superbia, qui filium Cæsaris peregre advenientem non modo adire, sed ne mittere quidem quenquam suorum voluisset.'

Appian.  
Liv. Epit.  
Jul. Obseq.  
Vell. II. 59.  
Plin. II. 28.  
Sen. Nat.  
Quæst. I. 2.  
Dio, XLV.  
Sueton.  
Aug. 95.  
Sueton.  
Aug. 8.  
Appian.  
Auct. de  
Caus. Corr.  
Eloq. c. 28.  
Nic. Dam.  
de Instit.  
Aug.  
Appian.

14. Contra hæc omnia fixum certumque adolescenti fuit exequi destinata, neque Cæsaris necem impunitam, Vell. II. 60. aut se in minore fortuna pati; neque committere, ut quo nomine dignus a Cæsare iudicatus fuisset, eo se indignum Dio, XLV. suo iudicio ipse fateretur. Consilium prima fronte calidum et audax, postquam processit (ut ab eventu iudicare homines solent) pro prudentissimo vulgatum est: visusque ille quolibet juvene promptius susceptum propositum, quolibet sene cautius esse executus.

15. Hoc tamen Attiæ monitum non sprevit, 'ut inter initia temperaret animo, neque rueret, nisi rebus paratis.' Appian. Idcirco iu itinere confluentem ad se turbam mitibus verbis ablegando, cum mediocri comitatu accessit ad Urbem: et Dio. Cic. ad Att. xv. 12. postea quoque nihil ostendit se iratum percussoribus; 'nec ignorare, æquius esse ut ipse prior ad Antonium, adolescens ad virum, privatus ad consulem eat.' Appian. Postridie, C. Antonio prætore adito, professus est 'hæreditatem se Cæsaris adire, suscipere nomen,' idque relatum in acta publica.

16. Continenter deinde a foro perrexit ad M. Antonium consulem, in Pompeianos hortos: neque statim admissus, dissimulavit injuriam, placidoque et familiari colloquio petiit auxilium adversus percussores avunculi. Vell. Appian. Deinde et mentionem interposuit de pecunia, qua sibi opus ad legata ex testamento patris præstanda esset. Antonius hæc oratione vehementer offensus, qui non modo depositum a Calpurnia millies sestertium<sup>p</sup> retinebat, sed insuper omnem, quæ ubivis esset, hæreditatem lacerabat furtis, et in præsentia respondit durius, et postea quoque legem curiatam de adoptione ferens, consulto extraxit negotium eunctis artibus: summisisse etiam tribunos plebis creditus, qui vetarent. Plut. Anton. et Apophth. Rom. in Aug. Flor. IV. 4. Appian. Dio.

17. His excitatus injuriis adjungere sibi plebem statuit, apud quam magna Cæsaris erat memoria, magnum odium Antonii, qui necem ejus vindicare, cum posset, nolisset. Igitur in locum Helvii Cinnæ tribunatum dissimulanter ambire cœpit, quanquam patricius, necdum senator: et per Ti. Canutium tribunum productus in concionem, os- Sueton. Aug. 10. Plut. Anton. Dio.

<sup>p</sup> *Millies sestertium*] Marcus argenti nostrates 390625. Crer.

tendit et legatam populo pecuniam, et aliam ex sua liberalitate numeratum. Atque hoc ut præstare posset, hæreditatem paternam proscripsit atque vendidit, etiam inductis cohæredibus suis, ut portionem suam cederent sibi.<sup>9</sup>

Sed illa oratio simulque ludorum apparatus valde suspectus erat optimatibus, non ignaris quorsum ista expedirentur. Nec ideo minus facti sunt Veneri Genitrici, Cæsare Octaviano sumtus præbente pro collegio, quod, adhuc vivo dictatore, institutum, metu aut negligentia supersedebatur. Ab iisdem causis ludi victoriae Cæsaris facti non erant Palilibus. Et hos igitur edidit, Matio et Postumo eurantibus: sellam tamen Cæsaris auream, et coronam gemmatam in theatro non posuit, Antonio et tribunis ventantibus. Nam et paulo autea Critonii cujusdam ædilitio munere sellam illaturo Antonius carcerem minatus est, ni rerum novarum desineret.

18. Sed adolescens adversus hanc malignitatem ejus hominis, quo vel præcipuo adjutore se usurum speraverat, generosa fuit ad resistendum constantia. Quæ subinde, præter humana præsidia, raris quibusdam et aptis ad omen trahi casibus confirmabatur. Inter quæ, cometen per continuos aliquot dies spectatum ipse his verbis prodidit: 'His ipsis ludorum meorum diebus, sidus crinitum per septem dies in regione cæli, quæ sub septemtrionibus est, conspectum. Id oriebatur circa undecimam horam diei, clarumque et omnibus terris conspicuum fuit. Eo sidere significari vulgus credit, Cæsaris animam inter Deorum immortalium numina receptam: quo nomine id insigne simulacro capitis ejus, quod mox in foro consecravimus, adjectum est.' Sed et alii potius ad gloriam Cæsaris juvenis pertinere existimabant: plerique magnarum esse calamitatum prænuntia. Sed Octavianus, statua sine certamine posita, fidentior, et Julii mensis appellandi confirmavit consuetudinem, ut etiam ab ipso Bruto in proscriptione ludorum suorum poneretur; aliosque insuper ludos, ob quandam Cæsaris victoriam decretos, fecit.

<sup>9</sup> *Etiam inductis cohæredibus suis, ut portionem suam cederent sibi*] Id non tunc videtur esse factum, sed paulo post. Vid. c. 20. infra. *Crev.*

19. Et profecto mirari animum adolescentis convenit, qui tantas impensas tam alacriter faceret, cum Antonii malignitate et senatus varie premeretur. Nam timentes illi, ne, paternis opibus instructus, ad parem aspirare potentiam vellet, perquiri publicas pecunias, quæ fuissent penes Cæsarem, jusserunt. Sed et de agris frequentes movebantur controversiæ, aliis alios repetentibus privatim, et in publicum eos qui proscriptorum atque exulum fuissent.

Sueton.  
Aug. 10.

Appian.

20. Harum rerum judicia apud Antonium ipsum, aut collegam ejus Dolabellam, agebantur. Quod si qui et alii magistratus judicabant, Antonii præpollebat auctoritas, qui ne translaticium quidem adolescenti jus ulla in re sine pactione gravissimæ mercedis impertiebat. Quin et in cohæredes ejus similes intentabantur minæ, senatusque consultum proferentibus, quo Cæsaris acta rata habebantur, respondit Antonius, 'id fuisse tempori datum, ut populo tumultuanti satisfaceret. Ceterum neque rebus suis carere æquum esse eos quibus ademta per injuriam essent, et mentem potius senatus quam verba spectari oportere. Se tamen illorum portiones relicturum, si exegissent a Cæsare, cujus lubricam ætatem nollet nimis opibus ad suum reipublicæque periculum concitari.' Post hæc igitur Q. Pedius et L. Pinarius partes suas receperunt ab Octaviano, quo interim periculo subducerentur, mox usibus ejus libenter reddidituri.

21. Horum adjutus benevolentia, toleravit immensos sumtus ludorum, omnibusque occasionibus insignem animi magnitudinem ostendit. Cum enim pecuniam, quæ ex auctione sua redigebatur, populo divisisset, et addici petentibus res suas minimo pretio juberet, quia et nummos festinabat colligere, et, propter metum judiciorum, venditionem maturabat; ea ipsa res ei magnam conciliavit hominum benevolentiam, sortem optimi adolescentis serio miserantium.

22. Postquam autem et suum patrimonium, et quicquid aliunde fuerat consecutus, sed et matris Attiæ, Philippique vitrici possessiones, tum concessum sibi a Pedio et Pinario quadrantem Cæsariæ hereditatis venum

proposuit, ita concitatus est plebis affectus, ut omnium ore patientia hujus et animi magnitudo concelebraretur, negarentque vulgo homines diutius se laturos consulis insolentiam.

23. Et certe studia vulgi ludis qui, sub eos dies pro Bruto edebantur, patuerunt. Receptum erat moribus, ut Apollinares ludos urbanus prætor faceret. Sed quia percussores Cæsaris tuti esse in Urbe non poterant, vicem suam Brutus C. Antonio collegæ suo demandavit, eique ludorum suorum apparatus transdidit. Et fuit is plane magnificus atque sumtuosus. Nec ludi tantum proscripti, sed etiam postridie venatio. Sperabant ea voluptate delinitam plebem æquiores postea fore percussoribus. Et erant conducti, per quos initium clamoris nasceretur, ‘revoandos esse primarios viros populique amantissimos.’ Et sequebatur miseratio, sensimque etiam reliqui spectatores jungebant vocem, mirifico omnium plausu: cum ingens multitudo plebis in theatrum irrupit, inibuitque spectaculum, donec ista postulatio penitus extingueretur.

Liv. xxv.

12.

Cic. ad

Att. xv. 10.

11. et 12.

Appian.

Plut. Brut.

Cic. ad

Att. xvi. 4.

Appian.

Cic. Phil.

1. 15. 11. 13.

et x. 4.

Appian.

24. Inter hæc Dolabella prope in Syriam profecto, quia rumor erat Cassium et Brutum de antiquis provinciis occupandis cogitare, M. Antonius respicere Macedonicas legiones cœpit, numero et genere militum validas, multisque adjectis equitibus, et levi armatura. Per eosdem dies forte, an fraude illius, percrebuit fama, Getas in Macedoniam irrupere. De hac ad senatum referens, ‘interesse reipublicæ’ dixit, ‘non deduci a Macedonia exercitum, qui et ipsius Cæsaris destinatione prius Getis, quam Parthis coërcendis comparatus esset. Præterea nihil dum ex Parthis hostile nuntiari.’ Senatus mittendum prius ad res Macedoniae inspiciendas legatos censuit. Nec, expectato eorum reditu, exercitum Antonio decreverunt, multa tum temporis senatui grata facienti. Atque ille cum amicis Dolabellæ pactus est, ut unam ei legionem mitteret, ceteras quinque retineret. Post hæc reversi ex Macedonia nullos ibi fuisse Getas retulerunt: adjecto tamen, in Antonii ut putatur gratiam, periculum esse ne irruant, si ex Macedonia legiones deducantur.

25. Cum hæc obtinisset, colorem reportandi in Ita-

Cic. Phil. 1. 2. et ad Att. xiv. 14. Vell. II. 60. Appian.

liam exercitus quærens, cum A. D. Kalendas Junias senatus haberetur, permutari provincias petiit, 'ut sibi Gallia, D. Bruto Macedonia decerneretur.' At vero senatus, intellecto consulis vaframento, induci non potuit: quidam etiam ex eo ordine privatim scripserunt ad Brutum, hortantes ne Antonio cederet. Igitur Antonius, Cæsaris exemplo, confugit ad populum, ejusque scito provinciam Galliam obtinuit, Octaviani præcipue gratia adjunctus, cum legionibus quæ erant Apolloniam præmissæ; et frater Antonii Caius Macedoniam.

Dio. Cic. Phil. III. 10.

Dio.

26. Unde adolescens ille clarior in dies, plebique et militibus gratior, magna horum frequentia stipabatur, etiam pecunia favorem concilians. Nec dubitabatur novarum rerum hæc esse primordia, nec ultra differri turbas, præsertim quia M. Antonius incrementa hujus ægerrime ferens, ad se volentem, colloquii causa, in tribunal ascendere, quemadmodum facere, Cæsare rerum potente, erat solitus, repulerat per lictores, detrahique ex loco superiore jusserat. Hinc immensæ multitudinis iræ. Nec deerat Octavianus accendere odia, forum vitans, sed per ceteras celebriores partes Urbis in excelsa loca insiliens, in morem concionantis Antonium accusabat.

Appian.

27. Jamque ille et a tribunis centurionibusque suis monebatur, 'finem injuriarum faceret, filioque Cæsaris, cujus beneficiis sua deberent omnia, vel sua causa conciliaretur.' Et cum ille commode respondisset, iisdem auctoribus congressi, post mutuas querelas ita redierunt in gratiam, ut sapius redeundum esset. Nam uterque mentis alterius non nescius, arguendi tempus nondum venisse putabat; et animos, satis jam sua iracundia et suspicionibus exacerbatos, amici non sinebant conquiescere: nunquam defuturis, qui potentiorum inter se inimicitias suam occasionem putent; et in pace negligendi, turbari malint omnia, dum aliquo in numero propter præsentem necessitatem habeantur.

Dio.

Appian.

28. Igitur non multi intercesserunt dies, cum iterum impugnare Cæsarem Antonius cæpit, quanquam recenti beneficio Gallie provinciæ obligatus. Forte tribunus quidam plebis decesserat, ejus in locum Flavinium com-

mendabat Cæsar, petere non ausus,<sup>r</sup> quod ætatem legitimam non habebat: sed populus sensuum ejus non ignarus, ipsi tribunatum offerebat. Unde simul et patres et Antonium metus cepit; senatu percussoribus Cæsaris timente, Antonio sibi, si facultatem adeptus adolescens disertus et præpotens turbandæ plebis, aut paternas inimicitias exequi, aut suas, cœpisset. Igitur Antonius edictum proposuit, Cæsarem contra leges appetere quicquam vetans: et, nisi paruisset, vim consulatus minabatur. Ea indignatione plebis exceptum hoc edictum traditur, ut Antonius, desperato posse obtineri quod volebat, præsentem tribunorum numero contentus, tollere comitia cogeretur.

29. At Cæsar, missis circa patris colonias certis hominibus, veteranos sollicitabat: idemque per alios agebat apud legiones, quæ cum Antonio ituræ in Galliam, ex Macedonia modo reverterant. Tum quoque, eorundem tribunorum opera, deponere simultates suas in Capitolio professi sunt. Nequicquam. Mox enim Antonius quosdam ex præsidio suo ad consilium amicorum adduxit, quos sibi Cæsaris dolo parare insidias diceret. Nam ad priorem metum somnio factus erat timidior; prima nocte, postquam reconciliati in Capitolio fuerant, dextram suam ardere fulminis ictu imaginatus.

30. Neque Cæsaris accipere purgationem voluit: quanquam insontem insimulare ficto crimine videretur. Qui tamen eo tempore prudentes et boni viri habebantur, et credebant factum, et probabant. Jam enim Octavianus per Ciceronem ad senatum se applicare cœperat. Sed non admissus ab Antonio circa fores ejus expostulabat, se immo quotidianis insidiis peti; multaque in caput suum execratus, si merito argueretur, judices poscebat. Cum prodiret ad eum nemo, ' ipsos se Antonii amicos judices ei ferre ' dixit: postremo abiens clara voce testatus est populum, ' si quid sibi accidisset, penes Antonium necis suæ causam fore. ' Acerbioribus igitur,

Plut.  
Anton.

Appian.  
Vell. 11. 60.

Cic. ad  
Fam. xii.  
23.

Sen. de  
Clem. 1. 9.  
Plut.

Sueton.  
Aug. 10.  
Appian.  
Vell. Suet.  
Appian.

<sup>r</sup> Cæsar, petere non ausus] Supra, c. 17. jam memoravit ex Suetonio Freinshemius Cæsarem dissimulanter ambisse tribunatum. Quæ petitio non videtur ab hac, quæ ex Appiano hoc loco narratur, distinguenda. Crev.



ut solent, post reconciliationes odiis, ad comparanda sibi præsidia, eademque detrahenda inimico, uterque properabat.

Cic. ad Fam. xii. 3. 31. Antonius alliciendæ plebi statuam Cæsaris posuit in rostris, inscriptam, PARENTI OPTIME MERITO: deinde legem agrariam per Lucium fratrem promulgabat, Pomtinæ paludes divisurus, quamlibet siccata nondum erant. Ea lex per vim perlata: septemviri dividendis agris creati, quos inter et C. Antonius fuit, tum maxime prætor. Tres enim fratres eodem tempore totidem gerebant magistratus, magnum ad quælibet audenda robur. Et legis quidem istius tanta fuit apud dementem populum gratia, ut L. Antonio statua equestris inaurata in foro poneretur, in qua inscriptum erat, QVINQVE ET TRIGINTA TRIBVS PATRONO POPVLI ROMANI. Sed et equites aliam posuerunt, item ascribentes, PATRONO, et aliam novo exemplo tribuni militum, qui in exercitibus Cæsaris fuerant.

Cic. Phil. ii. 40. 32. Eo tempore Casilinum coloniam deduxit M. Antonius, quo Cæsar paulo ante deduxerat; cum in eam coloniam, quæ esset auspicato deducta, dum esset incolumis, novos ascribi colonos liceret, nova colonia non posset jure deduci. Sed Antonius quidlibet honestum putans, quod firmandæ potentiæ esset, multa moliebatur cum fratribus. Provincias adimebant, aut dabant, aut prorogabant contra legem Juliam, qua nulla poterat esse publice utilior; tribunorum ad hæc usi opera, quos Marcus pecunia suos fecerat.

Dio. 33. Interim et Sex. Pompeius, Antoniorum opera revocatus, excessit Hispania; in qua post fratris interitum copias haud contemnendas paraverat. Cum enim aliquamdiu in Lucetanis latuisset, latrocinio se tolerans, paulo post pluribus ad eum ex Mundensi fuga coëuntibus, Pompeium ausus profiteri, Lucetanorum juventutem induxit, ut se in Bæticam sequeretur. Venit ad eum et ex Africa regulus Arabio, quem paterna ditione Bocchus atque Sittus expulerant. His auxiliis multas occupavit urbes: quarum deinde præsidio vim Carinatis elusit, cum Vell. ii. 73. majoribus copiis a Cæsare missi. Postea cum successore

Strab. iii. p. 161.  
Dio.  
Appian. Civ. iv.



Carinatis, Asinio Pollione prætorio, bellum clarissimum gessit. Carteiæ cum una legione receptus, Eboram deinde oppugnavit cepitque. Eadem die de morte Cæsaris cognovit. Inde ad sex legiones, quas in ulteriore provincia reliquerat, rediit: missis Romam ad consules literis, ' ut sibi ad larem suum liceret reverti: exercitus omnes dimitterentur.<sup>7</sup>

34. His deinde successibus firmior, cum ad eum quotidie multi confluerent, Asinium mors Cæsaris et secutæ illam turbæ plurimum debilitarent, Carthaginem Novam obsidere ausus est. At cum per absentiam ejus premi socios suos a Pollione audisset, cum valida manu congressus, claram victoriam obtinuit, virtutem ejus plurimum adjuvante casu. Fore acciderat ut, Asinio in fugam acto, pars tamen exercitus strenue repugnaret, ambiguum factura victoriam, nisi eodem tempore et paludamentum, quod inter fugiendum abjecerat Pollio, vidissent inter hostium manus, et Pollionem interfectum audissent. Ejus nominis errore, nam illustris eques duci cognominis ceciderat, simul conspectu<sup>1</sup> vestis, tanquam amisso duce, exterriti cesserunt.

35. Ab hoc tempore potens pollensque Pompeius, omnem fere ulteriorem Hispaniam recepit, donec M. Lepidus citeriori præfutura, in proximam Galliam venit. Is auctoritate sua Pompeium adduxit ad pacem, effecitque ut discederet ab armis, senatus illi septies millies,<sup>8</sup> quantum ex bonis ejus paternis Cæsar redegerat, et oræ maritimæ præfecturam daret. Quæ res eo confici facilius potuit, quod salvis Cæsaris actis fiebat. Quippe Cæsar extremo tempore cunctis, etiam quibus nondum ignovisset, sine exceptione pristina jura reddiderat: ut non novum ei

Cic. ad  
Att. xv. 20.  
et xvi. 4.

Dio.

Cic. Phil.  
v. 14. et 15.  
et xiii. 4.  
et 5.

Appian.  
Civ. iv. et  
Vell. ii. 73.  
Cic. Phil.  
xiii. 5.  
Sueton.  
Cæs. 75.

<sup>1</sup> *Conspicua* edd. ante Crev.



<sup>8</sup> *Septies millies*] Marcus nostrates 2731375. Ceterum ut hæc omnia quæ hoc loco memorantur Pompeio darentur a senatu, nihil opus erat Lepidi auctoritate. Senatus enim pæne totus adhuc e Pompeianis partibus constabat, ut observat Velleius. Sed et Ciceronem in Philippicis operæ pretium est videre, ut sese efferat et exultet de Pompeio patriæ restituto. Crev.

dandum beneficium, sed confirmandum quod dedisset Cæsar, videretur. Adjuvitque Antonius, amicus et propinquus Lepidi, odio quoque Cæsaris inimicum ejus paternum corroborans. Pompeius, deducto ex Hispania exercitu, concessit Massiliam, ut interim quid in Urbe fieret specularetur. M. Lepido honores ab senatu habiti, statua equestris inaurata in rostris posita, cum inscriptione præclara: mox et triumphus absentem, rebus gestis non maximis, decretus.

36. Interim ad vim et arma res spectare cœpit, cum Antonium consulatus viribus prævalidum Octavianus ætate et injuria favorabilis, et assumpto Cæsaris nomine, oppugnaret. Idcirco Antonius A. D. VII. Idus Octobres Brundisium exivit, legionibus Macedonicis quatuor occursurus, ut, pecunia sibi conciliatas ad Urbem adduceret, magno timore civitatis. Contra Cæsar in Campaniam excucurrit, primumque a Calatia, mox a Casilino veteranos evocavit, infensos Antonio, qui novos colonos superinduxerat. Sed et pecuniæ magnitudine excitabantur, quingenis donati denariis.<sup>1</sup> Inde Capuam profectus, magna centuriata manu Samnium petiit, Calibusque, et Teani, ceterisque municipiis, summo omnium favore exceptus, paucis diebus justum exercitum coëgit promptus adolescens. Inde consilio Ciceronis recurrens in Urbem ad decem millia hominum sub uno signo, neque omnes more militiæ perarmatos, quasi præsidium suum, adduxit.

37. Trepidabant urbani, hinc Cæsarem, inde Antonium venire cum copiis. Neutrius perspecta voluntas: et quia nuper in Capitolio conciliatos viderant, ne hæc ex compacto gererentur, metuebant: donec eos confirmavit Canutius tribunus plebis profectus obviam Cæsari, et, proposito ejus cognito, prædem se offerens reipublicæ: introductoque adolescente, qui ad secundum lapidem juxta fanum Martis consederat, verba in hanc sententiam fecit, continua rabie lacerare Antonium solitus:

38. 'Miro quodam fortunæ ingenio reor in hæc tempo-

<sup>1</sup> Quingenis . . . denariis] Marcis argenti nostratibus 7. unciis 6. semuncia 1. Crev.

ra, quibus <sup>2</sup> rempublicam extraordinaria pericula circumstant, extraordinarium quoque praesidium accessisse. Quis Vell. II. 64. enim tantum aut furorem hominum, aut benignitatem Deorum praescire atque praedicere potuisset? A consule patriam oppugnari publicis viribus, a privato defendi domesticis copiis! In illo nihil esse quod non oderis, vituperes, timeas; in hoc omnia praecleara et salubria, pietatem, consilium, virtutem!

39. ‘ Cavete enim quicquam existimetis <sup>3</sup> aut perniciosius publice Antonio, aut Caesare salubrius posse cogitari. M. Antonium quis vestrum non novit, tanquam digitos suos? Ejus luxum, libidines, crudelitatem, rapinas quis ignorat? Nec repetam quae coram toties objeci vobis audientibus: ad praesentia tempora vos respicere jubeo, et magnitudinem periculi, quod vobis denuntiat, diligenti aestimatione metiri. Homo, ex magnis opibus, per temporum miseriam subito paratis, deinde turpissime dilapidatis, repente egenus, post necem Caesaris abundare copiis coepit. Quæritis unde? Quanquam quid opus est quærere, quod scitis omnes? Quantum illi pecuniae, nocte Cic. Phil. II. 38. quae mortem Caesaris est insecuta, Calpurniae timor dedit in manus? Quantum creditis ex interpolatis commentariis Caesaris, ex innumerabilibus chirographis, redactum? Plut. Anton. Qua nundinatione nullus unquam fuit quaestus copiosior. Regna, provinciae dantur, adimuntur, tanti videlicet, Cic. Phil. II. 36. 37. &c. quanti redimere haec cupientium desideria paescuntur. Datur civitas aliis, aliis immunitas: restituuntur exules, Cic. Phil. II. 37. et v. 4. minime profecto gratis. Jam una rapina ad Opis septies millies sestertium sublatum nostis. Nunc etiam municipiis imperari audimus pecuniam. Cic. ad Att. XVI. 8.

40. ‘ Tantis instructus divitiis, maximo praeditus magistratu, provincia et legionibus auctus, quantum possit, videtis: quantum velit, nisi ipsi creditis, ego vobis ne utquam persuasero. Pauci admodum dies sunt, cum in concione vestra palam professus est, locum me apud eos

<sup>2</sup> Quo pro quibus legebatur ante Crev.

<sup>3</sup> Desideratur τὸ existimetis in edd. ante Crev.

Cic. ad  
Fam. XII.  
23.

et 3.

quærere quibus se salvo in civitate locus esse non posset. Quæ de principibus senatus alio tempore dixerit, quos et auctores Cæsarianæ necis, et mearum actionum, aperte nominabat, meministis.

Cic. Phil.  
III. 11. et  
v. 8.

41. 'Neque est ut meo aut illorum periculo rem transigi posse putetis; nostro sanguine contentum Antonium fore, nostris facultatibus; vos vero si non honoratos apud eum, at certe tutos fore. Recordamini quam ille vocem nuper admodum pro Castoris sedens jecerit, qua nulla sane potuit audiri crudelior, cum pro solita sua impudentia stultitiaque haud dissimulanter diceret, 'nisi victorem, victurum esse neminem.' Quid potuit apertius? Aut quibus aliis verbis bellum internecinum efficacius denuntiaret?

42. 'Adversus hoc tam cruentum atque horribile monstrum, velut alter Hercules, Octavianus se opposuit, ætate puer, audacia prudentiaque nemini clarissimorum virorum postferendus. Quod fuit hujus adolescentis durissimo difficillimoque suo tempore consilium? Quanta moderatio! Quam sapienter domesticum vulnus, quam patienter inimicorum injurias tulit! Carere illum sicut hujus ætatis ardore, ita omnino animo, credidsemus, nisi præsentis documento palam ostenderet, neminem sibi hac quidem parte comparari posse.

43. 'Tot illustres viri, summis usi honoribus, duces veteres, triumphales, indefensam rempublicam sinerent; nisi hic nobis subito extitisset, qui, nullis instructus publicis præsiidiis, paucos intra dies quam eum proficisci ex Urbe vidimus, tot millia fortissimorum virorum adduxit præsidio publicæ libertatis. Hic nobis munere Deorum datus est adolescens, in quo, etiam qui sententiis invicem discedunt, pari amore consentiant. Alii Cæsaris acerrimam mentem, admirabilem celeritatem, imperterritum animum desiderant: hæc omnia nobis iste regenerat. Sunt qui nimis cupidum potentiæ fuisse putent, pluraque bella e re sua quam publica gessisse, nec in honoribus modum novisse, nec in imperio finem. Hic igitur pro illo Cæsar placeat, qui sibi nihil præterquam salutem et libertatem

petens, ceteros labores suscipit pro republica, nullo honorum aut imperii desiderio, sed leges et jura civitatis valere postulans.

44. Hæc atque talia cum Canutius disseruisset, Octavianus verba facere ad populum cœpit, memoriam patris invocans, et quæ ille pro republica prospere, erga populum Romanum liberaliter, adversus inimicos elementer fecisset. Deinde flexit ad spes suas modeste commendandas, quoniam per ætatem commemorare res gestas nullas posset. Postremo accusavit Antonium, injurias suas publicasque profectas ab eo coarguens, quibus coactus exercitum contraxisset. ‘ Adesse veteranos patris sui, mente omnes eadem, uti patriam defendant, eique operam et obsequium contra quemcumque foret opus, et in præsentia contra Antonium polliceantur. Id unius ore omnes profiteri.’ Secutus ad hæc multitudinis clamor, faustæque in Octavianum voces.

45. Ceterum non idem veteranorum sensus erat, qui cum pugionibus veste tectis circumstiterant. Exciti enim tanquam ad componendas Cæsaris et Antonii controversias, aut, si abnueret Antonius, Cæsarem tutaturi, aut etiam, si res ita ferret, pœnas sumturi de percussoribus, agre ferebant, se adversus Antonium, modo ducem suum, nunc consulem, adhiberi. Igitur catervatim abire cœperunt, alii palam indignati, pars arma sua non apportasse causantes, nec alienis perinde uti.

46. Cæsar, dissimulato dolore, quia erat ad vim imparatus, laudatos quod se deduxissent, novoque insuper donativo auctos, dimisit: neque ex omni numero plusquam mille, sive, secundum eos qui plurimum ponunt, tria millia remanserunt. Ceteros etiam cito subiit pœnitentia, comparandoque belli lucra cum agriculturæ laboribus, et Cæsaris inescati liberalitate, cito cum armis, tanquam ad illa petenda digressi, ad eum reverterunt. Igitur, recepto animo, Etruriam percurrit, Ravennamque, et finitima loca, militibus Arretium convenire jussis.

47. Dum hæc a Cæsare parantur, Antonius ad Mædonicas legiones Brundisium venerat: acceptusque est gratanter, ob spem donativi, quod tanto uberius futurum

Cic. Phil. II. 38. et v. 4. sperabant, quanto esset Antonius Cæsare locupletior. Nam domi ejus acervos strui pecuniæ, neque jam numerari, sed appendi aurum audierant. Deduxerunt tamen eum in tribunal silentio, quasi prius accepturi rationem, quare ultionem occisi Cæsaris distulisset. Hoc ægre passus Antonius increpavit ingratos, ‘qui nullum lætitiæ signum adventu suo ederent, cujus beneficio pro Parthica expeditione Italiam habituri provinciam forent.’ Deinde querelas addidit, ‘quod emissos a protervo adolescentulo’ (sic Cæsarem appellabat) ‘corruptores non protinus adduxissent. Se tamen inventurum illos: militibusque divisurum sestertios quadringenos.’<sup>u</sup> Hæc in promittendo parsimonia cum a dedignantibus excepta risu esset, ipse contra irascere, eo processit ferocia militum, ut cum gravi convicio relinquerent concionantem.

Appian.

Dio et Appian.

Cic. ad Att. xvi. 8.

Appian.

Cic. Phil. III. 2. et 4. v. 8. Dio. Cic.

Appian.

48. Tum ille desiliens, ‘Discetis,’ inquit, ‘imperata facere:’ negotioque dato tribunis ut seditiosi sisterentur, sorte duxit decimum quemque, nec tamen in omnes animadvertit. Sic tamen etiam multum cædis fuit: circiter trecenti supplicio affecti traduntur, inter quos et centuriones quidam, viri fortissimi, fuerunt: et, quod auget sævitiae speciem, sub oculis Fulviæ, quæ virum secuta ad exercitum fuerat, jugulati sunt. Irritatis per hæc potius quam perterrefactis animis, Cæsaris emissarii dolorem militum stimulabant, libellos in castris proponendo, quibus, laudata superioris Cæsaris memoria, et prædicata liberalitate adolescentis, crudelitas et sordes Antonii perstringerentur. Horum libellorum auctores conquiri jussos contubernia celaverunt; non præmiis, non pœnis, quæ indicanti aut occultanti denuntiabantur, mutabiles.

49. Ea contumacia concussit Antonii animum: et cum interea Cæsaris conatus nuntiarentur, iterum ad milites prodiit, excusans, ‘quod necessitate coactus, in paucos quidem et contra voluntatem animadvertisset. Ceterum ipsos scire, quam nec sævum se, nec sordidum ostenderit Antonius usquam. Sed satis esse querelarum, satis etiam

<sup>u</sup> Sestertios quadringenos] Marcam argenti 1. uncias 4. semunciam 1. Crev.

tum delictorum, tum supplicii: centenos illos denarios \* se pronuntiasse non donativi nomine, neque enim id pro fortuna sua facturum, sed quo latior accessus suis legionibus esset.' Nec addidit quicquam, ne cedere militibus timore videretur. Denuntiavit quin etiam parendum imperiis suis fore.

50. Remotis deinde centurionibus,<sup>†</sup> quos suspectabat esse cupidiores Cæsaris, alios præfecit: comiterque appellatos milites, diversis agminibus secundum mare Superum jussit Ariminum pergere. Ipse eum legione Alaudarum Romam superbo adventu terruit, equitibus in suburbio relictis, militem accinctum ducens in Urbem, et nocturnis armatorum circa ades suas custodiis.

Cic. ad  
Att. xvi. 8.  
et Appian.

51. Sed ubi,<sup>‡</sup> convocato senatu, Cæsarem accusaturus, effecturusque ut hostis ille judicaretur, in Capitolium ascendit, in aditu curiæ nuntium ad eum delatum est, legionem Martiam, cujus multi centuriones interfecti fuerant, sublatis signis Albam secessisse, in urbem opportunam et munitam. Dum ad hæc subsistit cogitabundus, en aliud nuntium, et quartam legionem, duce L. Egnatuleio quaestore, ad Cæsarem se transtulisse. Qua re audita, sic est exterritus, ut, abjecto de Cæsare referendi consilio, senatusconsultum de supplicatione M. Lepido decernenda per discessionem faceret, quo celerius mittere senatum posset: (nec enim honoris Lepidi causa vocari patres jusserat:) supervacuis omnino minis usus<sup>§</sup> adversus tribunos plebis quosdam, qui minime repugnaturi fuerant. Sed ille L. Cassio denunciaverat mortem, si in senatum venisset: D. Carsuleium<sup>¶</sup> e senatu vi et minis mortis expulerat: Ti.

Cic. Phil.  
III. 3. IV.  
2. v. 8. et  
9. XIII. 8.  
Appian.  
Liv. Epit.  
Cic. Phil.  
XIII. 8.  
Cic. Phil.  
III. et IV.  
Appian.  
Dio.  
Cic. Phil.  
III. 3. et 9.  
et XIII. 9.

4 Carent edd. ante Crev. τῶ *ubi*.

5 Carent edd. ante Crev. τῶ *usus*.



\* Centenos . . . denarios] Sive, quod idem est, quadringenos sestertios. Vid. not. proxime præcedentem. Crev.

† Remotis deinde centurionibus] Prius hic legebatur *tribunis*, ut et apud interpretem Appiani. Sed ταξίαρχοι, qua voce hic uti-

tur Græcus scriptor, centuriones sunt. Et vero, supra c. 48. centuriones aliquot trucidantur: tribuni ita sunt fidi Antonio ut ei etiam noxios ac seditiosos ad pœnam offerant. Crev.

¶ D. Carsuleium] Sic effert hoc nomen Appianus. (Vid. infra

Canutium, non templo modo, sed etiam aditu Capitolii per armatos prohibuerat.

Cic. Phil. 52. Sed ejusdem diei vespere sortitionem provinciarum  
 III. 10. ex arbitratu suo fecit. Caio fratri Macedoniam, C. Cal-  
 visio Africam dedit: ceterorum plerique, provincias suas  
 repudiando, nullam fuisse Antonii sortitionem judicave-  
 Cic Phil. runt. Ipse neque votis nuncupatis, neque sacrificiis so-  
 v.9. et XIII. lennibus factis, ante lucem paludatus ita profectus est ex  
 9. et III. 10. Urbe, ut templa, forum, occursum hominum, diem pæne  
 Appian. ipsum vitaret, in Galliam properans. Sed prius Albam  
 ire statuit, ad revocandas, si posset, legiones: inde rejec-  
 tus Tibur ad ceteros milites rediit, advocataque concione,  
 jurare coëgit omnes se non esse deserturos.

53. Inter hæc magnus extitit in Urbe timor, certatim-  
 que venerunt Tibur patres propemodum universi, equi-  
 tum pars maxima, et ex ipsa plebe honestissimus quisque:  
 videntesque jurari in verba Antonii a militibus et vetera-  
 nis, quorum magnus sane numerus ad veterem ducem re-  
 currebat, ipsi quoque volentes astrinxerunt se jurejurando,  
 benevolos fidosque M. Antonio semper fore: ut miraren-  
 tur homines, ubinam illi Romani essent, qui paucis ante  
 diebus, concionante Cæsare, M. Antonium conviciis fœde  
 prosciderant. Igitur cum splendido satis comitatu Ari-  
 minum venit, bona cum spe, fore ut D. Brutus propter  
 veterem amicitiam, sed magis odio metuque Cæsaris, pro-  
 vinciam sibi transdat. Sed longe alia Bruto mens fuit,  
 quem exarnari percussorum nemo patiebatur, in ejus co-  
 ptiis maxima spe reposita incolunitatis. Neque vero aut  
 Dio. Cæsarem metuebat, docte simulantem Pompeianarum  
 partium gratiam; aut credebat Antonio, quem, propter  
 infinitam ambitionem, omnibus qui aliquid posse videren-  
 tur infidum atque obliquum esse cognoverat.

54. At Cæsaris animum anceps fatigabat deliberatio,  
 quemadmodum utendum præsentibus foret. Percussores  
 avunculi oderat, Antonium metuebat: atque illos sciens  
 ita vicissim erga se affectos, sæpe angebatur, ne cum ex-

Cic. ad  
 Fam. XI. 5.  
 Dio.  
 Tac. I.  
 Ann. 10.  
 Dio.

CXIX. 10. et 16.) Exemplaria quod minus placuit Schotto.  
 Ciceronis præferunt *Carfulenus*, *Crer*.



exercitu progressum ambo simul junctis copiis invaderent. Sed cognito, hos inter se commissos esse serio, non dubitans acriorem ex duobus prius opprimendum esse, Bruto auxilium ferre non distulit: sublato Antonio, ab ejus segnitie haud perinde metuens.

55. Nec enim contemendus erat imperator Antonius, et viribus haud spernendis nitebatur. Præter recentem Appian. delectum tres habebat legiones Macedonicas; et veteranorum manum, senum quidem, sed in quibus duplo plus roboris quam in tironibus esset. Præterea Lepidus et Asinius in Hispaniis, ille cum quatuor, Pollio cum duabus legionibus, et cum tribus in ulteriore Gallia L. Plan-  
cus, haud alieni a partibus videbantur.

56. Cæsar, præter Martiam et quartam legiones, unam habebat tironum, veteranorum duas, sed suppletas ex novo delectu. His Albam convenire jussis, senatui scripsit, hujus auctoritatem maximi facere simulans, delatumque ab exercitu honorem, ut pro prætore imperium haberet, non accepit. Sed cum duæ legiones, quæ ab Antonio discesserant, inter se ad simulacrum pugnae concurrissent, spectaculo delectatus, et, oblata liberalitatis occasione, iterum quingenos denarios <sup>6</sup> a divisit: quina millia pollicitus, ubi, re ad prælium deducta, fortem fidelemque operam navavissent. Sic excitatis militibus suis, et sparsa largitionum fama, insecutus Antonium, in itinere equites, Cic. Phil. v. 17. sagittarios, elephantos illius redegit in potestatem, minime Dio. repugnantes, quod Antonius Suessæ, et passim in castris Cic. Phil. iv. 2. trucidando qui ei suspecti erant, animos militum vehementer alienaverat. Liv. Epit.

57. Sed Antonius, missis ad Brutum codicillis, decedere jubebat provincia, quo et plebiscito gereret morem, et sibi parceret. Brutus contra senatusconsultum misit, quo ipsi data erat Gallia. Tum Antonius diem præstituit, intra quam nisi decessisset, pro hoste haberetur. Appian. Ne-

6 Ita ex Appian. edidit Crev. In edd. priorr. legitur *nummos*.

//////////

<sup>a</sup> *Quingenos denarios*] *Marcas* nariorum sunt *marcae* nostrates argenti nostrates 7. uncias 6. 78. nuncia 1. *Crev.* semunciam 1. *Quina millia* de-

que cessit Brutus, quominus nuntiandum curaret, 'debere Antonium sibi ipsi longiorem diem dicere, ne forte citius quam vellet ab senatu hostis judicaretur.'

58. Et poterat opprimere Bruti exercitum adhuc in castris agentem tanto potentior Antonius, sed urbes adire maluit. Ab his cum reciperetur, Brutus veritus ne mox nulla pateret sibi, per simulationem decedendi profectus est Mutinam, validam urbem atque populosam, eamque occupavit, et copiis Mutinensium milites suos alere, macrare pecudes, carnemque ad diurnæ obsidionis expectationem sallere instituit. Habebat autem secum magnam gladiatorum multitudinem, duas legiones veteranas, quibus olim præfuerat, et unam tironum: sed omnes nuper firmos ad res suas tuendas effecerat, ducto in Inalpinos<sup>7</sup> exercitu, multisque castellis captis atque vastatis, et liberaliter donato milite. Igitur neque minis Antonii cesserunt, et Antonius, cum dimittere Brutum nollet, ad prælium elicere non posset, circumvallare Mutinam cœpit.

59. His rebus in Urbe cognitis, redintegratus est apud omnes Cæsaris favor, deque ipsius et Bruti honoribus in senatu actum. Provincia quoque Gallia laudata, quod Antonium non recepisset. Octaviano imperium Ciceronis sententia decretum; statua, Philippi: Servius<sup>8</sup> Serviliusque, ut ante justam ætatem petendorum honorum ei potestas fieret, censuerunt. Aberant tum consules, nam et Dolabella profectus in Syriam fuerat. Ergo M. Servilius tribunus plebis, ejusque collegæ, A. D. XIII. Kalendas Januarias senatu convocato, proposuerunt edictum Bruti, quo<sup>9</sup> 'seque et exercitum provinciamque in potestate senatus fore' demonstrabat. Læta igitur curia, et majora meditante, senatusconsultum de præsidio factum, 'uti C. Pansa, A. Hirtius, consules designati, dent operam ut senatus Kalendis Januariis tuto haberi possit.' Interim, rescissa sortitione Antonii, placuit provincias manere apud hos qui obtinebant, neque tradi cuiquam nisi jussu senatus.

Cic. ad  
Fam. XI. 4.

Appian.

Cic. Phil.  
III. 15. et  
IV. 2. et 4.

Cic. ad  
Brut. ep.  
15.

Dio.

Cic. Phil.  
IV. 6. et ad  
Fam. XI. 6.

Cic. Phil.  
III. 15.

Cic. ad  
Fam. XII.  
22. et 25.

<sup>7</sup> In *Transalpinos* edd. ante Crev. Ex Cic. correxit Crev.

<sup>8</sup> Ita ex Cic. edidit Crev. pro *Servii* in edd. priorr.

<sup>9</sup> *Quibus pro quo* legebatur ante Crev.

60. Hæc et ab aliis, sed imprimis a Cicerone, qui eadem die tertiam et quartam Philippicas habuit, cupide decernebantur, qui, professis in Antonium odiis, multas hoc tempore orationes edidit, quibus rerum ille status eximie depictus est. Nam ille ex itinere, propter filium quem Athenas, studiorum causa, præmiserat, in Græciam suscepto, inde trajecturus ad Dolabellam, a quo se passus erat legari, subito erat reversus: austris reflantibus navigare vetitus, et auditis interim Octaviani successibus, novaque spe reipublicæ recuperandæ, alacrior.

61. Sub hæc tempora P. Servilius Isauricus fatum explevit, magno vir natu: sed ad extremam usque ætatem sensibus integris, necnon nonaginta vitæ annis infracta valetudine. Par erat et animi robur bene de republica sentienti<sup>b</sup> et fortiter loquenti. Quibus rebus ita nuper offenderat Antonium, ut in senatum tuto venire non posset. Unde et Canutio non diu post M. Antonius et C. Cæsar objecerunt, 'quod in capessenda republica consularis Isaurici sectam sequeretur.' Quibus ille respondit; 'malle Isaurici esse discipulum, quam Epidii calumniatoris.' Id erat nomen crimenque rhetoris, quem illi audiverant.

62. Hujus viri quanta fuerit auctoritas, vel ut mores temporum noscantur, annotabitur. Forte per forum incedens, cum testes in reum dari vidisset, loco testis constitit, præfatusque, 'sibi nec hominem notum esse, qui causam diceret, neque cur esset postulatus; at improbum sibi videri' dixit, 'propterea quod se pedibus incedentem, nullo reverentiæ signo edito, eques præteriiisset.' Digna res visa iudicibus, cur, indicta causa, damnaretur.

63. Eodem et sequente anno multa, ut solitum in principio magnarum calamitatum, prodigia nuntiata. Terræ motus in Alpibus et in Italia crebri, fulminata navalia,

Cic. ad Att. xiv. 16. et xv. 11.

et xvi. 7. et ad Brut. 15. et ad Fam. xii. 25. et Phil. i. 3. et 4. Dio. Plut. Cic. Dio. Cic. Phil. 11. 5.

Suidas in 'Απίκιος Μάρκος. Cic. ad Fam. xii. 2. Sueton. de Claris Rhetor. c. 4.

Dio. Val. Max. viii. 5.

Virgil. Ge. i. 467. Jul. Obseq.

<sup>b</sup> Bene de republica sentienti] Hæc et quæ sequuntur, non de Isaurico illo nonagenario, sed de ejus filio dixit Cicero. Ille senex mortuus erat antequam Cicero Philippicam suam secundam scriberet, ut constat ex loco ejus Philippicæ in ora libri

supra citato. At Isauricus hic, quem laudat Cicero in epist. ad Fam. xii. 2. vivebat post scriptam et editam Philippicam secundam, ut apparet ex ipsa epistola; et is est qui cum Cæsare, secundum consule, consul fuerat. Crev.

Dio. Jovisque Capitolini cella, quæ fuit in fano Victoriæ,  
 Appian. aliæque sacræ ædes et statuæ. Tabulæ æneæ ex delu-  
 Civ. 1v. bris Fidei et Saturni turbine evulsæ; ad Opis valvæ  
 Jul. Obseq. ædis fractæ. Arbores extirpatæ, tecta convulsa. Fax  
 Plin. 11.26. et 31. cælo visa, quales Græci bolidas<sup>c</sup> vocant, ab ortu ad oc-  
 Dio. cidentem ferri. Trini soles apparuerunt; quorum unus,  
 Euseb. quasi spicea<sup>10</sup> corona cinctus, micuit. Et postea pau-  
 Chron. latim unum in orbem sole redacto, multis mensibus prope  
 Jul. Obseq. ad exitum anni lurida et pallens lux fuit, quasi continuo  
 Tibull. 11.5. sideris defectu. Id ostentum mox accommodarunt tem-  
 Plut. Cæs. poribus, 'Triumviros denuntiatos' dictitantes, 'quorum  
 Virg. Ov. duo defecturi fuissent, Cæsare superstite, cujus victoriam  
 Mët. xv. corona soli circumdata; spicarum figura frugum uber-  
 785. tatem notasset.' Ætna arsit. In Tiberis ostio piscium  
 Dio. magna vis relabente æstu in sicco est exposita. Padus  
 Jul. Obseq. etiam inundavit in campos magno accolentium damno,  
 &c. recedensque vim reliquit ingentem viperarum. Insecuta  
 est pestilentia vehemens per omnem Italiam. Armorum  
 sonitus auditus in Germania de cælo cum cantu tubarum,  
 virorumque clamoribus, et equorum decurrentium strepitu,  
 cum tale nihil oculis cerneretur.

64. Voces, humana<sup>11</sup> majores, ex lucis auditæ. Pal-  
 Euseb. lida simulacra hominum sub crepusculis visa: bos inter  
 Chron. arandum humana voce prolocutus, 'frustra se urgeri; non  
 enim fruges paulo post, sed homines defuturos.' Infaus  
 Jul. Obseq. recens natus locutus est. Annæ constiterunt. Terra  
 &c. hiavit. Effigies Deorum lacrymare et sudare; in qui-  
 busdam et sanguineus sudor apparuit. Puteorum aqua  
 in sanguinem versa. Lupi per fora urbium discurrerunt.  
 Sereno cælo sæpe fulguravit. Taurus cum in æde Vestæ  
 immolatus esset, exsiluit. Carmina Sibyllarum jactata,  
 quibus finis reipublicæ instare prædictus esset. Lapidi-  
 bus multoties pluit.

<sup>10</sup> Ita ex Dion. correxit Crev. pro *spinea* in edd. priorr.  
<sup>11</sup> *Humanæ* edd. ante Crev.



<sup>c</sup> *Bolidas*] Hoc interest, teste Plinio, inter faces et bolidas, 'quod faces vestigia longa faciunt, priore ardente parte; bolidis vero perpetua ardens, longiorem trahit limitem.' Crev.

65. Hæc in communes valere calamitates credita ; sed alia malum significare singulis. Ciceroni, quod consecrata ab eo pridie quam in exilium iret Minerva, vi turbinis dejecta et confracta est. Lepido, quod ante domum ejus canum ululatus auditi, maximusque omnium a ceteris dilaniatus est. Hoc minari pontifici maximo crediderunt. Illud Antonii et Dolabellæ consulum alienationem a republica portendisse, quod in æde Castorum ex eorum nominibus literas quasdam corvi advolantes rostris exciderant. Sed omnia hæc malorum præsentia prope modum sero apparuerunt. Jam enim ea passim agebantur, ex quibus exarsuræ necessario turbæ erant, discurrentibus utriusque partis ducibus ad occupandas provincias, cogendosque exercitus, et quæ alia bellis gerendis apparantur. Ex quibus initiis longorum deinceps atque multiplicium certaminum insani tumultus extiterunt.

Dio.

Cic. ad  
Fam. xii.

25.

Jul. Obseq.

Liv. Epit.

# SUPPLEMENTUM

LIBRI CXVIII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

---

---

- Plut. Brut. 1. **H**oc idem tempus M. Bruti, C. Cassii contationem  
Dio, XLVII. abrupit, quorum anceps hactenus, et varie impedita deli-  
Cic. ad beratio fuerat. Romam reverti periculosum erat; ma-  
Att. xv. 9. nere in Italia, suspectum: et, si ad impositam provinciam  
10. 11. accingerentur, contumeliosum videbatur. Brutus enim in  
Asia, Cassius in Sicilia frumentum emendum, atque in  
Appian. Urbem mittendum curare debebant. Præbuit tamen il-  
Civ. III. et lud negotium et colligendarum classium facultatem, et  
iv. Cic. ad prætextum ducendi moras, si forte casus aliquis existeret.  
Att. xvi. 4. Nec interea desistebant tueri dignitatem ut poterant, et  
et 5. Cic. ad literas atque edicta in Urbem mittere. Sub autumnum  
Fam. xi. 3. deinde per Lucaniam pedestri itinere Veliam accessit  
Dio. Brutus, atque inde transjeit Athenas. Paucisque dein  
Plut. diebus cum sua classe discessit Cassius. Jam enim de-  
Cic. Phil. speraverant qualem volebant obtineri rempublicam posse:  
x. 4. et, quia Cæsar Octavianus jam se commoverat, nescie-  
Plut. Dio. bant quantum huic recte crederetur.
2. Et primo quidem tempore Brutus cum philosophis  
Plut. conversando, videbatur abjecisse rerum aliarum curam.  
Sed tamen et nobiles juvenes, qui Athenas, studiorum  
causa, profecti fuerant, sibi dissimulante adjunxit, in  
quibus et M. Ciceronem M. F. et in Macedonia per He-

rostratum quendam tentavit animos eorum qui copiis præerant. Interim Athenienses ei et Cassio statuas æneas, Dio. juxta Harmodium et Aristogitonem tyrannicidas, tanquam horum imitatoribus ponendas locaverunt.

3. Hæc agentibus C. Cæsarem, coacto exercitu, senatum defendere contra Antonii dominationem et injurias auditum est. Igitur sub prætextu reipublicæ et belli Liv. Epit. Dio. Antoniani Cassius in Syriam contendit, jam inde a quæstura benevolam et familiarem; Brutus Græciam atque Cic. Phil. xi. 13. Macedoniam occupaturus, facile contrahebat reliquias Appian. Civ. iv. Plut. Dio. Pompeianorum exercituum, quæ tum adhuc per Græciam vagabantur: etiam quos a Dolabella nuper advectos moribus aut oblivio sacramenti retinuerat, ultro affluentibus. Igitur, professo jam consilio, ad ostium Caystri perrexit Plut. Romanis navibus obviam, pecuniam cum M. Apuleio Vell. ii. 62. Dio. quæstore, qui, tradita C. Trebonio provincia, decedebat, in Italiam portantibus. Ab hoc Apuleio, perquam Cic. Epist. ad Brut. i. 7. Appian. Civ. iii. et iv. amico sibi homine, Brutus et copias accepit, et talentum sexdecim millia,<sup>a</sup> ex tributis atque vectigalibus Asiæ.

4. Cum inde Samum reverteretur, forte natalis erat Bruti: eoque ob rem feliciter confectam hilarior, poculum in convivio poposcit grandius, idque manu tenens, alta voce retulit Græci poetæ versus, ‘ a fato se et Phæbo Apolline pessumdari.’<sup>b</sup> Hæc vox quia, nulla apparente causa, erat jaeta, vim præ sagii deinde habere visa est: utique postquam ultimo prælio sive ipse, sive Cæsar et Antonius, (utrumvis enim traditur,) signum militibus dederunt Apollinem. Sed hæc posterioris paulo temporis sunt. Plut. et Appian. iv. p. 668. et Val. Max. i. 5.

5. At tum quidem Brutus erectus ad conatum comparandi exercitus, etiam Veterem Antistium induxit ut daret ei ex sua pecunia vicies,<sup>c</sup> seque ipsum offerret ac conjungeret partibus. Sed et equitatum qui in Syriam duce- Cic. Epist. ad Brut. i. 11. Plut. Cic. Phil. x. 6. et xi. 12. Plut.

<sup>a</sup> *Talentum XVI. millia*] *Marcas argenti nostrates 1500000. Crev.*

<sup>b</sup> *A fato se et Phæbo Apolline pessumdari*] *Versus Homericus*

est, Ἄλλὰ με μοῖρ' ὀλοή καὶ Ἀητοῦς ἔκτανεν υἱός. *Iliad. l. xvi. v. 819. Crev.*

<sup>c</sup> *Vicies*] *Marcas argenti nostrates 7812. uncias 4. Crev.*

- batur bipartito, interceptis. Quingenti equites a Cinna quæstore ad Brutum in Thessalia discesserunt: ceteros, qui per Macedoniam ducebantur, Cn. Domitius a legato Syriaco abduxit. Legio quam legatus Antonii L. Piso ducebat, Ciceroni adolescenti se tradidit. Interim et ipse profectus Demetriadem, armorum ingentem copiam, quæ jussu Cæsaris transportata in Græciam, tum ad Antonium reportabantur, occupavit. Inter hæc summa celeritate, nequicquam retinente senatu, C. Antonius prætor affuit, Q. Hortensio successurus, qui Macedoniam obtinuerat. Sed prævertit Brutus, provinciamque tradente Hortensio proconsule accepit, delectusque in ea, ejusdem Hortensii summo studio, habuit. Vicinos etiam reges atque tyrannos adjunxit sibi: magnaque iterum auctus est pecunia. Quippe Thracis cujusdam reguli conjux Polemocratia, cujus maritus occisus dolo æmulorum fuerat, cum filio et thesauris se contulit ad Brutum, ejusque fidei omnia tradidit. Brutus puero Cyzicum amandato, donec in paternum imperium restitui posset, aurum atque argentum, cujus magna vi erat potitus, signare instituit.
6. His rebus acceptis, C. Antonius cum septem cohortibus contendit Apolloniam, ad occupandum Illyrici exercitum. Tres legiones P. Vatinius proconsule apud Apolloniam et Dyrrhachium habebantur. Cum his paulo ante res in Dalmatia et Illyrico gesserat Vatinius, deficientibus denuo post Cæsarem barbaris, et aliquot oppida ceperat, ex quibus rebus imperator est appellatus. Sed postea ob acceptum detrimentum, amissoque Bæbio viro consulari (forte ex suffectis a Cæsare fuit), Dyrrhachium se receperat.
7. Is tum exercitum M. Bruto tradidit, apertis Dyrrhachii portis: non sponte, semper enim adversatus his partibus, et, pro ingenii quadam pravitate, Bruto fuerat; sed milites continere invalidus, apud quos in odio semper habitus, tum etiam propter adversam valetudinem in contentu erat. Clausit tamen portas; et, insolito casu adjuvante, facile repulisset Brutum, si studia militum habuisset. Quippe Brutus, ut accidere quandoque aiunt
- Cic.  
Plut.  
Appian.  
Civ. III.  
Cic. Phil.  
x. 5. 6. et  
xIII. 15.  
Dio. Plut.  
Cic. Phil.  
x. 6. et 11.  
Appian.  
Civ. IV.  
Cic. Phil.  
x. 6. et 5.  
Appian.  
Cic. ad  
Fam. v. 9.  
10. et 11.  
Appian.  
Illyr.  
Appian.  
Civ. IV.  
Dio.  
Vell. II. 69.  
Plut. Brut.  
et Sympos.  
VI. 8.



per altam nivem ambulantes, morbo correptus, quem bouliniam Græci vocant, ingenti desiderio cibi deficiebat: et quia cum expeditis valde properaverat, longe a tergo relictis erant comæatus. Igitur ad portam oppidi progressi milites, panem a vigilibus petierunt. Atque illi, intellecta Bruti necessitate, continuo affuerunt ipsi eum cibariis et vino. Tanta enim erat Bruti dignatio, ut cuilibet ducum anteferendus videretur.

8. Igitur hos quidem recepit volentes. Sed quia honestius putabat ab imperatore accepisse legiones, quam si contra voluntatem ejus cui commissæ fuerant, ad se pellexisset; in literis ad senatum aliquam Vatini mentionem fecit. Ceterum cum non admodum fuisse aut factam ex animo, aut creditam, vel inde colligas, quod Cicero, cum ab senatu honores laudesve decerni censeret, Vatini, quanquam olim reconciliati, mentionem insuper habuit.

9. Dum hæc aguntur, ob multiplices prodigiorum terrores, et præsentia mala, novi consules A. Hirtius et C. Pansa (nam is magistratum hoc anno gessit, quanquam proscripti filius) senatum Kalendis Januariis convocarunt.\* Ne tum quidem finis minarum fuit; et cum de more sacrificarent consules, lictorum unus, non apparente causa, repente concidit mortuus. Igitur neque sequenti biduo cessatum: sed senatus habitus est etiam postridie Kalendas, quanquam antiquo pontificum decreto postridie omnes Kalendas, Nonas, Idus, atri dies haberentur. Sed inter procuranda prodigia extitit aliud omnibus minacius. Quippe accitus ab Etruria haruspex 'reditura' respondit 'regna, qualia olim fuissent, cunctosque servituros, se uno excepto:' atque hæc fatus, compresso spiritu, cecidit exanimis. Decretum tamen postea est, 'ut Hostilia curia reficeretur, et locus in quo navale prælium fuerat editum complanaretur.' Minervam quoque Ciceronis reponi placuit,<sup>d</sup> cujus circum hæc tempora contra Antonium actiones nemo melius exposnerit ipsius elo-

Cic. Phil.

x. 6.

Cic. Phil.

x. 11.

Cic. ad  
Fam. v. 9.

Dio, XLV.

Appian,  
Civ. III.

Dio.

Macrob.

Sat. I. 16.

Plut. Cam.

Liv. VI. 1.

Appian,  
Civ. IV.

Dio.

Cic. ad

Fam. XII.

25.

\* A. U. C. 709. A. C. 43.

<sup>d</sup> *Minervam quoque Ciceronis reponi placuit*] Non illo die, Kal. Januariis, hoc decretum est: sed Quinquatribus, teste ipso Ci-cerone, ad Fam. XII. 25. Quinquatribus autem mense Martio celebrabantur post diem quintum Idus, id est decima nona Martii, ut nos numeramus. *Cree.*

quentissimi viri Philippicis, quarum quæ quinta inscribitur, Kalendis est habita; sexta vero, post triduum.

Cic. Phil. v. 1. et vi. 1. Dio, XLVI. Appian. Civ. III. Cic. Phil. v. 17. et Epist. ad Octavian. Vell. II. 61. Sueton. Aug. 10. Plut. Cic. et Anton. Liv. Epit. Cic. Phil. v. 19. Dio et Appian.

10. His quanquam Fufius Calenus, et alii quidam obstrepebant, obtinuit tamen factio Cæsaris, eique prius decreta confirmavit, ‘statuam equestrem in rostris, cum ætatis ejus ascripta notatione, utque pro prætore bellum cum consulibus adversus M. Antonium gereret cum consularibus ornamentis.’ Adjectum etiam, ‘ut senator esset, sententiamque loco prætorio diceret: ejusque rationem sic haberi in omnibus, quasi anno superiore quæstor fuisset. Militibus’ decreta ‘pecunia ex ærario, quantam iis victoriæ causa Cæsar promisisset; et, quam expendisset Cæsar privato consilio parandis copiis, ea de publico redderetur. Utque iis militibus qui discessissent ab Antonio, statim atque finitum bellum esset, missio daretur, agrique dividerentur.’

Appian.

11. His ita constitutis, cum opinione omnium pro hoste judicato Antonius haberetur, mater ejus, uxorque, et filius puer, tota nocte deprecabundi discurrerunt per senatorum domos; et interdiu quoque in curiam euntibus supplicando,<sup>1</sup> fletu et precibus, et ad genua se projiciendo singulorum, moverant multorum animos, ut tam repentinam fortunæ mutationem non sine misericordia intuerentur.

Liv. Epit. Dio. Appian. Cic. Phil. v. 12. et vi. 3. et 2.

12. Hoc videns metuensque Cicero vehementi rursus oratione accendit indignationem patrum: sed a L. Pisone familiari Antonii mitior dicta est sententia, placuitque ex ea mitti ad Antonium legatos, qui pro Gallia offerrent Macedoniam. Cetera mandata perscripta sunt durius, quod id negotium Ciceroni senatus imposuerat: ‘Ut ante certam diem discedentibus militibus’ (Kalendæ Februariæ prædicebantur) ‘fraudi ne foret, fuisse cum Antonio. Qui neglexissent id facere, pro hostibus haberentur. Antonius a Mutina confestim discederet, exercitum eis Rubiconem intra diem dictam reduceret, dum ne propius urbem Romam ducentis millibus<sup>c</sup> admooveret: provinciam

<sup>1</sup> *Euntes pro euntibus supplicando* legitur in edd. ante Crev.

<sup>c</sup> *Ducentis millibus*] Leucis nostratibus 67. Crev.

ne depopularetur, neve delectus in ea haberet: essetque in patrum conscriptorum et populi Romani potestate.'

13. Neque multo post, priusquam reverterentur legati, Dio. 'tumultum' esse decreverunt, vestitumque mutaverunt Cic. Phil. patres, f. populo quoque sumente saga, Cicerone principe, VI. 3. VIII. qui pridie Nonas Februarias descendit ad forum sagatus, 2. XII. 7. VIII. 11. cum reliqui consulares togati vellent descendere: quod solebant eo honore functi, quanquam erat in sagis civitas. Senatusconsultum quoque factum, 'ut L. Munatius Cic. ad Plancus ex Comata Gallia, et ex Narbonensi Lepidus,' Fam. x. 33. de quibus bona tum erat opinio, 'auxilio consulibus et Dio. D. Bruto essent.'

14. Missi sunt ad Antonium tres consulares, Ser. Sulpicius, L. Piso, L. Philippus, principes civitatis. Ex his Cic. Phil. Sulpicius, qui aetate ceteros anteibat, cum jam prope IX. 1. castra venisset, fato functus est: ceteri, metu an alia Appian. causa incertum, nihil egerunt amplius, quam ut mandata Dio. porrigerent. Accepit ille gaudens causam sibi datam ab Cic. Phil. senatu hostiliter agendi. Quamobrem in conspectu lega- VIII. 7. torum Mutinam verberavit tormentis: et multa statim in senatam, in Ciceronem, in Octavianum coram iisdem effudit: 'Mirari quod Romae sint qui Caesarem optime de Appian. republica meritum pro tyranno et hoste habeant; Ciceronem non habeant, qui servatus a Caesare, cum necari jure potuisset, hanc ei referat gratiam, ut percussores ejus potiores habeat amicis omnibus: Decimum, donec recte fecisset, habuerit odio; idem nunc parricidam diligat. Huic conservatam provinciam velit a solo Caesare datam; Antonio eat ereptum, quam habeat populi Romani beneficio. Sed et patres conscriptos pravis con- Dio.

f. Priusquam reverterentur legati, tumultum esse decreverunt, vestitumque mutaverunt patres] Hic Dio senatui et Ciceroni turpem praeproperae festinationis notam injungit. Sed videndum est quatenus scriptori illi, praesertim in horum temporum historia, credendum sit, quem vere Lipsius in Commentario ad Tac. Ann. XIII. 42. arguit in Cicerone-

nem, in Brutum, in Senecam, in omnes bonos iniquum fuisse. Hoc quidem loco manifestus est mendacii ex Cicerone, qui in Philippica VIII. post reditum legatorum habita, c. 1. docet die proxime praecedenti factum esse decretum de tumultu; et c. 2. saga nondum sumta esse, sed postero die sumenda. *Crev.*

Appian. siliis uti, qui in gratiam pueri' (Cæsarem notabat) 'se afficerent injuriis. Dari præmia militibus, qui a se descivissent, cui senatusconsulto essent dati: minas denunciari his qui maneant in officio. Eam vero rem tam ad suum incommodum, quam reipublicæ detrimentum, depravata in tantum disciplina, pertinere. Se tamen assensum esse decretæ oblivioni propter viros duos Cassium et Brutum. Sed quando ipse et Dolabella hostium numero habeantur, non aliam ob causam, quam quia jure data retineant, se quoque irritam pactionem illam oblivionis facere, quam hi quorum ad beneficium ea res pertineret, priores violassent.'

Cic. ad  
Fam. XII.  
4. et Phil.  
VIII. 8. et  
XIII. 12.

Plut.  
Anton.  
Appian.

15. Dedit deinde vicissim mandata iisdem legatis perferenda senatui: quanquam et ipse legatum mitteret L. Varium ædilitium hominem, compotorem suum, cui propter morum turpitudinem cognomentum erat inditum Cotylya. Mandatorum ea fuit summa, 'futurum se in potestate senatus, amore pacis et patriæ. Ciceroni, a quo profecta sciat, quæ nomine senatus scripta fuissent, hæc respondere: sibi concessam plebiscito Galliam, jusque datum bello Decimum persequendi, lege contempta repugnantem. Adeoque si perstet, pœnas ab eo sumturum uno percussorum pro omnibus, ut tandem exsolvatur piaculo senatus, quo per Ciceronem Decimo opitulantem se obstringat.' Hæc legatis senatus injuncta.

Cic. Phil. 16. Modestiora per Varium, tectiora certe, nuntiavit: § VIII. 8. et 9. 'Provinciam,' his enim verbis usus est, 'remitto: exercitum depono: privatus esse non recuso: omnia obliviscor: in gratiam redeo, si legionibus meis sex, si equitibus, si cohorti prætoris prædam agrumque dederitis: et quibus ego atque Dolabella dedimus agros, eos tenere patiamini.' Postulavit præterea, 'uti chirographorum atque commentariorum Cæsaris obtentu facta sua atque collegæ decreta manerent: ne tangerentur rationes ad Opis: ne fraudi esset septemviris agrorum dividendorum,

§ *Hæc legatis senatus injuncta. Modestiora per Varium . . . nuntiavit*] Nihil de hac diversorum mandatorum varietate apud Ciceronem. Immo ex Phil. VIII.

8. et 10. colligitur mandata hæc quæ a Freinshemio per Varium allata mox memorantur, ipsius legatis ab Antonio data esse. *Crev.*

quod egissent, ceterisque qui secum essent, et adversus leges commississe dicerentur. Ne sua judiciaria lex abrogaretur. Ut pro Togata Gallia Comatam provinciam haberet cum sex legionibus, iisque suppletis ex D. Bruti exercitu, non solum ex delectu suo: tandemque ut obtineret, quamdiu M. Brutus, C. Cassius consules prove consulibus futuri in provinciis essent.<sup>7</sup>

17. Hoc addebat, ut potentes viros demereretur; si- Dio.  
mul Cæsari sollicitudinem immitteret, ne cum his conjungeret vires Antonius, si nimis ab eo premeretur. Non enim erat ullum concordiae studium Antonio, nec aliud agebat his mandatis, quam ut colorem quæreret bonæ causæ, senatui se permittens: sed has condiciones adjece- rat, quas neque recepturus senatus esset, neque Cæsar pateretur. Qua enim ratione hic aut interfectores patris sui consules creari sineret; aut Antonianis copiis paria decerni præmia, quam decreta suis essent; atque per hoc Antonii apud milites auctoritatem et potentiam adaugeri? Neque dubitatum est, quin extemplo hostis Antonius judicaretur:<sup>h</sup> militibus alia diceretur dies, ‘uti’ nimirum Appian.  
et Dio.  
‘cum Antonio fuisse fraudi non esset his qui ante Idus Plut. Ant.  
Martias eum reliquissent, et aut ad consules, aut ad Cæ- Cic. Phil.  
sarem, aut ad Brutum adissent.’ Consulibus permissum, VII. 11.  
Dio.  
‘ut rempublicam defenderent, viderentque ne quid ea detrimenti acciperet.’ In hæc quia ingenti pecunia erat opus, quintam et vicesimam facultatum omnium conferri jusserunt.

18. Hoc tempore præcipua Ciceronis opera fuit, quo- Appian.  
tidianis ferme concionibus populum hortantis. Hinc et armorum magna vis gratuito fabrorum labore, et variis nominibus pecuniæ collectæ. Antonii præsertim amicis auctore eodem impensæ graves injunctæ: quas illi sane sustinebant alacriter, tanquam reipsa criminationes refel-

<sup>h</sup> Neque dubitatum est quin extemplo hostis Antonius judicaretur] Sic volunt scriptores Græci, Plutarchus, Appianus, Dio. Sed ex Ciceronis ipsius, cujus longe gravior est auctoritas, diversis Philippicarum locis, et

maxime ex Phil. XIV. 7. et 8. constat Antonium nondum disertis verbis hostem a senatu judicatum esse, cum jam Pansa et Hirtius et Cæsar adversus eum ad Mutinam conflixerant. Vid. et Epit. libri sequentis.

Cic. ad Fam. XI. 8. et Phil. VII. 8. et 9. lerent. Etiam municipia Italiæ opes suas conferebant, principibus pecuniæ pollicendæ Firmanis, quibus ob cameræ actæ erant ab senatu gratiæ: quemadmodum et Marrucinis, qui ignominia notandos censuerant, quotquot militiam subterfugissent: et L. Nasidio<sup>1</sup> equiti Romano, cujus hortatu non milites modo facti vicini, sed etiam facultatibus sublevati fuerant. Patavini quoque, rejectis Antonianis, pecunia, militibus, et, quod maxime deerat, armis consules et Cæsarem juverunt: horumque studium alii Transpadani, qui prius Antonio favere putabantur, imitati sunt.

Cic. ad Fam. XII. 30. Plut. Emil. Cic. de Offic. II. 22. Cic. ad Fam. XII. 4. et ad Brut. II. 6. et I. 18. Cic. ad Fam. XI. 14. et XII. 28. et 30. Dio. 19. Sed eo perventum erat, ut Urbem, jam inde a triumpho Paulli Macedonico immunem a tributis, subire insolitum onus, pecuniam dare, contribuere, solvere oporteret. Nam et Mutinensis Brutus valde urgebatur inopia: et Marcus non abundabat. Et ad vocem tributi quotidie obdurescebant homines, quæ supra annos centum viginti vix audita in Urbe fuerat. Et renato in Africa bello,<sup>k</sup> etiam Q. Cornificius pecuniam petebat. Igitur et senatores in singulas tegulas, sive propriarum ædium, sive conductarum, quaternos obolos<sup>l</sup> pependerit. Maxima enim erat rei nummariæ difficultas publice, ut etiam annuos prætermitti ludos oporteret, præterquam paucos obiter factos, et dicis causa.

Appian. Dio, XLVII. Vell. II. 62. Cic. Phil. X. II. 20. Igitur M. Bruto, qui per eadem tempora provincias et exercitus a se occupatos retinere jubebatur, senatus-consulto permissum, <sup>1</sup>uti pecunia, si qua opus sit, et exigi possit, utatur, exigatque a quibus videatur: ad rem militarem, mutuam sumat a civitatibus, frumentumque impe-

<sup>1</sup> L. Nasidio] Græviana Cicero-  
lis editio habet L. Visidio. Crev.

<sup>k</sup> Renato in Africa bello] Nihil  
hac de re apud veteres scripto-  
res reperimus. Videtur Frein-  
shemius in errorem inductus  
hæc verbis Epistolæ Cic. ad  
Fam. XI. 14. 'Ex Africa legio-  
nes expectantur. Sed bellum  
istic renatum mirantur homi-  
nes.' Scribit Cicero ad D. Bru-  
tum, post liberatam obsidione  
Mutuam, 'Mirantur,' inquit,  
'homines bellum istic,' in ea

regione in qua tu versaris, id  
est, in Gallia, 'renatum.' Hanc  
interpretationem probant tum  
ea quæ sequuntur in Episto-  
la, tum ipsa Latini sermonis  
proprietas. In Africa quidem  
adeo non renatum bellum erat,  
ut ex illa provincia legiones ex-  
pectarentur in Italiam brevi  
transitura. Crev.

<sup>l</sup> Quaternos obolos] Obolus est  
sexta pars drachmæ. Itaque  
quaterni oboli pares sunt gravis  
argenti nostratibus 48. Crev.

ret.' Eodem senatusconsulto laudatus est Q. Hortensius, jussusque ' cum Q. Cæpione proconsule et legatis suis Macedoniam provinciam obtinere, quoad ei ex senatusconsulto successum sit.' Sed et C. Cassio decretum, ' uti Syriam obtineret cum imperio, bellumque cum Dolabella gereret.' Q. Cæpionis nomine non alium nisi M. Brutum intelligi monendum est, qui nomen illud prænomenque, cum ab Servilio Cæpione avunculo esset adoptatus, asci-  
Appian.  
Dio. XLVII.  
Vell. II. 62.  
Cic. ad  
Brut. I. 5.

21. Dum hæc in Antonium Romæ fiunt magno plerumque studio, non defuerunt qui partes ejus modis omnibus tutarentur. Ex quorum numero, adversus senatusconsultum, quo contra rempublicam fecisse existimabantur,<sup>m</sup> ad Antonium profecti sunt prætores ejus anni duo, P. Ventidius, L. Marcius Censorinus, unusque tribunus plebis, et designati duo, cum aliis quibusdam senatoribus. Alii manentes in Urbe omnem pro Antonio lapidem movebant: Fufius præsertim, et Piso, plerumque sententiis dissidere a Cicerone soliti, et pacis commoda inculcantes. Hi neque vestem mutaverunt statim, et senatui fuerunt auctores iterum ad Antonium legatos mittendi, Pansa quoque consule hortatore. Dictæque sunt sententiæ, ' ut consulares quinque, atque inter eos Cicero, legarentur.' Sed hic quidem senatui causas, cur proficisci neque posset, neque deberet, luculenta oratione exposuit: atque, illo detrectante legationis munus, ceteri quoque remanserunt.  
Dio, XLVI.  
  
Cic. Phil.  
VIII. 11. et  
XI. 5. et  
XII. 8. et  
9. et XIII.  
12.  
Dio.  
Cic. in  
Phil. pass.  
Dio.  
  
Cic. Phil.  
XII. 1.  
Phil. XIII.  
17.  
Phil. XII.  
Dio.

22. Sed Vibio Pansæ consuli ad bellum exeunti fæda ostenta facta. Nam ultima concione quam ad populum habuerat, quendam ex turba comitalis morbus prostravit: et, qua profectus est hora, statua ejus ænea equestris, quam habebat domi, corruit. Equus phaleratus in heri conspectu festinans conceidit. Inter immolandum, ut solebat priusquam paludati magistratus proficiscerentur, exta ab haruspice propter mirificam sanguinis exundantis  
Jul. Obseq.  
et Dio.

<sup>m</sup> *Adversus senatusconsultum, quo contra rempublicam fecisse existimabantur*] Hæc obscura sunt et manca. Petenda lux ei loco est ex Phil. VIII. postremis verbis, ubi Cicero censet nemini facultatem concedendam ad Antonium proficiscendi. ' Si quis post hoc S. C. ad Antonium profectus fuerit, senatum existimaturum eum contra rempublicam fecisse.' *Crev.*

copiam judicari nequiverunt: et quidam e populo in eodem sanguine lapsus, palmam quam, boni ominis causa, proficiscenti daturus erat, cruentavit porrexitque. Ad hæc simulacrum Matris Deum in Palatio ab ortu ad occasum se convertit: et Dianæ signum, quod Mutinæ colebatur, plurimo sanguine primum, deinde lacte fluxit. Consules ante ferias Latinas ex Urbe profecti sunt, quod semper exitiosum ipsis fuisse multa documenta declarare videbantur. Neque leviora minis mala secuta. Rediit Syllana proscriptio, omnisque ferme nobilitas, exceptis qui fecerunt, sublata est.

Flor. IV. 6.  
Dio.

23. Hujus calamitatis causa senatui a Dione ascribitur: 'qui prava calliditate neminem toleraturus dominum, alios aliorum ope studuerit evertere: atque sic offensos sibi omnes effecerit, amicum neminem.' Nec reprehendendum hoc iudicium esse, manifestum erit ex rerum expositione quæ secutæ sunt:<sup>n</sup> quas patebit non alias fuisse, quam ex ejusmodi consiliis proficisci debuerunt.

Cic. Phil.  
XIII. 10.

Appian.

24. Quippe Antonius jam dissimulans quod ab initio solum prætulera, 'non propter spretum plebiscitum Decimo bellum se facere, sed tanquam Cæsaris percussori,' jactabat, etiam scriptis ad senatum literis, eo haud dubie animo, ut vel alliceret juniorem Cæsarem, vel certe suspectum partibus faceret. Et profecto varie nutabat Cæsar, incerta temporum et negotiorum intuens. Oblivio præteritorum et impunitas ab senatu data<sup>2</sup> viris ejusdem ordinis, et plerisque arcta necessitate junctis, humanitati imputari poterat; concessæ pro majoribus exiguæ provinciae, securitatis ipsorum causa datæ videri. 'Sed

2 Carent edd. ante Crev. τῶν data.

<sup>n</sup> Nec reprehendendum hoc iudicium esse, manifestum erit ex rerum expositione quæ secutæ sunt] Consilia non ex eventu dijudicanda sunt. 'Stultorum iste magister est.' Si rem ipsam expendamus, quis senatui Romano vitio dare potest, quod traditam sibi a majoribus libertatem retinere conaretur nec proinde

quenquam tolerare dominum vellet? Quod exorientes tyrannos alios aliorum ope evertere studuerit, id etsi non laudabilis, si ad severam recti normam exigatur, calliditatis est, quanto tamen levius peccatum haberi debet, quam fæda triumvirorum ambitio, fædior crudelitas? Crev.



quorsum in Gallia retineri Brutum? Et decretam sibi provinciam ingresso Antonio dominationis impingi crimen? Eoque prætextu se quoque in eum armari? Præterea Dolabellam, uno percussorum Cæsaris interfecto C. Trebonio, hostium numero haberi: Bruto Cassioque imperium amplissimum, potestatemque in omnes alios qui provincias ab Ionio mari ad Ægyptum usque obtinerent, concedi. Quorsum enim ista nisi ad partes attollendas Pompeianas pertinere?’

25. Reputabat et quid sibi decretum esset ab senatu, reperiebatque tanquam adolescentulo fieri fucum: concedi speciosa, statuum, ordinem senatorium, nomen propriæ prætoris; (de his enim rebus jam acceperat;) at decreto uti cum consulibus bellum administraret, exercitum suum eripi, parere coacto majus imperium obtinentibus. Ad hæc præmia decreta tantummodo his qui transfugissent ab Antonio, non etiam qui Cæsarem secuti alii essent, ad suam injuriam pertinere judicabat: neque aliud agi ab senatu, quam ut se ad tollendum Antonium abuterentur; illo dejecto, se quoque tollerent. Interim et imperium suscepit Spoleti, et pro more novam potestatem auspantium immolari jussit. Apparueruntque omnium victimarum jecinora replicata intrinsecus ab ima fibra, responsumque a vatibus, ‘intra annum duplicaturum esse potentiam, quemadmodum exta duplicia fuissent.’ Sic animatus in concionem vocavit milites, ostenditque, ‘se horum etiam quæ ab senatu acciperet causa gratias iis agere: nec enim daturus ei imperium patres, nisi prius a militibus habuisset: neque se defore præmiis eorum, re feliciter gesta.’

26. Confirmabant adolescentis suspiciones cetera quæ: quod legati et mandata publico nomine ad Antonium mittebantur: consules ad eum se nescio scribebant; et literas Antonii ad senatores quosdam destinatas, cum interceptissent, clam se reddendas curaverant: neque serio gerebant bellum, per causam hyemis omnia tardantes atque procrastinantes. Præter præsidium Antonii Claterna dejectum, nihil erat ab Hirtio gestum: et Pansa tollendis Antonii legibus, agendoque per Urbem et Italiam delectu occupabatur.

Infra cxiix.  
1. 5.  
Appian.

Plin. xi. 28.  
Sueton.  
Aug. 95.  
Jul. Obscq.  
Dio.  
Plin.

Appian.

Dio.

Cic. ad  
Fam. xii. 5.  
et Phil.  
viii. 2.  
Dio.  
Appian.

Dio. 27. Sed quia nondum erat tempestivum hæc intelligere  
 Appian. videri; etiam Hirtio, ut a senatu clam mandatum fuerat,  
 duas poscenti legiones, quartam et Martiam, quod erat  
 Cic. ad roboris in exercitu, concessit: et Hirtio Claternæ hyber-  
 Fam. xii. 5. naturo, forum Cornelii profectus, quotidie et legendo, et  
 Dio. scribendo, et declamando se exercuit; gnarus in summa  
 Sueton. dignitate potentiam munitam armis, facundia destitutam  
 Aug. 84. et civilibus artibus, metui quam amari, et terrere quam  
 rogare aptiorem esse.

Dio. 28. Interea et legatus Bruti Pontius Aquila, qui tri-  
 Supra bunus plebis offenderat Cæsarem, deinde inter percussos  
 cxvi. 10. et res ejus fuerat, T. Munatium Plancum aliquot præliis  
 41. victum, Pollentia, etiam crure fracto, expulit. Et ipse  
 Cic. Phil. Brutus senatori cuidam, qui profugerat ad Antonium,  
 xi. 6. et supellectilem quam ille Mutinæ reliquerat mittendo, in  
 xiii. 12. tantum celebratus est, ut et complures civitates, quæ  
 Dio. superiore anno largitionibus concessionibusque privilegio-  
 rum erant obligatæ Antonio, a partibus ejus alienarentur,  
 et exercitus fieret segnior. Igitur Antonius, ad corrup-  
 pendos Mutinenses, suorum aliquos in oppidum misit. At  
 Brutus hoc sentiens, dolum haud inelegantem machina-  
 tus, convocavit omnes cujusque modi homines, qui tum  
 Mutinæ degebant: paucisque verbis factis demonstravit  
 locum, in quem milites, simul alium, in quem ceteri dis-  
 cederent. Ita relictos in medio hostes facile compre-  
 hendit.

Appian. 29. At ubi circumvallatus urgeri fame cœpit, Cæsar ei  
 Dio. metuens, Hirtium impulit ut ad liberandam obsidione  
 Mutinam una proficiscerentur. In itinere Bononiam occu-  
 Sueton. parant, quæ antiquitus in clientela Antoniorum constituta,  
 Aug. 17. cum præsidium non haberet, sine certamine aperuit portas.  
 Dio. Neque, præter Rhegium Lepidi et Parmam, ullum oppi-  
 Cic. Phil. dum Antonio supererat. Sed erat is equitatu firmus:  
 x. 5. et ad quem obviam venientibus a Bononia misit. Fiebant igitur  
 Fam. xii. 5. equestria crebra prælia, sed vincebantur Antoniani,  
 Cic. ad tantum equestria crebra prælia, sed vincebantur Antoniani,  
 Fam. x. 15. quanquam superiores numero: quia torrentibus interrupta  
 Dio. planities multitudinis usum auferebat.  
 Appian.

Dio. 30. Ne tamen Mutinam venire victores possent, Scul-  
 Plin. iii. 16. tenna fluvio et præsidiis ad eam Antonii prohibebantur.  
 Dio. Igitur ut, quibus possent, modis, Brutum, præsentia ho-

rum cognita, confirmarent, ab altissimis arboribus efferrī faces accensas jusserunt. Deinde cum id parum intelligeretur, tenuem plumbi laminam literis insculptis convolverunt, quæ per urinatore[m] alligata brachio sub aqua deferretur. Cum hoc modo sæpe commeassent literæ, atque parte Scultennæ, quæ nunc quoque Mutinam intrat, saleni, quo maxime indigebant obsessi, cuppis inclusum, itemque pecora intromisissent; sentiens quod agebatur Antonius, retia per amnem tetendit, quibus omnia hæc exciperentur. Tum ad aliam astutiam transitum, et columbæ cum epistolis ultro citroque missæ. Priusquam dimitterentur, in obscuro loco fame macerabantur. Deinde epistolæ seta religabantur ad collum. Sic dimissæ, quam proxime urbem poterat, cibi lucisque desiderio petebant summa quæque ædificia, ibi excipiebantur: utique postquam intellecta re cibum certis locis collocari Brutus juserat. Eadem deinde remittebantur a Bruto cum literis, loca nota repetentes.

31. Sic obfirmato ad tolerandam obsidionem Decimo, Antonius, fratri Lucio custodia operum ad Mutinam demandata, castra hostium castris opposuit. Crebræ inde velitationes, sed nihil ad rerum summam: inter quas et Galli equites, quos cum elephantis ad Cæsarem defecisse diximus, ad Antonium redierunt, clade etiam aliqua Cæsarianis illata; et inter pabulatores oborto certamine, suos unoquoque conante defendere, acriter pugnatum, superiorque discessit Antonius. Interim P. Ventidius ex coloniis Cæsaris instar duarum legionum collegit, notus plerisque et militiæ socius. Magni inde rumores extiterunt in Urbe, cum eo properare audiretur: fugerantque multi, atque inter eos Cicero. Sed conjungere se cupientem Antonio Ventidium Cæsar et Hirtius excluserunt. Ergo profectus in Picenum, ibi quoque delectibus habitis, aliaque conscripta legione, temporibus insidiabatur.

32. Dum hæc in Urbe et Italia fiunt, M. Brutus in Macedonia et Epiro res suas insigniter auxit. C. Antonius, progressus Apolloniam, eo contrahere quicquid militum vicinis locis erat, moliebatur. Sed ubi et illi se ad Brutum potius contulerunt, et Apolloniatas eodem inclinare

Antonius sensit, magnam urbem et gravem, relicta Apollonia, Buthrotum profectus est. Mox amissis in itinere cohortibus tribus, quæ cæsæ a Bruto fuerant, cum præter

Cic. Phil.  
xi. 11.  
Plut.

Amantiam et Bullidem teneret nihil, huc statuit contendere. Sed loca, per quæ eundem erat, Cicero adolescens jam præceperat: per quæ vi conatus aperire viam, victusque, dum inter paludes longo agmine se recipit, a Bruto circumvenitur.

33. Facile erat delere universos: sed Brutus parcendum dicens suis mox futuris, consalutari eos jussit, et cum nihil responderent, tamen dimitti. Sed rursus in præruptis locis nactus, circumdatosque uti prius salutans, commovit omnium animos, ut dignum existimatione sua prædicantes, qua mitis et sapiens ferebatur, in fidem ejus concederent. Antonium etiam deditum ita clementer habuit, ut ne magistratus quidem eriperet insignia: simulque cum Bruti literis ad senatum allatæ sunt Idibus Aprilibus a

Appian.  
et Plut.

Dio.  
Appian.  
Plut.

Cic. ad  
Brut. ii. 7.

C. Antonio ‘proconsole:’ hoc enim adhuc vocabulo utebatur.

34. Hæc igitur epistola movit iram patribus: ut, quam Brutus scripserat, mira senatus lætitia, totiusque civitatis alacritas excepit atque laudavit. Igitur paucis ab inde diebus, cum<sup>3</sup> fugatus a Mutina Antonius animos patribus fecisset, Bruto Cassioque provinciæ, quas jam privato consilio occupaverant, decretæ sunt: laudati exercitus qui his se tradidissent. Senatusconsulto comprehensæ comprobataque pecuniæ, quas a quæstoribus transmarinarum provinciarum acceperant. Postremo præceptum rursus omnibus provincias trans Ionium habitantibus, ‘uti M. Bruto, C. Cassio dicto audientes essent.’ Sed jam de rebus, quas interim in Asia Dolabella gessit, exponendum est.

Plut.  
Appian.  
Civ. iii. et  
iv.  
Cic. Phil.  
xi. 12.

3 *Quam pro cum* legebatur ante Crev.

# SUPPLEMENTUM

LIBRI CXIX.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

---

1. P. DOLABELLA, cum in consulatu suo Syriam ple- Vell. II. 60.  
biscito obtinuisset, sic instituit agere, tanquam non ad Dio, XLVII.  
unam provinciam tuendam, sed ad infinitam colligendam Appian.  
potentiam viribus opus haberet. Erat enim inter hunc Civ. III.  
et Antonium collegam, sicut mox ejus rei certa indicia Cic. Phil.  
eruperunt, de occupanda dominatione inita pactio. Id- XI. 1. et  
circo simul Achaiam attingit, Veterem Antistium nactus XIII. 19.  
(quem postea Bruto accessisse diximus) pecuniam ab eo Vell.  
poposcit; deinde per Macedoniam atque Thraciam agendo Cic. ad  
eadem, M. Octavium Marsum legatum cum una legione Brut. I. 11.  
præmisit in Asiam. Dio.

2. Ipse tardius insecutus, allato senatusconsulto, quo Dio.  
Cassio Syriam ab senatu datam cognovit,<sup>a</sup> C. Trebonium, Cic. Dio.  
qui tum Asiæ præerat, adiit: complexusque hominem et  
familiarissime collocutus, adeo fefellit, ut nihil non in  
ejus amicitia collocandum esse Trebonius crederet, cibaria  
militibus ejus daret, cum ipso creberrime et confidenter  
versaretur. Sed hæc utrum eo animo facta sint, an vero

<sup>a</sup> *Allato senatusconsulto, quo Cassio Syriam ab senatu datam cognovit*] Et hoc numeretur inter Dionis hallucinationes. Constat enim ex Phil. XI. 11. et 12.

post interfectum demum a Dolabella Trebonium, Syriam Cassio a senatu decretam esse. Crev.

ut ad fraudem Dolabella illiceretur, inter auctorum dis-  
 sensionem<sup>b</sup> tanto post tempore difficile dijudicatu est.  
 Appian. Certe neque Pergami, neque postea Smyrnæ admissum  
 esse Dolabellam traditur: forum tantum rerum venalium,  
 tanquam consuli videlicet, præbitum. Ideoque incensum  
 ira Dolabellam, oppugnationem tentasse ferunt oppidi:  
 summotumque Trebonii promissis, fore ut Ephesum intro-  
 mitteretur. Neque tamen excusandus Dolabella est, utro  
 modo res acciderit, fide violata.

3. Quippe, missis a Trebonio copiis, quæ proficiscentem  
 Ephesum sequerentur atque observarent; hostilia agitans  
 animo, dissimulavit omnia, donec, minore parte in proxi-  
 mis locis relicta, plures revertisse Smyrnam cognovit.  
 Cic. Phil. Tum vero paucos illos per insidias delevit: statimque  
 xi. 2. et Smyrnam contendens, fidelissimorum antiquissimorumque  
 xii. 10. sociorum oppidum irrupit noctu, scalis ad mœnia, qua  
 Dio. Appian. parum attente custodiebantur, apposis. Trebonius in  
 cubili deprehensus, cum ad Dolabellam deduci posceret,  
 Cic. Phil. contumeliosissime exceptus, deinde Samiario cuidam exili  
 xi. 2. traditus, verbera atque tormenta pertulit, ne publicam  
 pecuniam proderet.

Vell. ii. 69. 4. Postquam sic excruciatu est biduo, 'caput abscidi'  
 Liv. Epit. jussit Dolabella: idque in tribunali ubi jus reddere con-  
 Oros. vi. 18. sueverat propositum, deinde ad Cæsaris statuum pro-  
 Appian. jectum, pilo suffixerunt milites, gestaruntque circum vias:  
 Dio. postremo per plateas silice stratas mittentes remittentesque  
 Cic. Phil. pro pila, sic contriverunt, ut amplius agnosci nequiret.  
 xi. 2. et Corpus tractum atque laceratum in mare abjectum est.  
 Appian.

5. Ad hunc modum occiso Trebonio, Dolabella occu-  
 Cic. ad pavit Asiam, seque munire rebus omnibus instituit, acerbè  
 Fam. xii. cogendo pecunias, et classem a Rhodiis, Lyciisque, atque  
 12. et 14. ex Pamphylia et Cilicia, per L. Figulum contrahendo:  
 15. non ignarus instantium. Quippe quamprimum hæc sunt  
 Appian. Romæ cognita, hostis ab senatu judicatus est: diesque  
 Cic. Phil. dictus, intra quem impune ab eo discedere milites atque  
 xi. 6. Appian. Dio.

<sup>b</sup> *Inter auctorum dissensionem]* Cicero quidem, Velleius, Orosius, atque ipsi Appianus et Dio, nulla tali suspitione Trebonium aspergunt. *Crcæ.*

familiares possent. Decretum præterea, ‘uti consules, Mutinensi bello confecto, Asiam obtinerent provinciam, et de Dolabella sumerent pœnas.’ Nondum enim Cassii conatum successusque compererant: et veriti ne interea Dolabella fieret firmior, finitimarum provinciarum prætoribus curam Asiæ, donec eo venissent consules, demandarunt.

Cic. ad  
Fam. xii.  
14.

6. Sed priusquam ab illis quicquam ageretur, rebus Cassii auditis, huic bellum contra Dolabellam decreverunt, amplissimis verbis Cicerone dicente sententiam; ‘uti ejus belli gerendi causa, C. Cassius pro consule, quibus ei videatur, naves, nautas, pecunias, ceteraque omnia quæ ad bellum gerendum pertineant, imperandi in Syria, Asia, Bithynia, Ponto, jus potestatemque habeat: utque quamcumque in provinciam, ejus belli gerendi causa, advenerit, ibi majus imperium C. Cassii proconsulis sit, quam ejus erit, qui eam provinciam tum obtinebit, cum C. Cassius proconsul in eam provinciam venerit.’ Eodem senatus-consulto comprehensum, uti ‘finitimi reges, tetrarchæ, dynastæ C. Cassium suis copiis opibusque adjuvent:’ et de Dejotaro patre et filio<sup>1</sup> regibus nominatim, qui, audita morte Cæsaris, Armeniam ab eo sibi ablatam, suo Marte recuperaverant.

Dio.

Cic. Phil.  
xi. 12.

Cic. Phil.  
ii. 37.

7. Interim et Mutinense bellum ad finem venit, sed ita ut majorum inde motuum exordium oriretur. C. Pansa consul cum novis ex Italia delectibus (quatuor legiones tironum erant) et Ser. Sulpicio Galba, qui ad eum, itineris accelerandi causa, millia passuum centum erat missus, Bononiam processerat. Inde ut ad castra collegæ et Cæsaris perveniret per viarum angustias tutius, noctu obviam ei D. Carsuleium, qui bello Alexandrino præclaram operam Cæsari navaverat, cum legione Martia, et duabus prætoriis cohortibus, Hirtii atque Cæsaris, miserunt.

Cic. ad  
Fam. x. 30.

Dio, XLVI.  
Cic.

Appian.  
Civ. III.  
Hirt. de  
B. Alex.  
Appian.  
et Cic.

8. Hoc ubi sensit Antonius, quanquam iter arctum occludere palam potuisset; tamen ne moram injiceret bello, quamprimum enim pugnare cupiebat, insidias per sylvestria Æmiliæ viæ disponere maluit. Quam ad rem

Dio.

Frontin.  
Strat. II. 5.  
39.

Appian. et Cic. quia parum idoneus eques erat, duas robustissimas legiones, secundam et trigesimam quintam, in arundinetis, quæ ad utrumque latus viæ erant, collocavit; duasque insuper prætorias cohortes, alteram suam, alteram M. Silani, qui nuper a Lepido ad eum venerat. Quippe Lepidus a senatu ad opprimendum Antonium evocatus, ambigua fide, et propter recentem affinitatem Antonii in hunc prospectu, cum ad senatum frustra de reconciliando eo scripsisset, M. Silano tribuno copias ducendas dederat, non expresso, utri se parti adjungeret. At Silanus imperatoris sui mentem tenens (nam ille et Narbone concionatus fuerat, et ad multos scripserat, se cum Antonio consentire) ad Antonium concesserat. Partem tamen equitatus cum leviter armatis ostendebat Antonius, signa legionum apud Forum Gallorum occultans.

9. At legio Martiæ prætoriarumque cohortes, hoste conspecto, retineri non potuerunt, quominus prælium consertum irent. Igitur Pansa, duabus legionibus tironum sequi jussis, transitis sylvarum et paludis angustiis, aciem instruxit cohortium duodecim. Nondum illæ duæ legiones aderant, cum Antoniani prorumpunt ex insidiis, manusque continuo locis impeditis conserunt. Igitur Martiæ legionis milites inveterati bellorum usu, ne turbarentur a tironibus, qui mox supervenerunt, seorsim hos jusserunt consistere; ipsi et prætoriani alacriter capessiverunt pugnam.

10. Tria sic prælia discreta locorum ingenis simul facta. Nam a dextro cornu, ubi legionis Martiæ cohortes octo contra legionem tricesimam quintam constiterant, Carsuleius et Galba Antonianos loco pepulerunt, in fugam non potuerunt vertere. In ipso viæ Æmiliæ aggere, ubi cohors Cæsaris prætoria contra prætorianos Antonii erat collocata, diu pugnatum est perquam acriter. Sed in sinistro cornu, quod erat infirmius, ubi cohors prætoria Hirtii, cum duabus ex legione Martia, pugnabat, Antonius fuit superior: et cum equitatu, quo valebat plurimum, circumire cœpisset hostes, pedem eos referre ad castra cœgit, quæ interim prudenti consilio Torquatus Pansæ questor muniverat.

Ovid. Fast.  
IV. 625.

11. Hoc modo certatum inter hos accepimus A. D.



duodevicesimum Kalendas Maii:<sup>c</sup> quo prælio Pansa consul cum, accepto vulnere, fortiter repugnaret, pilo per ilia transacto aliud accepit gravius, et ex prælio elatus est Bononiam. Antonius victorem se ferens castra etiam hostium oppugnavit, neque capere potuit, multis occisis tironibus Pansæ, multis etiam amissis militibus suis. Idcirco ne interim, cognita re, Cæsar atque Hirtius supervenirent, omissa oppugnatione castrorum, ad sua reduxit exercitum.

12. At Hirtius ad defensionem valli sui, quod interim a parte suorum oppugnari Antonius jusserat, relicto Cæsare, cum legione quarta, et veteranorum decem cohortibus (hæc septima erat legio), redeunti Antonio occurrit, appetente jam vespera. Ibi defessi et inordinati ab integro milite excepti, quanquam satis fortiter se defenderent, cladem acceperunt; majori parte veteranarum Antonii copiarum deleta. In hoc prælio summi ducis atque fortissimi militis munia consul explevit, non modo rebus omnibus optime provisus, sed adito inter primos periculo, et aquilam quartæ legionis ipse in hostium adversa signa inferens. Quod nisi nox et paludosa circum loca Hirtium ab insequendo deterruissent, confici bellum potuit. Hæc et Antonii eripuerunt equites, et his occasionem dederunt plures suorum conservandi. Quippe saucios, nonnullos et integros, præ lassitudine in uliginosis locis hærentes, partim in equos imponendo, alios recipiendo post terga, et valentissimum quemque jubentes correptis equorum caudis accelerare fugam, magnum eorum numerum reducerunt in castra ad Mutinam, quarta demum noctis hora reversi. Aquilas duas, signa sex et sexaginta victores retulerunt.

13. Sic æquata partis utriusque fortuna, non solum Hirtius, cujus id proprium decus fuerat, sed Pansa quoque et Cæsar a militibus, et mox ab senatu, ad quem literas Hirtius et Cæsar scripserant, appellati sunt impe-

<sup>c</sup> *A. D. duodevicesimum Kal. Maii*] Ciceronis exemplaria, l. x. ad Fam. Ep. 30. habent *XVII. Kalendas Maii*. Sed irrepsisse facile potuit error in numerorum notas. Ovidii verba clara sunt, nec depravationi opportuna. *Crev.*

Appian.  
Cic. Phil.  
xiv. 9. et  
ad Brut. 1.  
9. Dio.  
Oros. vi.  
18.  
Jul. Obseq.  
Cic. ad  
Fam. x. 30.  
et Appian.  
Dio.

Cic. Phil.  
xiv. 10.  
Dio et  
Appian. et  
Cic. ad  
Fam. x. 30.

Cic. Phil.  
xiv. 10.  
Appian.

Cic. ad  
Fam. x. 30.

Liv. Epit.  
Dio.  
Ovid. Fast.  
iv. 675.  
Cic. Phil.  
xiv.

Dio. ratores : quanquam adversum prælium Pansa fecerat, Cæsar non interfuerat pugnae ille quidem, sed tamen castra multarum legionum paucis cohortibus tutatus, oppugnantibus repulerat. Sed e prælio fugisse eum Antonius Cic. Phil. xiv. 10. et 14. scripsit, ac sine paludamento equoque post biduum demum apparuisse : et velut testimonio consentiens per eos dies Sueton. Aug. 10. Cic. ad Fam. x. 33. fama ipsum etiam cecidisse vulgavit. His tribus præliis Appian. Cic. Phil. xiv. 14. ferme dimidia militum utrimque pars interiit, cum tota cohorte prætoria Cæsaribus : ex Hirtianis haud perinde multi ceciderunt.

Appian. 14. Cum in castra sua omnes rediissent, Antonio decretum erat abstinere præliis, urgere obsidionem, et equitatu, qua parte virium prævalebat, hostibus negotium facessere ; donec confectus fame Brutus deditionem facere cogereetur. Sed eadem causa diversis ducibus festinationem suadebat. Idcirco, frustra sæpius hoste lacessito, Dio. Appian. qua parte Mutina propter locorum naturam claudi minus potuerat, perrumpere conati, cum Antonius solos equites emisisset, equitatu suo his opposito, ut instituerant, Mutinam cum legionibus ire perrexerunt. Tum vero Antonius, omittendæ Mutinæ metu, legiones duas produxit : reliquas ex aliis castris acciri propere jussit.

15. At Hirtius et Cæsar cupide aggressi instructos, priusquam subvenire alii possent, egerunt in fugam. Hirtius cum Antonii vallum superasset, circa principia pugnaus interfectus est : quarta legio, quam ille secum habuerat, a quinta Antonii pane tota concisa. Ibi Cæsar, ad quem jam summa rerum redierat, consilio manuque insignis apparuit per omnia, receptoque Hirtii corpore, etiam castra Antonii occupata aliquamdiu tenuit. Sed paulo post summa vi commisus Antonius eiecit hostem, multosque Cæsariorum occidit. Quo tempore Cæsar aquilam Sueton. Flor. iv. 4. a moriente aquilifero traditam humeris subiit, ipse quoque Herodian. Caracall. cruentus et saucius ; et tanto pondere, sicuti tum signa Cic. ad Brut. i. 2. 4. 10. et ad Fam. xi. 11. erant, non deterritus, in castra reportavit. Victoriæ absolvit D. Bruti eruptio, cui inter diversa partium studia, quidam omnia, nonnulli nihil tribuerunt.

16. His præliis et robur et soboles militum interisse Cic. ad Fam. x. 33. visa est. Viri quoque illustres multi ceciderunt, imprimis

consul uterque, (nam et Pansa ex vulneribus est mortuus,) et L. Fabatus, et C. Peducaeus, et D. Carsuleius, et Pontius Aquila. Noctem proximam mutuo metu utrimque exegerunt in armis.

Plut.  
Anton.  
Oros.vi.18.  
Vell.ii.61.  
Dio. Cic.  
Appian.

17. At Antonius, vocatis in consilium amicis, quamquam plerique censerent manendum esse, non majori accepta quam reddita clade, ducibus hostium occisis, equitatu salvo, et Mutina ad extremum deducta; ‘Recte quidem vos,’ inquit, ‘confiditis; plures enim habemus sperandi causas: sed obsequendum fortunæ est, quæ victoriæ nobis hanc obstruxit viam, alias aperuit munivitque. Modo percurrere in oppidum voluerunt hostes. Sive idem consilium denuo tentet Cæsar, sive circumvallare nos incipiat, quod erit ei propter multitudinem operarum haud difficile, in arcto res nostræ erunt, omnibus circa hostilibus, et equitatus usu adempto. Sed et M. Lepidus et L. Plancus me pro victo contemnent, et, ut solet infelicibus, ex amicis hostes et illi fient. At si Mutinam relinquimus, mox cum tribus legionibus suis Ventidius aderit: Lepidus etiam et Plancus auxilia magna et firma subministrabunt. Quod igitur bene vertat, paratos habet ad iter milites; et, quia multis arma desunt, pro scutis cortices dabimus.’ Hæc locutus, non magno post intervallo castris egressus, ad Alpes magnis itineribus contendit.

Front.  
Strat. i. 7.  
Appian.

18. At Decimus, timore Antonii liberatus, Cæsarem metuere incipiens, noctu abruptis fluvii pontibus, ad eum certos homines misit, gratias tanquam servatori agens, petensque, ‘ut succedens ad ripam, flumine medio, et civibus arbitris, in colloquium veniat. Se enim certis indiciis declaraturum, non sponte, sed fatali quodam infortunio tractum ad conspirationem esse.’ His Cæsar respondit iracundius, ‘se neque Decimi servandi, sed belli cum Antonio implacabili hoste gerendi causa venisse: neque pietatem sinere, ut alloquatur aut etiam aspiciat interfectorem patris: pati tamen incolumem cum esse, donec senatui populoque Romano videretur.’

Cic. ad  
Fam. xi.  
13.  
Appian.  
Oros.vi.18.  
Appian.

19. Tum vero Decimus, progressus ad flumen, clara voce appellavit Cæsarem, et recitato senatusconsulto, quo

Gallia sibi data provincia fuerat, edixit, ' ne trajecto fluvio Cæsar alienam provinciam sine consulibus invaderet ; neve persequeretur Antonium : huic enim operi se sufficere.' Non fallebat Cæsarem, hanc ferociam Bruto ex fiducia patrum accedere. Igitur quantumvis eum in ordinem redigere facile potuisset, moderatus est iræ, seque Bononiam ad C. Pansam contulit, rebus omnibus senatui perscriptis, effectoque ut de iisdem nomine Pansæ scriberetur.

20. Hoc fuit illud in republica tempus, quo nullum reperio fuisse unquam difficilius. Plena suspicionum omnia, plena timoris, simulationis, perfidiæ. Et Dolabellæ quidem atque Antonii jam eruperat furor : neque obscurum erat, quid Brutus, quid Cassius, molirentur. Lepidi, Planci, Asinii contatio quorsum tenderet, mox apparuit.

Vell. II. 60.  
Cic. ad  
Fam. x.

Cic. Phil.  
XIII. 11.  
Appian.

21. Sed senatus, quem ' castra Pompeii ' non præter rem appellabat Antonius, id agebat unice, ut per dissensionem Julianorum ducum partes illæ penitus tollerentur. Eamque tum machinationem Octaviano C. Pansa detexit, tanto simplicius atque apertius, quanto, certus de instantibus supremis, minus movebatur metu gratiaque, et ceteris affectibus qui, propter vitæ commoda, sollicitant animos.

22. Igitur cum vocari Cæsarem jussisset, ' Ego,' inquit, ' patrem tuum tanta caritate dilexi, ut me ipse non potuerim magis. Sed neque mortem ejus vindicare licuit, neque consensui ceterorum resistere ; cui et tu, quanquam exercitu parato, prudenter sane cessisti. At illi cum et te metuerent et Antonium, qui et ipse ingens Cæsaris studium præferabat, penitus gavisii sunt inter vos male convenire : futurum sperantes, ut mutuis offensis invicem attereremini. Postquam autem copias haud spernendas penes te esse viderunt, primo quidem, tanquam adolescentulum, inani honorum specie allicere sunt conati. Deinde ubi tu cum alibi, tum in recusando, quod exercitus offerebat, imperio, magnum animum et sui compotem ostendisti ; exterriti, co flexerunt consilia, uti nobiscum administrares bellum, atque hoc prætextu Martia et quarta

legiones robur exercitus abs te abducerentur. Neque desperabant fore, ut alteruter vestrum bello interiret, superstes solus et imbecillus facile tolleretur: atque ita prorsus, oppressis jam ab initio Caesaris partibus, Pompeianæ resurgerent.

23. 'Atque hanc ipsis consiliorum jam fuisse summam novi. Nam et pleroque eo tempore Romæ, et senatui interfui: neque vitavi suspiciones atque voces, quod mentionem pacis atque concordiæ intuli. Ceterum postea quoque non mihi, non A. Hirtio, cum ad bellum mitteremur, alia mens fuit, quam ut Antonium, castigata viri superbia, redderemus commodiorem, deinde reconciliaremus tibi. Non enim putabamus aliud a nobis fieri posse, vel referendæ patris tui meritis gratiæ melius, vel firmandis partibus nostris utilius.

24. 'Sed hoc quidem consilium, quod occultari interim ratio fuit, nunc Antonio victo, occiso Hirtio, et me in fata concedente, mature tibi aperio: non ut a te gratiam ineam, quæ morienti sera et infructuosa est, sed quia, quemadmodum ostendunt omnia, felix nascenti genius affuit; uti his cognitis, et quæ tibi sint utilia scires, meamque simul atque Hirtii cum voluntatem, tum quæ præter illam facere coacti sumus, intelligeres.

25. 'Exercitum autem quem ipse dedisti nobis te recipere minime invidiosum erit: eum itaque tibi restituo. Neque vero moleste ferent patres, satis cognito (non enim tentare neglexerunt) nullis conditionibus perduci ad Brutum posse. Tirones meos per me licet ipse etiam habeas. Quod si forte nimia senatus reverentia tenentur, satius erit relinqui. Curæ enim fuit senatui, ut hos haberet in potestate. Igitur et tribunos delegit, a quibus non milites modo, sed etiam nos consules eustodiremur. Rem igitur majoris invidiæ quam utilitatis, et ante tempus te excitaturam,<sup>d</sup> omitti satius fuerit. Igitur ad hos

<sup>d</sup> *Et ante tempus te excitaturam*] Fideliter vertit Appianum Freinshemius, at non claro sensu. Verba Appiani sunt, τὸ τε ἔργον . . . πρὸ τοῦ δέοντος ἐξαισθησί σε, id est, si quid videmus, factum hoc nimis cito te emovet ex illa consiliorum via quam hactenus secutus es, et ad aliam transfert. Hactenus obsequentem te senatui præbisti: at, si tirones illos recipis, voluntati

Cic. Phil.  
xii. 7.

Appian.

Cic. ad  
Fam. xi. 14.  
Appian.

quidem accipiendos Decimum evocavi. Sed quia nondum ille venit, Torquato quæstori tradentur.' Hæc fatus et mox executus, animam efflavit.

26. At Torquatus de voluntate patrum copias Decimo adduxit. Funera consulum cum honorifica pompa Cæsar Romam transmisit: iique in Campo Martio publica sepultura honorati sunt, quia pro republica dimicantes ceciderant. Cujus rei sensus etiam abjectorum hominum animos ita pertentasse traditur, ut, M. Cornuto prætore urbano funus locante, qui tunc Libitinam exercebant, gratuitum ministerium præbuerint, paratumque exequiarum conduxerint sestertio nummo. Militum etiam corpora, præsertim qui ex Martia legione ceciderant, publicis operibus atque muneribus, et communi exstruktionem sepulti sunt.

27. Per eos dies de morte consulum suspicio percrebuit, opera Cæsaris occisos, Hirtium in acie per suos milites, aut ipsius Cæsaris manu; Pansam per venenum vulneri affusum. Certe Torquatus Glyconem medicum eo nomine custodiendum aliquamdiu curavit, ut parricidam. Sed M. Brutus, cujus ad Ciceronem epistola extat, in tuenda medici innocentia etiam Cæsaris famam fidemque asseruit. Certe ambitiosos hæc suspicio semper sequitur, ut nullum sit tam insigne atque execrabile scelus, quod pro dominatione facturi non existimentur. Ceterum longe abest a prudentia Octaviani, ut rem minime facilem tegi, et, si erumperet, omnium alienaturam animos, adolescens necdum satis firmus auderet.

28. At senatus, donec incertus belli exitus esset, adversus victorem sibi providendum statuens, extraordinaria imperia tollebat, decreto, 'ne quis longius annuo imperium obtineret, neu quis unus curationem annona.' Quantum enim ad solvendam rempublicam diuturnæ et solitariae potestates valerent, multis exemplis apparuerat. Ita præveniri posse putabant eum qui futurus esset superior, ne quid præter solita et concessa legibus appeteret; et

patrum jam adversaris; idque, collegeris, ut satis tuto possis ante tempus, antequam eas vires patres offendere. *Crer.*

Liv. Epit.

Vell. II. 62.  
Val. Max.  
v. 2.

Cic. Phil.  
xiv. 12. et  
14.

Sueton.  
Aug. 11.  
Dio, XLVI.  
Tac. I.  
Ann. 10.  
Sueton.  
Cic. ad  
Brut. I. 6.

Dio.

invidiam transferri in victum, ejus videlicet immitem et ambitiosum animum senatus timuisset.

29. Postquam de Antonii clade rescitum, resumito pacis habitu, supplicationes dierum sexaginta decretæ. At Camillo Veis captis, supplicationes in quadriduum primo omnium decretæ fuerant: nec scio an ulli temere plurium dierum ante Pompeium, ejus Mithridatica victoria duodecim dierum supplicationem habuit. Mox Cæsari tres dies additi: statimque cum ejus potentia crevit adulatio. Scilicet nihil est in rebus humanis stabile, sed, ut quæque ab initio constituta sunt, ita ferme ab ambitione et vanitate absunt longius: paulo post inclinatur sensim mos antiquus, dein solutius prolabitur, donec tandem cum impetu ruat, et ultra omnem finem modumque proferatur. Igitur nuper Cicero quinquaginta dies sententia sua comprehenderit, cum debellatum nec esset, nec crederetur; quot neque Gallicis antea bellis, neque aliis decretum unquam fuerat. Tum vero propter fugatum a Mutina hostem decendum additum.

30. Antonius, quique cum eo fuerant, bonis omnium publicatis, hostes judicati;<sup>e</sup> deque iis bello persequendis sententiæ dictæ. Quin et decemviri, in quibus et Cicero fuit, tanquam ad præmia militibus persolvenda creati, edictum proposuerunt, 'uti quisquis aliquid accepisset ab Antonio consule, ea de re profiteretur:' cum gravibus minis in eos qui secus fecissent.

31. Hoc tempore T. Pomponii Attici laudabilis æquitas extitit, qui licet amicissimus esset Ciceroni et Bruto, nihilominus Antonii præsentem fortunam aliorum fere omnium exemplo minime despexit, sed pristinae necessitudinis memor, Fulviæ uxori, liberisque Antonii, cum illa de bonis, et hi etiam de vita periclitarentur, quam potuit, opem tulit.

32. Erat ea temporis oblata Pompeianis opportunitas, ut tum demum vere liberos se crederent et gloriarentur:

<sup>e</sup> Antonius, quique cum eo fuerant... hostes judicati] Male ergo Freinshemius, CXVIII. 17. initio statim exorientis dissidii Antonium hostem judicatum esse scripsit. Vid. not. ad illum locum, Crev.

Liv. v. 23.

Cic. de Prov. Cons. 10. et 11. Cæs. de B. Gall. 11. fin.

Cic. Phil. XIV. 11. et 14.

Appian.

Dio.

Cic. ad Fam. x. 21. et ad Brut. 1. 5.

Dio. Liv. Epit. Appian.

Cic. ad Fam. XI. 20. et 21.

Appian. Corn. Nep. in Vita Attici.

Appian. et Dio.

- et velut omni periculo defuncti spernere Cæsarem atque etiam opprimere inciperent. Nam neque triumphum decreverunt petenti; et cum Cicero provido magis quam grato animo, quod ampliora et meritum credebat, et invidis extorquere posse suspicabatur, sententiam dixisset, ‘ut ovanti introire Cæsari liceret,’ a plerisque repugnatum est. Neque Cicero satis animum texit, ‘laudandum adolescentem, ornandum, tollendum’ dictitando. Quo tempore dixisse Cæsar dicitur, ‘se vero non esse commissurum ut tolli posset.’
- Dio. 33. Ceterum, ut erga Cæsarem parci, sic in honorando Bruto profusi fuerunt, omnia huic tribuentes quæ sperare ille debuisset. Supplicatio ejus nomine ad omnia pulvinaria decreta. Et quia forte natali suo liberatus obsidione fuerat, fastis ad eum diem Bruti nomen ascribi jussum: triumphum denique decreverunt homini, qui beneficio vivere alieno diceretur,<sup>f</sup> neque adjutor victoriæ, sed spectator tantum prælii cum aliis e muro fuisse. Martiam quoque et quartam legiones Drusus ei Paulusque ceteris assentientibus decreverant. Sed ea res irrita fuit. Bellum quoque adversus Antonium uni decretum, votaque nomine ejus nuncupata publice.
34. ‘Legionibus quæ ab Antonio defecerant, promissum a Cæsare donativum exsolvi’ placuit; ‘partem eorum qui pro libertate occiderant, liberis aut propinquis dari: superstitionibus honoris causa concedi, ut ludos oleæ frondibus coronati spectarent.’ Cæsaris inter hæc militumque ejus nulla aut parca mentio; quamvis et ad Lepidum, et Plancum, et Pollionem literæ de persequendo Antonio mitterentur; et senatus non vivos tantum, sed etiam mortuos laudibus ac honoribus cumularet. In quibus et Pontio Aquilæ statua est posita, hæredibusque
- Cic. ad Brut. i. 15.  
Cic. ad Fam. xi. 20.  
Vell. ii. 62.  
Sueton. Aug. 12.  
Dio.  
Cic. ad Fam. xi. 18.  
Cic. ad Brut. i. 15.  
et ad Fam. xi. 14.  
Liv. Epit. Vell. Dio.  
Cic. ad Fam. xi. 19. et 14.  
Dio.  
Appian.  
Cic. Phil. xiv. 13.  
Appian. et Dio.  
Liv. Epit. Appian.  
Cic. ad Brut. i. 15.  
Dio.

<sup>f</sup> *Triumphum denique decreverunt homini, qui beneficio vivere alieno diceretur*] Ita quidem de D. Bruto loquuntur Velleius et Dio, Cæsarium adulescentes. Sed Cicero non semel affirmat Brutum erupisse Mutina, ejusque eruptionem magno ad victoriam adjumento fuisse. Vid. supra c.

15. Deinde triumphus decretus est Bruto, ut optime annotat Gronovius ad Epitomen hujus libri, non de Antonio fugato, neque enim de cive triumphabatur, ut colligi videtur ex ep. 4. l. xi. Cic. ad Fam. Crer.



redlita pecunia, quam ille mutuam Bruto dederat, suas atque amicorum opes inter publicam inopiam alendis legionibus insumentibus. Cic. ad Fam. xi. 10.

35. Enimvero Cæsar hæc considerans,<sup>g</sup> et præterea Dio, omnes suos adversarios potentia et imperiis auctos, Sex. Pompeio præfecturam maris, Bruto Cassioque Mæcedoniam et Syriam cum amplissima potestate datas, atque hæc omnia cum Pansæ verbis congruere, ad reconciliandam cum Antonio gratiam animum adjecit. Vell. ii. 62. Appian. Liv. Epit.

36. Neque deerat senatus obtentum præbere quidlibet novaturo. Centuriones missu legionum Romam iverant, petendæ pecuniæ causa quæ promissa erat victoribus. Responsum est, 'legatos ab senatu venturos ad exercitum.' Miseruntque jussos summoto Cæsare milites alloquenti. Non repugnavit Cæsar: sed nec dissimulavit frustra eos fatigatos non relaturos responsum, priusquam ipse esset adhibitus. Consilium senatui erat sub specie pulsi Antonii abducere a Cæsare, tanquam non necessarias amplius, copias; easque tradere Bruto, ut Cæsar exarmaretur. Quærebantque in ejus exercitu serenda discordia, dissociare animos, et alios voluntate ac largitionibus, reliquos deinde vi redigere in potestatem. Igitur Martiæ et quartæ legionis militibus, quæ decreta erant, præmia laudesque legati afferebant: ceterorum Cæsaris militum, non major quam ducis ipsius ratio habebatur. Sed omnis ista calliditas in contrarium vertit. Legiones negarunt sine imperatore suo ulla auditoras mandata. Legati re infecta redierunt. Appian. Vell. et Dio. Cic. ad Fam. xi. 14. et 15. Dio et Appian. Plut. Cic.

37. Tum vero simul Cæsar affluit, artesque increpavit patrum, universis idem animus fuit, ut non minus qui honorati, quam qui neglecti erant, injuria se affectos opinarentur. Nam et illi suspecta habebant omnia, et contumeliam commilitonum, sed maxime Cæsaris, ad suam Appian. et Dio.

<sup>g</sup> Enimvero Cæsar hæc considerans] Prefecto insita animo dommandi cupiditas plus apud Cæsaris animum valuit his senatus injuriis. Itaque Suetonius, Aug. c. 12. arguit eum 'ad prætextum mutatæ voluntatis dicta factaque quorundam calumnia-

tum esse.' Nimirum Cæsar et senatus sibi invicem insidiabantur: nec poterat esse inter libertatis retinendæ cupidissimos patres, et avidum regnandi Cæsarem, sincera animorum consensio. *Crev.*

ignominiam pertinere arbitrabantur: et præteriti docebant, 'consilium senatus non ad beneficium duarum legionum, sed ad ruinam exercitus imperatorisque spectare. Nec ornari illos præmio, sed emi: tradendos mox percussoribus optime de se meriti Cæsaris, contra filium ejus et amicos, ut scelesta et indigna quælibet facerent et paterentur.'

Cic. ad  
Fam. xi. 10. 38. Hæc audita Romæ terruerunt non ignaros vacillare Cæsarem, et Antonio locum dare respirandi. Is enim cum ad extremas angustias redigere hostem potuisset, si transisset Apenninum; alia omnia habens in animo, captivos milites ducesque tractabat comiter: volentes in suorum allegebat ordines; si mallent ad Antonium se recipere, patiebatur. Quin et Ventidium tres legiones habentem terruisse contentus, 'aut ad se transire' jussit, 'aut, omisso metu, ad Antonium pergere, exprobratum communis utilitatis ignorantiam.' Sed et Decium quendam ex illustribus dimittens, atque ab hoc interrogatus, 'quo igitur animo in Antonium esset?' 'Sapientibus sufficere edita ab se indicia' respondit, 'insanis autem nulla suffectura.'

Sueton.  
Aug. 12.  
Appian. 39. Sub idem tempus ad Lepidum et Asinium scripsit apertius: 'nec sibi, nec veteranis parem referri gratiam, sed omnia tradi paricidis cum certo interitu Julianarum partium, si pauci qui supersint, pari atque Antonius imprudentia, inter se committerentur. Cautius agere gregarios milites, qui, finitis stipendiis, ægre divellantur, sed iisdem coloniis juncti unitique consideant. Hoc et ipsis procurandum esse, et monendum Antonium. Interea posse eos in speciem parere senatui, sed memores primam esse debere suæ salutis atque dignitatis curam.' Nec aliud ab his agebatur, sponte inclinantibus in hanc sententiam, et Antonio asinitate aut familiaritate intima devinctis. Et, licet ad Brutum collega Plancus accesserat, tamen neque huic constabat fides, et Bruti perquam infirmæ erant copię; cui maximus tironum, sed idem prope inutilis numerus, octo legiones: veterani belli casibus imminuti; et, ex his qui supererant, multi quotidie ex longa inopia se replentes incautius rumpebantur.

Dio.  
Vell. ii. 63.  
Cic. ad  
Fam. x. 33.  
Cic. ad  
Brut. 11.  
Vell. ii. 63.  
Cic. ad  
Fam. x. 21.  
Appian.

40. His rebus effectum est ut senatus aliquanto honestius tractare Cæsarem inciperet, conciliante ei gratiam Cicerone, cujus ambitiosam senectutem adolescentis caliditas egregie deceperat. Nam, quod ipso postea tradente Cæsare constitit, ruinam metuens, Ciceronem adjungere et retinere studuit. Quod quia nullo firmiore vinculo consequi posse rebatur, consulatum instituit petere, misitque ad Ciceronem nuntios, patrem appellitans. ‘ Ex usu publico, et gloria illius fore, si det operam, ut una gerant consulatum. Penes illum enim, ut peritum et senem, vim magistratus omnem fore: se honore contentum, per quem arma gloriosius poneret; nec aliam petendi triumphii causam fuisse.’

Dio.  
Cic. ad  
Brut. 1. 17.  
et 18.  
Plut. Cic.  
et Brut.

Appian.  
Dio.  
Plut. Cic.  
Appian.  
et Plut.

41. Sic inescatus Cicero negotium Cæsaris in senatu egit: ‘ Difficilia esse reipublicæ tempora. Qui cum imperio sint, inter se fœdera agitare, inconsulto senatu. Referre, ut adolescens sine causa contumeliose habitus, quibusdam honoribus mulceatur. Eundem magnas habere copias: neque tam interesse reipublicæ, ne præter ætatem fiat consul, quam ne simultates armatus exerceat. Præterea dari collegam tanquam puero præceptorem posse, ne quid contra utilitatem senatus atque reipublicæ ausit.’ Sed irrita sunt hæc a percussoribus, non occulto Ciceronis morbo, et minime dubio omnium periculo, si filius intercepti, idemque magnis copiis subnixus, consulatum indispiceretur.

42. Igitur inter omnia dantes et nihil relinquentes media via placuit, ‘ uti sententiæ inter consulares dicendæ jus ei esset.’ Postquam hoc parvi fiebat, decretum, ‘ uti proximis comitiis prætor, sequentibus consul reuuntiaretur.’ Hoc modo satis acute putabant elusisse puerum, ut ipsi quidem appellare consueverant. Sed ille hoc ipsum veluti convicium ad defensionem eorum quæ meditabatur arripiens, Lepido satagente, cum Antonio reconciliavit gratiam, non obviis modo excipiens redeuntem, sed ipse alliciens eum et provocans.

Dio.  
Cic. ad  
Brut. 1. 15.  
et Phil. 1v.  
1. Dio.  
Zonar.  
Sueton.  
Aug. 12.  
Oros. vi.  
18. Liv.  
Epit. Dio.

43. Inter hæc, Antonii rursus emersit fortuna, cujus de rebus accuratius referendum est, sine quarum cognitione secutæ mox conversionis tota sit obscura ratio. Fu-

Vell. II. 63. gatus a Mutina petebat Alpes, vir adversus incommoda  
 Appian. non minus pervicax, quam luxui, quoad vacaret, deditus.  
 Plut. Igitur et in hoc itinere diversi et pæne contrarii generis  
 Anton. documenta edidit: plerumque tolerans inediae et laborum,  
 supra quam sit credibile: iterum, ubi videbatur esse aliqua  
 occasio, profusus in vinum et epulas. Unde non ineleganter  
 respondisse visus est familiarium ejus unus, quæ-  
 renti quid Antonius ageret; ‘Quod canis in Ægypto:  
 Macrob. bibit et fugit?’ quando in illis regionibus canes metu cro-  
 Sat. II. 2. codilorum currendo bibunt ex flumine. Sed sæpius vix  
 Phædr. necessariorum erat copia: ut et cortice vixisse copiae ejus,  
 Fab. I. 25. Plut. et nullius animalis carnibus abstinuisse tradantur.

Cic. ad 44. Non erat difficilis extinguendi hoc tempore belli  
 Fam. XI. labor, si quis insequi fugientem voluisset. Verum enim-  
 10. 12. et vero Cæsarem indignatio, quod Bruto mandatum bellum  
 13. erat, averterat: Brutus insanum rebatur, inimici sui ad-  
 Appian. versarium suo periculo tollere. Tendebat ad Lepidum  
 Dio. castra trans Alpes habentem. Erat et in illo spes, pon-  
 Plut. tificatum et alia quædam Antonii studiis consecuto, et in  
 Cic. ad exercitu, in quo multos sciebat suis partibus addictos.  
 Fam. X. 11. Custodiam Alpium Lepidus Culleoni mandaverat. Is  
 supra, transitum Antonio dedit, ut penetrare in Narbonensem  
 CXXVIII. 9. Galliam posset, ubi castra ad flumen Argenteum Lepidus  
 Plut. habebat.  
 Appian. Plin. III. 4.

Cic. ad 45. Interim et P. Ventidius cum tribus suis legionibus  
 Fam. XI. ad Antonium<sup>2</sup> venit. Quibus receptis, haud procul Lepidi  
 10. et 13. castris castra posita sunt, nullo munita vallo, ut venisse  
 Appian. ad amicos videretur. Magna hic et pudenda tum incon-  
 stantia, tum temeritas Lepidi fuit. Hunc antea senatus  
 Cic. ad ad opprimendum Antonium in Italiam acciverat, eodem-  
 Fam. X. 33. que tempore L. Plancum. Mox, quia Silanus, ad Anto-  
 Dio. nium adductis copiis, Lepidum suspectum patribus fe-  
 cerat, Plancum Antonius diserte ‘participem consiliorum’  
 Cic. Phil. appellabat, miserunt ad eos literas, illorum opera rem-  
 XIII. 19. publicam in presentia non indigere.  
 Dio.

46. Ut tamen aversi animi nullum iudicium ederent, quo ad maleficium illi perpellerentur, negotium imposuerunt oppidi condendi, quo deducerentur qui olim Vienna pulsi ab Allobrogibus (unde initium discordiarum

2 Ita ex App. correxit Crev. pro Rhodamon in edd. priorr.

Viennam et Lugdunum incolentibus extitit) ad confluentes Tac. Hist. 1. 61.  
 Rhodani Ararisque in campis Segusianis conseraderant. Dio.  
 Hæc origo Lugduni fuit, nobilissimæ civitatis, nomen ut Strabo, IV.  
 aiunt a corvo (lugum vocabant Galli)<sup>h</sup> adeptæ, et situ p. 186.  
 loci edito. Quippe dunum et olim, et nunc quoque col- Plin. IV.  
 lem significare quibusdam certum est, et colli Lugdunum 18.  
 inædificatum fuisse constat. Tanta autem loci fuit oppor- Plut. de  
 tunitas, ut intra centesimum annum in maximam perducta Fluv. in  
 frequentiam, deinde unius noctis incendio consumta, mox Arar.  
 reflouerit, et hodie quoque inter clarissimas Gallorum Strabo IV.  
 urbes numeretur. Ab eodem Planco et alia tum deducta p. 192.  
 colonia est Rauraca. Sen. Ep. 91.

47. Quanquam enim venire in Italiam prohibente ne- Gruter.  
 mine potuissent, malebant paruisse senatui videri, atque Inscript. p.  
 interim Antoniani belli speculari exitum. Silanum certe 439. num. 8.  
 Culleonemque reversos ab Antonio verbis castigavit Dio.  
 Lepidus, scripsitque Romam, ‘ se neque opera eorum uti, Cic. ad  
 neque in castris habere, neque ulli negotio præfecisse.’ Fam. x. 34.  
 Ceterum res ipsa indicio est, simulate hæc acta, neque  
 contra voluntatem Lepidi hos accessisse Antonio, neque  
 ab hoc redisse tanquam desertores, sed internuntios.

48. Sane colloquium adhuc abnuebat Antonii: quin Dio.  
 et contra eum scribebat senatui, eoque fidus habebatur, Vell. II. 63.  
 et idoneus cui bellum mandaretur. Sed neque hostile Dio.  
 quicquam in eum designabat, in vicinia passus agere, Vell. et  
 sæpiusque venientem in conspectum militum ita flectere Plut.  
 universos, ut etiam, invito Lepido, exercitu ejus potiturus Anton.  
 fuisse videatur. Quippe Antonio comitas inerat, audacia,  
 profusio: ubi otium esset, luxus; quoties expediret, in-  
 dustria: et quicquid placere corrupta disciplina militi

<sup>h</sup> *Nomen . . . a corvo (lugum vocabant Galli)* Hæc interpretatio vocis Celticæ *lug* non pro certa aut vera habetur ab omnibus. Sunt qui illa designari putent turrem, vel etiam locum quemcumque muris cinctum. Sed et de voce *dun* lis etiam mota est apud nos inter doctissimos viros, aliis ea collem vel montem micæ indicari existimantibus;

aliis hanc vim ei in antiqua solum Germanorum lingua tribuentibus, Celtas vero contentibus ea usos esse ad exprimendum id quod inferius aut profundum est. Non nostrum est hanc disceptare litem. De varietate tantum opinionum lectorem monendum esse judicavi-  
 mus. *Crev.*

potest. Lepidus ad omnia segnior, non virtute ulla notabili, non vitio carus, prope contemptum venerat.

Plut. 49. Forte accidit ut Antonius cum barba capilloque promisso ad castra Lepidi veniens, aspectu simul atque sermone plurimorum misericordiam eliceret. Ibi Lepidus ad disturbandum colloquium ‘tubas occanere’ jussit, quia tribunorum imperia spernebantur. At milites, concionante Lepido, conclamarunt, ‘pacem se velle, neque cum ullis deinde civibus esse dimicatuos.’ Mox Canidio Rufrenoque et similibus auctoribus, per Lælium et Clodium meretriciis vestibis tectos secreta cum Antonio pacta fecerunt; etiam Lepidi cædem, si vellet, polliciti. Sed is parci Lepido jussit, sibi cum exercitu venturo viam pandi. Hoc præcipio studio agebant decumani, quos aliquando Antonius duxerat.

Cic. ad Fam. x. 21. et 35. Dio. Vell. Appian. Cic. ad Fam. x. 21. Dio. Vell. Appian. Cic. ad Fam. x. 35. Appian. Plut. Vell. Appian. Cic. ad Fam. x. 35. Appian. Rutil. Itiner. i. 301. Sueton. Aug. 12.

50. Neque fallebat ea molitio M. Juventium Latensium legatum Lepidi, prorsus egregium civem: sed multa salubriter monenti non habuit Lepidus fidem. Postremo auctor ei fuit dividendi in partes exercitus: sic evidentius quo quisque sit animo appariturum. Lepidus trifariam partitus copias, jussit occurrere præsidio quæstoribus, quos adventare dicebat. At hi de quarta vigilia sumtis armis, tanquam exituri, vallum occuparunt, nuntiosque miserunt ad Antonium. Ille, his auditis, prima luce flumen transgreditur: et per aversa castrorum admissus, ubi vallum a Lepidanis erat dirutum, protinus ad prætorium contendit, prosequente cum Lepidi exercitu, et orante imperatorem, ‘parceret tantæ multitudini civium Romanorum, eorumque salutis atque securitatis causam susciperet.’ Atque is, ut e cubili discinctus exsilierat, Antonium complexus est, prioremque austeritatem suam necessitate temporum excusavit. Sunt qui et ad pedes ejus procidisse tradant: quod, quamvis in timido homine nihil non credi potest, quia plerisque non est traditum, neque factum puto; aut si forte, simulatum a Lepido timorem, ne prodidisse causam senatus sponte videretur. Scelere enim potius quam ignavia peccavisse plerisque tum visus est, receptumque ab eo Antonium, non modo scriptores inferioris ævi, sed M. Cicero, D. Brutus,

L. Plancus, totus denique senatus censuit. Eamque opinionem et quæ præcesserunt omnia, et quæ secuta sunt, corroborarunt.

51. At Laterensis, cum et Lepidum frustra monuisset, et Plancum, quos inter se discordes reconciliare reipublicæ causa acerrime nisus fuerat, sub ingressum Antonii gladio se transfixit. Ob hæc statim ei decrevit senatus, laudationemque et publicum funus: at quæ posita Lepido pro rostris fuerat, subversa est; isque hostis judicatus, cum ceteris qui simul a republica defecerant, 'nisi ante Kalendas Septembres ad sanitatem redissent.'

52. Saga quoque resumta, crebrique ad M. Brutum, C. Cassium, Sextumque Pompeium nuntii missi, 'ut reipublicæ subvenirent.' Etiam duo senatores, Luccius et Pansa, tanquam ad visendum Græciæ statum missi, qui properare Brutum juberent. E Sardinia quoque evocatae copiæ, et e tribus Sextianis legionibus, quæ erant in Africa, unam accipere jussus Q. Cornificius; duas mittere in Italiam: quanquam ne his quidem satis confidebant, quod et ipsæ sub Cæsare militassent. Sed omnia experiri cogebat necessitas. Postremo eum longe hæc spes abesse videretur, ad Cæsarem recursum est, neglectum contemptumque paulo prius, et coactum ad nova, sed incognita adhuc patribus consilia. Triumphus etiam ac stipendium ei decernitur, et omnibus decretis ornatur.

53. Idcirco lætus hanc sibi ad obseptum antea consulatum viam aperiri, simulavit obsequium, paravitque ad bellum omnia. Sed interim elanculum induxit milites, ut jurarent 'contra nullum se exercitum, qui Cæsaris fuisset, arma capturos.' Hoc aperte spectabat ad Antonium et Lepidum, quorum copiæ majorem partem constabant e Cæsarianis legionibus. Præterea instigabat eos, ut legatos iterum ad senatum mitterent, quasi deprecatorios, ne contra fas et religionem dimicare eum civibus cogentur; revera, ut exigent nondum persolutas pecunias, Cæsarique darent consulatum.

54. Nec hoc timide fiebat amplius, sed palam, advocata concione, 'Quousque,' inquit, 'commilitones, adversariorum insatiabilem importunitatem perferimus?'

Cic. ad  
Fam. x. 21.  
et xi. 9. et  
18. et ad  
Brut. i. 10.  
12. et 14.  
Cic. ad  
Fam. x. 21.  
et 23.  
Vell. Dio.

Cic. ad  
Brut. i. 15.  
Dio.  
Liv. Epit.  
Cic. ad  
Fam. xii.  
10. Dio.

Appian.  
Cic. ad  
Fam. xi.  
26.  
Appian.

Dio et  
Appian.

Dio.  
Cic. ad  
Brut. i. 17.

Dio.

Appian.

Hæc scilicet, ut plurima vobis ante nota præteream, præmia meruimus, ut ab his vexemur atque opprimamur, quibus nostro sanguine salus atque securitas parta est? Antonii præda fuissent, neque rem aut publicam aut suam tueri quisquam eorum potuisset, nisi ego ille puer (sed virum sentient!) nisi ego, inquam, quem puerum appellare consueverunt, vobis adiutoribus causam suscepissem publicam, et nimiam Antonii ferociam Mutinensi victoria refrænassem.

55. ‘ At illi præclaram scilicet vicem servatoribus suis reddunt, contemptum, ignominiam, pericula. Neque desinent, nisi caverimus, priusquam universos, alios alia fraude circumventos, deleverint. Hoc enim agunt homines Pompeianis partibus devoti, ut eos qui patri meo navarunt operam, occasione temporum inter se commissos, mutuis vulneribus conficiant. Ideo nempe bella ex bellis seruntur, donec omnes, quos ob militiam Cæsaris perosi sunt, duces militesque prorsus interierint. Neque enim alio pertinuit, quod nuper duabus legionibus oblata sunt præmia, quam ut ex dolore ceterarum oriretur in hoc exercitu pernicioosa dissensio.

56. ‘ Quam vero sint infensi Cæsaris amicis, numquid proximis diebus ostensum est? cum ab Antonio quidem, sed ex parentis mei commentariis, data cunctis eriperentur. Unde et vobis facilis esse conjectura potest, quæ vestra sit futura conditio, qui agros, qui pecunias accepistis a Cæsare, siquidem hi rempublicam obtinebunt; quæ vero mea, dum regnabunt in senatu percussores patris mei. Sed mihi quidem curæ erit, ut neque vita mihi incustodita sit, neque mors indecora. Vestri me miseret, quibus nemo relinquetur, a quo speretis operæ patri mihi quæ navatæ pretium. Nam me quidem ab ambitione longius abesse, quam huic ætati credi potuisset, ipsi comperistis, cum oblatum a vobis imperium abnuvi. Nunc alia conditio est temporum: neque pro vobis, neque ad ultionem patris quicquam profecero, donec ero privatus.

57. ‘ Eam e causa consulatum petere coëgit: atque is, eandem ob causam, negatur ab his quorum interest neminem esse aut vestrarum utilitatum procuratorem, aut Cæ-



sarianæ necis vindicem. Igitur communis salutis mihi vobisque tantum unam reliquam video viam, si vestro favore consulatum consequar. Nec enim aliter aut quæ a parente meo accepistis confirmari, aut quæ a me expectatis persolvi quibunt. Sed et ad publicum bonum, quietemque patriæ res pertinet. Percussores enim patris reos agam, quibus sublatis, finis aliquando civilium bellorum erit.'

58. Alacri acclamatione militum hæc excepta: delectique statim ex promptissimis veteranorum quadriugenti, qui legatione ea fungerentur. Cum patres ætatem Cæsaris excusarent, centuriones legationis principes (edocti enim erant) responderunt, 'et apud antiquos Rullis, Deciis, Corvinis, multisque aliis consulatum fuisse creditum; et recentiore memoria superiorem Africanum, Titumque Flaminium, admodum adolescentes consules factos, utilem reipublicæ operam præstitisse.' Magnus quoque Pompeius et Dolabella allegabantur, atque in hoc ipso Cæsare factum senatus decretum, quo multis annis ante legitimam ætatem honores petendi facultas concessa erat. Cum propter gravitatem negotii tempus traheretur; legati, ut moniti a Cæsare erant, impunitatem petere Antonianis cœperunt, ut credibile est, non tam impetrandi proposito, quam ad tentandos senatus animos, an et huc adduci possit; et, si succenseret, hunc armorum prætextum habituri. Sed elusum satis commodo astu periculum est, contradicente nemine, sed pro magno aliorum numero eadem postulantes plerisque. Unde effectum est, ut citra invidiam, propter multitudinem hominum, quibus in causa dispari paria concedi rectum non esset, tota res omitteretur.

59. Inter has altereationes, cum ferociter locuti milites, atque ab senatoribus nonnullis increpiti essent, acrius ad consulatum Cæsari conficiendum exarserunt, et quia in- tromissi in senatum arma deposuerant, caput legationis Cornelius centurio, curia egressus, resumpsit gladium, saguloque rejecto capulum ostendens, 'Si vos non dederitis,' inquit, 'hic dabit.' Quo tempore Ciceronem respondisse ferunt, 'Si hoc modo petieritis Cæsari consula-

Dio.

Appian.

Cic. Phil.  
v. 17. et  
Appian.

Dio.

Appian.

Dio.

Sueton  
Aug. 26.  
Dio.

tum, auferetis.' Eaque vox exitium ei accelerasse creditur. Namque Cæsar libertatis studiosissimum esse cernens, viliores habere cœperat.

Plut. Anton.

Appian.

60. Hæc cum in castris audirentur, exasperati sunt milites, confestimque ad Urbem duci voluerunt. Nec Cæsar lenivit: quin verbis adaugens iras, barbara suorum dicta factaque non reprehendit; senatum increpavit, 'quod milites intrare curiam inermes jusserat, quodque interrogati a senatore quodam fuerant, ab exercitu, an vero a Cæsare mitterentur?' Igitur prope legatis quibusdam ad Lepidum et Antonium (nam et cum Antonio gratiam, Lepido satagente, reconciliat) cum octo legionibus et magno equitatu atque auxiliis, coactus scilicet a militibus, Rubiconem transiit, unde et proximi belli civilis initium fuerat. Inde bifariam exercitu diviso, cum potiori parte contendit Romam, ceteris ex commodo sequi jussis.

Dio.

Liv. Epit.  
Oros. VI.  
18.  
Appian.  
Dio. Appian.

Dio.

Appian.

61. In itinere, ut fit ubi milites imperatorem ducunt, minime a maleficiis temperatum. Homines qui forte per viam occurrerant, et in his eques Romanus, pro speculatoribus occisi: direptæ adversariorum villæ. Legati qui cum pecunia veniebant, Cæsaris artibus terrore injecto refugerunt.

Jul. Obseq.  
Appian.

62. Hæc res tanta consternatione repleverunt Urbem, ut nihil ad extremum terrorem superesset. Anxii patres, et alius alium varie accusantes, 'quod exercitus ademptus Cæsari, quod triumphus denegatus, quod præmia militum maligne repræsentata essent,' repente in contraria omnia transierunt: nusquam jam apparente Cicrone, qui multus antea ubique fuerat. Augetur donativi modus, neque duabus jam, sed octo legionibus decernitur. Decemviri

Dio. Appian.

cessare, Cæsar dividere præmia jubetur: ipse absens consul designatur. Ad hæc omnia significanda legati festinanter emittuntur. Sed neque milites flexit profectum ab invitis beneficium: et senatus, fœda inconstantia, vix dum egressis porta legatis, consilium mutavit: excipiente metum pudore, quod, indigna viris trepidatione subacti, prono collo exciperent jugum, nihil pro libertate ausi. 'Quod igitur postea vacaturum periculo et ignominia

Dio.

Appian.

tempus, si hæc consuetudo invalescat, ut ambitione cujuslibet honores armis obtineantur? Quin hæc emiterentur, ut militem, si lenibus consultis nequiret, constantia et severitate in officio contineant. Armis opus adversum armatos esse. Si primum inopetum fregerint, subiturum animos pudorem, subituram reverentiam patriæ, et metum ex legibus. Quod si præter spem arma pro republica accepta contra eam miles verterit, L. Plancum, D. Brutum affuturos auxilio. Denique si neque pudore militis prohiberi fatum reipublicæ, neque armis defendentium, posset; at illi occumberent pro libertate potius, quam male et infeliciter expertam dominationem reciperent. Et majorum exempla memorabantur, quibus præ amore libertatis nihil fuerit in vita carum atque pretiosum.

63. Hujusmodi inter se dictis animati, mox in maximam fiduciam venerunt, postquam eadem die appulsis ex Africa legionibus duabus, equitibus mille, Diis ipsis curæ esse custodiam civitatis interpretati sunt. Igitur, adjuncta legione, quam nuper Pansa præsidio Urbi reliquerat, Janiculum, ubi pecuniæ erant repositæ, pontemque fluminis occuparunt præsidiis: per Urbem disposuerunt stationes: in portu quoque parandas naves curaverunt, ut victi cum pecuniis fugerent. Cæsarem intra centesimum ab Urbe lapidem<sup>1</sup> cum exercitu consistere vetuerunt. Hæc satis confidenter acta.

64. Sed ubi signa legionis a Pansa relictæ arancis, velut ex longo situ, oppleta venire visa prodigii speciem metumque fecere; quæsitæque Cæsaris mater et soror non comparuerunt, amicis, apud quos celabantur, gratiam minasque adversariorum pariter spernentibus; iterum rediit timor, tanta opportunitate amissa, quod his obsidibus quidlibet impetraturi facilius a Cæsare fuerant.

65. Atque ille suis timens, cum prioribus patrum legatis, dum mandata exponunt, mutatae sententiæ nuntium supervenisset, cum irritatis supra modum militibus, Romam properat; præmissis qui bono animo esse populum Romanum, et quiescere juberent, nihil hostile passurum.

<sup>1</sup> *Intra centesimum ab Urbe lapidem*] Leucas nostrates plus 33. Crev.

Ita pacato agmine accessit, omnibusque citra controversiam in potestatem acceptis, sub Quirinali colle constitit. Eo statim mira mutatione affectuum venerunt quidam ex senatoribus, mox etiam promiscua multitudo salutandi ipsum militesque gratia. At ille, castris in loco positis, postridie Urbem, septus idonea manu, intrat: quacumque incedit, occurrunt salutantium gratulantiumque agmina: nihil in speciem officiosæ humanitatis prætermittitur. Sic ad ædem Vestæ pergit, ubi matrem sororemque esse audiverat.

Dio.  
Appian.

66. Interim et illæ tres legiones, missis legatis, fecerunt deditionem. Ex prætoribus qui præfuerant, Cornutus sibi manus intulit; reliqui in fidem recepti sunt. Cicero, per amicos impetrato Cæsaris colloquio, magnis eum laudibus extulit, se quoque senatui deferendi consulatus auctorem fuisse dictitans. Respondit Cæsar, nec sine morsu, ‘Ciceronem sibi novissimum amicorum occurrere.’

Dio.  
Appian.

67. Secuta deinde nocte vanus rumor commovit civitatem, Martiam et quartam legiones ad se transire,<sup>k</sup> indignatas quod deceptæ a Cæsare adversus patriam contra animi sui sententiam ductæ essent. Huic rumori secure omnino crediderunt principes, quamvis in propinquo esset exercitus, et harum longe fortissimarum legionum viribus sustinere se posse reliquas Cæsaris copias rati sunt, donec aliunde pararentur auxilia. Igitur eadem nocte senatu

<sup>k</sup> *Vanus rumor commovit civitatem, Martiam et quartam legiones ad se transire*] Freinshemius dederat: *Vanus rumor terruit civitatem, Martiam et quartam legiones adesse, diripiendæ patriæ causa. Tum iterum velut furore tacti principes, et secure crediderunt dictis, et suis se viribus sustinere posse Cæsarem, quamvis tantas habentem in proximo copias, rati sunt. Igitur, &c.* Hæc quam male inter se coherereant, quam a ratione alienum sit eos qui omnino seque et republicam desperaverant, rursus ad spem erigi eo quod audiant duas legiones diripien-

dæ Urbis causa adesse, quibus facile intelligit. Fraudem fecit Freinshemio Appiani interpretes, lapsus ipse prior, et nimis secure ab eo exscriptus. En Græca verba: *δόξης γενομένης, ἔτι δύο τέλη Καίσαρος, τό τε Ἄρειον καί τὸ τέταρτον, μεταθῆτο ἐς τὴν πόλιν, ὡς δι' ἐνέδρας ἐπὶ τὴν πατρίδα ἐπαχθέντα, οἱ στρατηγοὶ καὶ ἡ βουλὴ πάντα ἀταλαιπώρως ἐπίστευσαν.* Hæc verba et ea quæ proxime sequuntur, quam accuratissime fieri potuit, vertimus, et totum locum refinximus. Etenim Freinshemius in principiis lapsus, etiam in ceteris, ut fit, haud satis recto talo steterat. *Crec.*

habito M. Aquilium Crassum miserunt ad parandas e Piceno copias: itque tanquam lætum nuntium discurren-  
 te per Urbem tribuno plebis Apuleio vulgarunt. Sed  
 ubi falsam fuisse famam rescitum est, Cicero, qui pro fo-  
 ribus curiæ senatores adventantes cum laudibus excepe-  
 rat, in lectica fugit. Cæsar, irrisa hominum vecordia,  
 exercitum in Campum adduci jussit. Quo tempore lætum  
 ei augurium apparuit, sex vultures. Nee tamen in Jul. Obseq.  
Appian.  
 quenquam consuluit durius. Quin etiam Crassum, qui  
 servili habitu in Picenum penetraverat, dimisit incolu-  
 mem, interim elementiæ captans laudem, mox eosdem,  
 quibus tum videbatur ignoscere, proscripturus. Pecuniam  
 autem ex Janiculo, et quicquid ubivis publicæ fuit, com-  
 portari jussit: ipse excessit Urbe, libertatem scilicet præ-  
 biturus comitiis, eo jam adductis rebus, ut eadem omnia  
 absens posset.

68. Igitur et nova comitorum forma fuit, quia more Dio.  
 majorum interrex prodi tam celeriter non poterat, absent-  
 tibus plerisque patriciis magistratibus.<sup>1</sup> Nam decreto  
 prætoris urbani (extincto jam Cornuto, Q. Gallium fuisse Appian.  
Dio.  
 constat) duo nominati sunt proconsules, comitorum habend-  
 orum causa; his perfectis, nihil ultra potestatis usurpa-  
 turi. Ab his consul creatus Cæsar collegæ nomine Q. Tab. Coll.  
ap. Pigh.  
Dio.  
Casaub.  
ad Sueton.  
Aug. 26.  
 Pedium Q. F. administrum accepit. Et exultabat ado-  
 lescens honore ante tempus capto, quem præter juniorem  
 Marium nemo præcocius invaserat. Consulatum enim, si

<sup>1</sup> *Interrex prodi tam celeriter non poterat, absentibus plerisque patriciis magistratibus]* Dio, quem hic vertit Freinshemius, parum hoc loco attendit ad ritum prodendi interregis. Interrex enim non a patriciis magistratibus, sed a patribus prodebat, cum jam nulli in republica patricii magistratus essent. Hoc enim sexcentis scriptorum locis probari potest. Sed hic afferre sufficiat duo testimonia: alterum ex oratione Appii apud Livium, l. vi. c. 41. 'Nobis,' inquit Appius, nomine patriciorum loquens,

'adeo propria sunt auspicia, ut ... ipsi sine suffragio populi auspiciato interregem prodamus.' Alterum ex Epist. Cic. ad Brutum, l. i. ep. 5. 'Dum unus erit patricius magistratus, auspicia ad patres redire non possunt.' Ex his duobus locis inter se collatis patet, et prodendi interregis jus penes patres fuisse, et id fieri non potuisse quamdiu vel unus erat patricius magistratus. Sed mirum non est Dionem in his ritibus jamdiu, cum scriberet, exoletis, hallucinatum esse. *Crev.*

Liv. Epit. civiliter computes, annos undeviginti natus iniiit ; sive dies  
Plut. Brut. ineundi xiv. Kalendas Septembres (variant enim scrip-  
Dio, lv. tores) sive x. Kalendas Octobres fuit : revera vicesimo  
p. 376. et i vi. p. 403. aetatis anno, quia trimestre circiter correcti ab Julio fasti  
Macrob. absorbuerant : quod spatium tametsi processerat, tamen  
Sat. i. 12. vulgo non computabatur.  
Vell. ii. 65.

# SUPPLEMENTUM

LIBRI CXX.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

---


1. **I**NITO consulatu C. Cæsar, cum, reversus in Urbem, sacrificiis factis, augurium captaret, duodecim vulturibus visis, quod augurium Romulo, novam Urbem condituro, conspectum dicebatur, in amplissimam spem similis fortunæ erectus est. Militibus deinde pecunias distribuit, suis ex facultatibus dare dictitans, cum in manu haberet publicas. Iisdem gratias egit. Egit et senatui; sed militibus ex animo magis. Horum enim ope se sciebat adiutum; senatum, quod fecisset, metu fecisse.

2. Par apud patres simulatio, qui et hæc ultro tribuisse Cæsari prædicabant, et reliqua accumulatuos. Idcirco quem paulo ante consulatu judicaverant indignum, ei decreverunt, 'ut etiam exacto magistratu, donec apud exercitum esset, consules honore anteiret:' judicia paulo ante et poenas comminati ob copias privato consilio contractas, nunc et alias allegere jusserunt: et, sicuti Bruto in Cæsaris ignominiam bellum Antonianum decreverant, ita nunc Cæsari legiones etiam Bruti adjecerunt. Postremo et cura Urbis permissa, potestatem dederunt agendi pro arbitrio, etiam præter leges, omnia.

3. Ceterum Cæsar, post sacra peracta, adoptionem suam curiata lege confirmavit. Mox alia rogatione Do-

Dio, XLVZ.  
Appian.  
Civ. III.  
Jul. Obseq.  
Sueton.  
Aug. 95.  
Liv. I. 7.  
Dio.

Appian.  
Dio.  
Appian.



Dio. labellam absolvit, qui judicatus hostis fuerat; et, præparata primum largitionibus populi gratia, solutoque residuo, quod debebatur ex testamento Cæsaris, legem tulit de quæstione habenda in eos quorum scelere pater occisus esset: quam de nomine collegæ Pediam maluit appellari.

Liv. Epit.  
Dio.  
Appian.  
Vell. II. 69.  
Sueton.  
Ner. 3.  
Plut. Cæs.  
Appian.  
et Dio.

4. Hac postulati sunt non percussores modo, sed et qui conscii fuisse consiliorum dicerentur; absentes plerique, nonnulli et insontes, qui nec insidiati Cæsari, nec omnino eo tempore versati Romæ fuerant. Hac fraude præcipue

Dio. Sex. Pompeius petebatur, hoc crimine haud dubie innoxius; sed quem quolibet prætextu tolli Julianarum partium interesset. Reis hac lege universis una præconis denuntiatione dicta dies est, damnatique, inspectante Cæsare, ad unum omnes, absentes plerique, nemine iudicum absolvente quenquam, uno senatorum excepto, P. Sicilio Coronate, qui M. Brutum absolvit palam: cujus rei dissimulata interim ira mox proscriptione hominis patuit.

Appian.  
Dio.  
Plut. Brut.  
Appian.  
et Dio.

Supra,  
cxvi. 57.  
Dio.  
Cic. ad Att.  
xvi. 15. et  
Phil. XIII.  
15. Dio.  
Cic. ad  
Brut. I. 17.  
et 16.  
Dio.  
Cic. ad  
Fam. x. 12.  
Dio.  
Jul. Obseq.  
Appian.  
Jul. Obscq.  
Appian.

5. P. Servilius Casca, qui primum ictum inflixerat Cæsari, tribunatum plebis eo anno gerebat, patiente Octaviano, qui tum adhuc odium in percussores tegebat. Is neque adolescenti fidens, et exagitatus a Cicerone, (qui parricidam appellare sustinuerat, cum eodem tempore pro salute percussorum, quibus erat amicissimus, Cæsarem per epistolas rogasset,) non expectato Cæsaris adventu, Roma profugerat. Hunc P. Titius collega, magistratu abrogato, reum peregit; et ante annum mortuus firmavit opinionem, non posse annum supervivere, qui collegæ magistratum abstulisset.

6. Nec dissimile Q. Gallii prætoris fatum fuit, cuius opera tum Bruto atque Cassio abrogatum imperium erat.<sup>a</sup>

<sup>a</sup> Q. Gallii prætoris . . . cuius opera tum Bruto atque Cassio abrogatum imperium erat] Apud Julium Obsequentem legitur *Tullius*, quod nomen Freinshemius mutavit in *Gallius*. Sed major hoc loco versatur error. Etenim primo constat ex omni historia Bruto et Cassio nunquam abrogatum imperium fuisse, sed illos

præturam ad finem anni sui gessisse. Secundo iidem Brutus et Cassius superiore anno prætores fuerant, nec proinde collegam habuerunt Q. Gallium, qui hoc anno prætor est, teste Appiano. Itaque vel erravit Jul. Obsequens, vel, quod verisimilius est, misere hic est depravatus. *Crev.*



Idcirco provinciam Africam præmii loco nactus a Cæsare, paulo post miserabiliter interiit. Cum enim pugillares duplices veste tegens ad Cæsarem salutandum introisset, suspicionem movit gladium oculi. Nec ausus statim inquirere Cæsar, ne quid aliud inveniretur, paulo post e tribunali raptum, servilem in modum torsit, negantemque jussit occidi, prius oculis sua manu efflossis. Ipse scripsit in libris de vita sua, ‘Q. Gallium colloquio petito insidiatum sibi, conjectumque a se in eustodiam: deinde Urbe interdicta dimissum, naufragio vel latronum insidiis periisse.’

Sueton.  
Aug. 27.

Sueton.  
Aug. 85.  
et 27.

7. Crudelitatem Cæsaris, quo plus metuebatur, studiosius tegere atque adjuvare nisi sunt omnes. Gallio magistratum abrogarunt collegæ: populus diripuit domum: Appian. patres capitis damnaverunt. Namque fortunam adolescentis omnia sequebantur: et alii formidine, multi favore, pars magna præmiis incitabantur. Quippe et accusatoribus percussorum pecunia promissa erat, et magistratus quem accusatus gereret, militiæque vacatio ipsis liberisque et nepotibus. His motus, opinor, Capito, Velleii historici patruus, Agrippæ subscripsit in C. Cassium. Plut. Brut. Nam M. Agrippam Cassio Cæsar, L. Cornificium Bruto accusatores apposuerat.

8. Nihil erat actum damnatione reorum, nisi et vi armisque possent superari. Namque Brutus atque Cassius jam habere legiones circiter viginti dicebantur. Idcirco Cæsar ad hos debellandos amicitiam Antonii sibi necessariam fore videns, a quo, propter affinitatem, dissociari Lepidus nequiret; eo contulit consilia, ut hos interim haberet adjuutores, postea, sublatis eorum ope percussoribus, ipsos quoque tollendi rapturus aut facturus occasionem. Ne tamen ejus propositi emanaret intempestiva suspicio, neque de rebus iis retulit, et quasi bellum illaturus hostibus judicatis, ad Mare Superum lentis itineribus processit.

Appian.

9. Interea ex composito Q. Pedius ad senatum de venia Lepido atque Antonio concedenda retulit. Alia jam plane rerum facies esse cœperat, ut qui modo pro defensoribus libertatis habiti fuerant, tanquam hostes et

Dio et  
Appian.

parricidæ in execratione essent: contra despecti modo et tantum non hostes patriæ judicati, non benevoli tantum fidiq̄ue reipublicæ, sed etiam civitatis ac senatus patroni haberentur. Igitur ad Cæsarem senatus misit, tanquam ignarum eorum quæ agerentur, ut hujus sententiam exquireret. Atque is, 'omnia alia cupientem, vi militum adigi ad consentiendum,' rescipsit. Secutumque senatusconsultum, quo prius decretum antiquabatur, cum amicis ad eos literis. Eam ob causam senatui gratulatus est Cæsar, Antonioque scripsit, 'auxilio se venturum adversus Decimum, si ei videretur.' Ob hæc collaudatus ab iisdem patribus, quibus paulo ante nihil Decimo carius, nihil execrabilius Antonio fuerat. Adeo facile convelluntur animi externa tantum spectantes, quotiescumque eorum, a quibus dependent, aliqua intervenit conversio. Nec enim abripi fluxu mortalium fas est, quisquis constantibus verisque bonis innititur. Sed Antonius respondit 'in Decimo se vindicaturum Cæsaris injurias, in Planco suas: Cæsarique se conjuncturum.'

10. Hinc vero D. Bruti res subito miserandum in modum labare cœperunt. Is tertio post Mutinensem pugnam die insequi Antonium orsus, postquam receptum a Lepido audiit, cum L. Planco, qui designatus una consul sequentem in annum fuerat, consilia viresque sociaverat. Sed ubi se damnatum esse Romæ, Asinium Pollionem semper Julianis partibus fidum cum suis legionibus accessisse Antonio, et insuper sollicitare Plancum cognovit; diffidens rebus suis, adversus Cæsarem convertere signa cœpit. Sed desertus a Planco, mox etiam petitus insidiis, extremam in desperationem incidit. Nam Plancus frequentibus epistolis multa de se senatui, multa Ciceroni liberaliter et facunde pollicitus, ad potentiores desciverat, quatuor transductis ad Antonium legionibus.

11. Ideirco Brutus, numero quam viribus ampliores copias agens, quod ex decem legionibus una tantum veteranorum erat, altera bima, eæque nondum satis ex inopia Mutinensi recreatæ; relicta Gallia, per Ravennatem et Aquileiensem agrum in Illyricum ducere conatus est, ut in Macedoniam ad M. Brutum evaderet. Sed quando

Cic. ad  
Fam. xi. 13.  
Dio.

Cic. ad  
Fam. x.  
pass. et xi.  
15. et xii.  
8. Dio.  
Vell. ii. 63.  
Liv. Epit.  
Appian.  
Dio.  
Vell. ii. 63.  
et 64.

Cic. ad  
Fam. x.  
pass.  
Dio.  
Appian.  
Cic. ad  
Fam. x. 24.

Cic. ad  
Fam. xi. 13.  
Dio et  
Appian.

istam quidem viam Cæsar et Antonius obseperant, et in Japydia congressum repulerant: relictis machinis, alia longiore atque difficiliore via Rhenum petere statuit, atque ibi transejctus per Germaniam proficisci.

Appian.  
Illyr. p. 764.  
Appian.  
Civ. l. 111.

12. Sed ubi consilium ejus emanavit in milites, desperare omnes, atque alia circumspicere præsidia cœperunt. Primum ad Cæsarem sex transierunt tironum legiones cum auxiliis suis: reliqui mox omnes ad Antonium: solis permanentibus Gallis equitibus, quibus custodiam corporis sui crediderat.

Liv. Epit.  
Dio.  
Appian.

13. Cum his per Salassos, emto transitu, singulisque in capita denariis datis, penetravit in Galliam, dimissisque et donatis qui domum reverti maluerant, cum equitibus omnino trecentis ad Rhenum venit. Ibi vero, dum ad difficilem plenumque periculi transitum contatur, paulatim desertus decem tantummodo comites retinuit. Idcirco, hac ipsa paucitate spem dante fallendi, rursus Aquileiam petere constituit, Gallico habitu sumto, nam et linguæ non ignarus erat.

Strabo, v.  
p. 205.  
Appian.

14. Sic oberrans, cum captus a latronibus Sequanis vinctusque esset, cujus esset ea ditio interrogavit. Ubi responsum est Camilli esse, duci ad eum postulavit; quod sua quædam beneficia Camillus habebat. Sed ille palam objurgans suos, 'qui per ignorantiam in tantum virum injuriose peccavissent,' clam nuntios ad Antonium misit. Ille prope Furium quendam cum equitibus ire jussit, a quo trucidatus est Brutus. Caput ad se delatum inspexit Antonius, sepeliri que jussit.

Oros. vi. 18.  
Appian.  
Vell. 11. 61.  
Appian.

15. Nec obliteranda duorum amicorum Bruti memoria, quorum alter in gratiam ejus sibi conscivit necem; alter cum mori pro eo euperet, invitus supervixit. Territus equitum adventu Brutus in latebras se abdiderat. Has ubi repererunt Antoniani, Ser. Terentius obtulit se irrumpentibus, Brutum simulans, ac obsenritate loci sperans fallere. Sed agnitus a Furio, servatusque est. Brutum casus suos deplorantem, et inani subterfugio subtrahentem gladio cervices, Helvius Blasio ad ferendam fortiter mortem, non voce tantum, sed et exemplo suo excitare nisus est; sibi que ultro intulit manus. Nec

Val. Max.  
iv. 7.  
Liv. Epit.  
Appian.

Val. Max.

Dio.

Val. Max. ultra profectum, quam ut præ metu mortis vecors homo,  
ix. 13.

Furio admonenti, 'constantius præberet cervicem,' re-  
sponderet his ipsis verbis, 'Ita vivam, dabo.' Sic alter

Senec. Ep. hic post C. Trebonium pœnas interfecti Cæsaris dedit:

Appian. et Oros. et sub idem fere tempus alius ex percussoribus Minucius

Basilus, cum per iram quosdam servorum castravisset, a familia interemtus est.

Plut. 16. At Antonius, maximi rursus exercitus imperator,  
Anton. et adjuncto Lepido, cum decem millibus equitum, et legio-  
Dio. nibus septemdecim Alpes iterum transcendit; sex relictis  
Plut. in Gallia, sub compotore suo, L. Vario Cotyla. Necdum  
Dio. enim satis fidebant Cæsari: neque etiam magis illius be-  
neficio, quam suis viribus restitutos videri decorum rebantur.

Similiter in hos affectus animo Cæsar, Bononiam  
Plut. Cic. occurrit cum valida manu. Callidos et tempori servientes  
Sueton. facile mutuus metus jungit: iræ atque odia in occasionem  
Aug. 46. differuntur. Fit pactio, ut inter sese de rebus omnibus  
Dio. colloquantur: et, quia par utrobique timor erat, omnia  
solicite exæquantur. Et fortuna providerat.

17. Medio inter diversa castra spatio, nomine, non  
Silius, magnitudine, par Germanico Rhenus parvam insulam  
viii. 600. efficit (hodie peninsula esse dicitur) plano solo, et parum  
Plin. xvi. insidiis apto. Ad hujus viciniam adduci legiones quinas  
36. insidiis apto. Ad hujus viciniam adduci legiones quinas  
Plut. Cic. placuerat; deinde his æquali spatio relictis, pergi cum  
et Anton. trecentis comitibus ad pontes: duo enim erant, hic Cæsaris,  
Dio. ille Antonii castra respiciens. Hoc ubi factum, Lepidus,  
Appian. cui cum neutro simultas fuerat, præmissus ad speculandum,  
Civ. iv. essetne omni ex parte vacua insidiis insula,  
paludamentum extulit. Eo signo conspecto, utrimque  
relicto ad pontes comitatu, Cæsar et Antonius in media  
insula, loco undique conspicuo, ubi sellæ erant positæ,  
congressi sunt: seque mutuo, ne forte sub alis pugiones  
haberent, excusserunt.

18. Inde Cæsar, tanquam consul, in medio; ceteri la-  
teribus ejus assederunt: summissaque voce collocuti sunt,  
ne quid ab iis, quos ad pontes adduxerant, excipi posset.

Hoc continuo biduo factum, ut ab orto die ad occasum  
usque contenderent. Tertio demum die cessit Cæsar, ut  
inter alios, qui exitio communiter destinabantur, proscribi

18. Inde Cæsar, tanquam consul, in medio; ceteri la-  
teribus ejus assederunt: summissaque voce collocuti sunt,  
ne quid ab iis, quos ad pontes adduxerant, excipi posset.

Hoc continuo biduo factum, ut ab orto die ad occasum  
usque contenderent. Tertio demum die cessit Cæsar, ut  
inter alios, qui exitio communiter destinabantur, proscribi

18. Inde Cæsar, tanquam consul, in medio; ceteri la-  
teribus ejus assederunt: summissaque voce collocuti sunt,  
ne quid ab iis, quos ad pontes adduxerant, excipi posset.

Hoc continuo biduo factum, ut ab orto die ad occasum  
usque contenderent. Tertio demum die cessit Cæsar, ut  
inter alios, qui exitio communiter destinabantur, proscribi

18. Inde Cæsar, tanquam consul, in medio; ceteri la-  
teribus ejus assederunt: summissaque voce collocuti sunt,  
ne quid ab iis, quos ad pontes adduxerant, excipi posset.

Hoc continuo biduo factum, ut ab orto die ad occasum  
usque contenderent. Tertio demum die cessit Cæsar, ut  
inter alios, qui exitio communiter destinabantur, proscribi

18. Inde Cæsar, tanquam consul, in medio; ceteri la-  
teribus ejus assederunt: summissaque voce collocuti sunt,  
ne quid ab iis, quos ad pontes adduxerant, excipi posset.

Hoc continuo biduo factum, ut ab orto die ad occasum  
usque contenderent. Tertio demum die cessit Cæsar, ut  
inter alios, qui exitio communiter destinabantur, proscribi

18. Inde Cæsar, tanquam consul, in medio; ceteri la-  
teribus ejus assederunt: summissaque voce collocuti sunt,  
ne quid ab iis, quos ad pontes adduxerant, excipi posset.

Hoc continuo biduo factum, ut ab orto die ad occasum  
usque contenderent. Tertio demum die cessit Cæsar, ut  
inter alios, qui exitio communiter destinabantur, proscribi

Ciceronem pateretur; sine qua conditione negabat Antonius reconciliationem fieri posse; atque Antonio Lepidus assentiebatur. Eratque tantus hominum furor, ut vicissim Antonius avunculi sui L. Cæsaris, Lepidus fratris Paulli necem gratificarentur: dum inimicos tollerent, ne quidem necessariis parentes: et præterea odio suorum, a quibus increpiti<sup>1</sup> forte fuerant,<sup>b</sup> accensi.

19. Ceterorum quæ tunc decreta sunt, hæc summa fuit. ‘Cæsar consulatum in reliquam anni partem P. Ventidius cedat. Tresviri reipublicæ constituendæ per quinquennium sint, eumque magistratum Lepidus cum Antonio ac Cæsare consulari potestate gerant: iidemque confestim in istud quinquennium magistratus urbanos designent: in his neque senatus auctoritate, neque populi jussu sit opus: provincias seorsim Lepidus Hispaniam omnem cum Narbonensi Gallia; cetera Galliarum citra et ultra Alpes Antonius; Africam utramque, Sardiniam ac Siciliam Cæsar, obtineant.’ Transmarinæ provinciæ silebantur, sive ut opinionem efficerent tresviri non omnia se sibi cupere; sive potius, quia tam illæ in potestate percussorum, et bello repetendæ erant. ‘Id vero bellum Antonio Cæsarique demandari, Lepidum in locum D. Bruti consulatum invadere, Romamque et Italiam custodire’ placuit, ‘Hispanias et Narbonensem per legatos obtinere.’ Ad hæc tres ei legiones sufficere visæ. Ceteræ ita distributæ, ut viginti Antonius, totidemque Cæsar, haberent.

20. Militibus inter alia victoriæ præmia, coloniæ quoque promissæ duædeviginti urbium Italicarum, quarum in ædificia finesque deducerentur. Neque contentissima ea

1 *Increpati* edd. ante Crev.

<sup>b</sup> *A quibus increpiti forte fuerant*] L. Cæsar pro patribus semper contra sororis filium steterat, et asperas in senatu adversus eum sententias dixerat, ut constat cum ex aliis Philippicarum locis, tum præcipue ex Philip. VIII. 1. Sed et eum sententia sua hostem judicarat, ut memorant Appianus et Dio. Paullus quoque fuerat libertatis

acerrimus propugnator, qui, post fugatum a Mutina Antonium, Martiam et quartam legiones a Cæsare abductas D. Bruto tradi decreverat, teste ipso D. Bruto, in Cic. ad Fam. lib. XI. ep. 19. Et Lepidum quoque hostem ab eo judicatum Appianus et Dio auctores sunt. Vid. infra c. 36.

Crev.

Senec.  
Suasor. 6.  
Flor. IV. 6.  
Oros. VI. 18.  
Plut. Anton.  
et Cic.  
Cic. ad Brut. II. 2.  
Appian.  
et Dio.  
Liv. Epit.  
Appian.  
et Dio.

Dio.

Appian.

Appian.  
et Dio.

Flor. IV. 7.

Appian.

pars Italiae erat; sed pulcherrima oppida, latissimusque ager destinabatur, Capua, Rhegium, Venusia, Beneventum, Nuceria, Ariminum, Vibona.

Flor. iv. 6. 21. In has condiciones junxerunt manus, jurejurando  
Dio. interposito: et, quia, Diis testibus, non satis obstricta  
Appian. fides videbatur, etiam advocarunt exercitus; iisque Cæsar, pro honore magistratus quem gerebat, de scripto recitavit omnia, præterquam de proscriptione quod convenerat. Sic exercitus inter se consalutaverunt, et, quo  
Flor. firmior esset imperatorum concordia, postulatum est, uti  
Plut. Ant. velut obsidem reconciliatæ gratiæ, privignam Antonii  
Sueton. Clodiam, vixdum nubilem, Cæsar duceret. Assensit  
Aug. 62. adolescens, satis gnarus, ad servanda conventa non fortius  
Oros. vi. 18. affinitatis vinculo, quam ceteris astringi potentes et cupidos: et modo patrem suum Cæsarem, quominus Pompeium everteret, ea necessitudine nihil impeditum fuisse noverat.  
Vell. ii. 63. Dio.

22. Tum etiam ostentum ei factum ferunt, quo ad  
Jul. Obseq. summæ rei spem acrius excitaretur. In castris ejus luce  
Sueton. prima in culmine prætorii super linteum aquila sedens,  
Aug. 96. duos corvos hinc inde infestantes afflixit, et mortuos de-  
Dio, xlvii. jecit in terram, notante universo atque exitum præsagiente exercitu; ‘futurum ut ex tribus hic solus superstes et victor esset.’ Trahebantque eodem, quod paulo antequam in Italiam regrederentur, in castris Lepidi, centurionis gladium circumvolutus anguis vinxerat; et in tabernaculum Lepidi lupus irrumpens, everterat mensam. Id eversæ potentiæ fuisse præsagium crediderunt: Antonio voluptatum insaniam, et ex his perniciem ostendi, quod circa fossam castrorum ejus lac fluxerat, et concentus quidam fuerat exauditus.

23. Nec urbana mala prodigiis caruerunt. Canum ululatus, luporum per forum discursus, bovis et infantis recens nati sermo, simulacrorum sudor sanguine mixtus, clamores pugnantium, strepitus armorum, equorumque currentium, apparente nullo, solis varie mutata species, lapidum imbres, ades sacræ statuæque de cælo tactæ, multum timoris incusserant: sed ille in immensum crevit ex eo quod inter procuranda hæc prodigia evenit. Quippe

Tuscus haruspex,<sup>c</sup> ‘actum esse de libertate, et antiqua redire regna, seque excepto uno, ceteros servituros omnes,’ vaticinatus, compressit spiritum, vivendique finem sibi posuit.

24. At tresviri tollendos ante omnia præcipuos inimicorum rati, ne consiliis suis impedimento forent, percussoribus in Urbem præmissis, occupari statim duodecim, vel, ut alii tradunt, septemdecim imperarunt, et in his M. Ciceronem. Horum quatuor statim in publico aut inter convivia reperti occisique, ceteri per sacra ac profana omnia tumultuosissime quæsiti, tantum excitarunt pavoris, ut tota nocte cum ejulatu ac clamore, quemadmodum captis urbibus solet, discursarétur. Oros. vi. 18.  
Appian.

25. Et quia nomina proscriptorum nondum erant publice proposita, se quisque peti ratus, in eam desperationem venerant, ut alii suas, alii publicas ædes incensuri essent, ne inulti morerentur; nisi Q. Peditus consul summa diligentia hac illac volitans bene sperare jussisset, et expectare diem, vanos aperturam timores. Deinde quamprimum lux apparuit, nomina septemdecim illorum edidit, auctores malorum omnium incusans, et securitati ceteris promissæ fidem publicam interponens. Necdum enim, quid de proscriptione tresviri constituissent, cognoverat. Sed ille quidem proxima nocte per nimiam contentionem, ruptis vitalibus, interiit.

26. Tresviri paulo post ingressi sunt triduo, cum cohortibus prætorii et singulis legionibus. Prima die Cæsar, sequenti Lepidus, tertio Antonius, intrarunt: statimque patuit funus apparari reipublicæ. Namque, dispositis per Urbis opportuna stationibus, concionem populi P. Titius tribunus plebis advocavit, legemque simul promulgavit atque pertulit: ‘Reipublicæ constituendæ tresviro in quinquennium creari cum potestate consulari:’ hoc verbo utebantur, cum plusquam regiam rapuissent. ‘Eos esse M. Lepidum, M. Antonium, C. Cæsarem, ex ante diem v. Kalendas Decembres in ante diem pridie Kalendas Januarias sextas.’ Dio.  
Appian.  
Tab. Col-  
lot. apud  
Pigh.

<sup>c</sup> *Tuscus haruspex*] Hoc jam memoravit Freinshemius supra CXVIII. 9. *Crev.*

Dio. 27. Unum etiam ad summam indignitatem deerat, ut, curatis precibus, exorandi essent suscipere honorem, quem oppressis legibus vi ac fraude invaserant. Igitur et sacrificatum est, tanquam ob magnam et repentinam felicitatem, et ad consuetum habitum senatus rediit; quamquam et ex iis quæ agebantur, et ex prodigiis recentibus imminentium rerum gravis cura occupasset animos. Nam Jul. Obseq. et armorum telorumque species a terra visæ cum fragore Dio. ad cælum ferri: et in fastigio ædis Æsculapii examen apum, supra templum Genii Publici, itemque Concordiæ, vultures consederant. Nam et hæc præsigire convulsionem boni status, fugamque et cædes credebantur, quod post constitutam sedem opesque industria paratas, fumo et turbulento æris strepitu apes pelluntur; et vulturibus Plin. x. 6. hanc insevisse naturam sagacitatem putabant, ut triduo aut biduo ante circum ea loca oberrent, ubi cadavera futura essent.

28. Neque diu his expectandum fuit. Statim enim atque magistratum tresviri acceperunt, super septemdecim Appian. Oros. vi. 18. Flor. iv. 6. Appian. illos, proscripserunt alios centum triginta, eorumque nomina variis per Urbem locis proponenda curarunt: Neque multo post alios adjecerunt centum quinquaginta; deinde sæpius et subinde plures, ut aliqui recens damnati erant, aut etiam indemnati perierant, ne innocentes occisi viderentur. Redit Syllanæ crudelitatis exemplum: funeribus Urbs completur: per domos, vias, fora, theatra, templa, sanguis funditur: capita in rostris proposita, mox ad triumviros deportantur: corpora abjiciuntur in profluentem, aut canibus avibusque esca relinquuntur. Nec fidum cuiquam aut tutum quicquam erat: quando et excipientibus eadem pœna erat proposita, et abscondentibus, et vetantibus exenti domos suas, atque aperiri perspicique conclavia omnia. Neque interfectoribus modo promissa erant præmia, sed et indicibus cujuslibet hoc genus facti.

Appian. 29. Sed edicti sanguinarii hunc in sensum concepta formula fuit: 'Nisi tanta quorundam esset tamque insanabilis improbitas, ut servari nescirent, et servatoribus ultro timendi essent, nihil ad summam humanitatem atque elementiam desiderari hoc tempore pateremur. Sed oc-



cisus Cæsar documento nobis esse debuit, ne aut vindictam illius, aut nostra pericula negligeremus.

30. ‘ Neque vero consilium hoc nostrum iniquitatis aut sævitiae arguet, quisquis et ipsi et nobis illatas injurias expenderit. Illum quidem et imperatorem, et pontificem maximum, excisis aut subactis validissimis nationibus, quæ populo Romano terrori semper fuerant, novas trans oceanum terras aperientem imperio, in media curia, loco sacro, sub oculis Deorum interemerunt ii, quos aut in summa sua gratia amicitiaque constitutos, aut bello victos, clementia servatos, ad summos honores opesque provexerat, partim etiam testamento hæredes instituerat. Nec occidisse contenti, tribus et viginti vulneribus lacerarunt, ut sævitiae et perfidiæ ludibrium adjicerent.

31. ‘ Ceteri vero boni viri, tantum abest ut animadvertere in parricidas conati sint, ut etiam magistratus illis, provincias, exercitus darent. Quis illi abusi publicas diripuerunt pecunias, atque inde majores adversus nos copias compararunt. Quin et accitis barbarorum auxiliis, atque eorum barbarorum qui semper hostili animo in populum Romanum fuerunt, Romani juris civitates, quotquot imperata facere sceleratorum hominum recusabant, vi metuque adegerunt ad partes; alias etiam diruerunt cremaruntque. At nos ab aliquibus horum jam sumimus pœnas; idque ut videatis etiam in reliquis, Dii dabunt.

32. ‘ Quod igitur, constituta domi republica, magnisque per Hispanias, per Gallias gestis rebus, unum etiamnum grave certamen contra parricidas, qui transmarinis provinciis incubant, certaturi sumus; nec tutum esse, nec aut nobis aut patriæ utile arbitramur, dum gerundi belli causa peregre absimus, hostes a tergo relinquere, qui temporibus nostris insidentur, et, nobis alibi occupatis, denno fluctus aliquos in Urbe atque Italia excitent.

33. ‘ Igitur ne dilatatum quidem oportuit, quin e vestigio de medio tollerentur: quando ipsi priores denuntiarunt nobis periculum, bellumque intulerunt, hostes judicando et nos, et qui nobiscum essent exercitus. Nec vero nimium aut invidiosum rati sunt, tot simul civium millia destinare

exitio. Quos imitaturi non sumus. Neque enim molesti ulli multitudini erimus, neque etiam ex divitum aut honoratorum numero inimicos omnes conquiremus : sed in pessimum tantummodo et fœdissimum quemque advertemus. Igitur licet plures esse inimicos credibile fiat tribus quam uni, pauciores tamen puniemus atque alius ante nos imperator in constituenda republica fecit, quem vos ob rem bene gestam felicem cognominastis.

34. ‘ Sane etiam vestra non minus, quam nostra refert, esse aliquem certaminum finem, excindique velut radices bellorum, quibus jam olim atterimini, paulo post interituri cum republica, nisi causæ ducesque factionum tollantur. Expedit etiam nonnihil facere in gratiam exercituum, ne injurias suas contemni a nobis putent. Et poteramus quidem comprehendere citra negotium quos supplicio addiximus. Sed vestræ salutis ergo, ne velut in cæca licentia militum ira latius quam sit imperatum evagetur, proscribere nominatim, certoque atque definito numero, malumus.

35. ‘ Quod igitur faustum felixque sit, nobisque et reipublicæ salutare, quorum huic edicto subjuncta sunt nomina, eorum neminem recipere, celare, dimittere quisquam velit : neque pecuniam accipere, quo quicquam eorum faciat : qui secus faxit, inter proscriptos et ipse referatur. Capita occisorum ad nos reportantur : in singula, si liber retulerit, centena sestertia ; sin vero servus, cum libertate, et civitate quam herus habuerit, quadragena<sup>d</sup> dantur : indicibus paria præmia sunt. Nomina præmium accipientium in occulto manento, nec in commentarios referuntur.’ Hæc clausula timori occurrebatur, ne quis exemplo M. Catonis quæstoris repetere aliquando data hoc nomine præmia posset.

Dio.

Appian.  
Oros, vi, 18.

36. Proposita deinde proscriptionis est tabula, et velut

<sup>d</sup> Centena sestertia . . . quadragena] Appianus Græca pecunia hanc summam concepit ; ‘ quina et vicena millia drachmarum, et dena.’ Quam male æstimavit ejus interpres, et eum secutus Freinshemius, ‘ quinis et vicenis

sestertium millibus, et denis.’ Unaquæque enim drachma censetur quatuor sestertiis. Porro centena sestertia æquiparantur marcis argenti nostratibus 390. unciis 5. quadragena, marcis 156. unciis 2. Crev.

ordine servato proscibentium, quorum primus fuerat Lepidus, proximus Antonius; primo loco Lepidi frater proscriptus est Paullus; secundo, L. Cæsar avunculus Antonii; quod horum quoque sententiis iudicati hostes illi fuerant. Proximi, frater L. Planci Plotius, et L. Quintius Pollionis Asinii socer, legebantur; cum Asinius et Plancus, alia tabella juxta posita, designati consules nuntiarentur. Ejusmodi viros in primis tabulis proscribi placuerat, ne quis aliorum sperare veniam auderet. His additus C. Toranius, qui tutor Cæsaris, idemque patris ejus Octavii collega in ædilitate fuerat.

Liv. Epit.  
Vell. 11. 67.  
Dio et  
Appian.

Sucton.  
Aug. 27.  
Appian.

37. Erant omnino multis de causis graviora hæc Syllanis temporibus mala; non ob multitudinem occisorum: quin aliquanto minor numerus tum interiit,<sup>e</sup> patentibus adhuc effugiis, et errore sublato, qui in proscriptione Syllæ multos, de quibus non erat cogitatum, sustulerat. Cum enim factum hoc recordarentur tresviri, ne periculum ex similitudine nominum aliis quam qui peterentur esset, seorsim senatores, in alia tabula ceteros proscripserunt. De numero tamen auctores dissentiunt. Qui plurimum ponunt, senatores proscriptos circiter trecentos tradunt, equitum duo millia: qui minimum, senatores centum triginta.

Dio.

Appian. et  
Plut. An-  
ton. Liv.  
Epit. Oros.

38. Sed priori proscriptione minus et apud interfectores malitiæ, et apud interfectos miseriarum fuit. Jussu enim imperatoris, nec invisos antea, nec infensos, subito percutiebant; ut tempori magis imputari hæc crudelitas, quam animo, posset: et qui peribant, ante metum mortis occisi, nec tamen simplici defungebantur. Tum vero, nondum exolescente superiorum malorum memoria, quin et superstitie aliquo numero qui pars illorum fuerat, (nec enim amplius septem et triginta anni intererant,) magno

Dio.

Plin. VII.  
43.  
Dio.

<sup>e</sup> *Quin aliquanto minor numerus tum interiit*] Locus Dionis, ex quo hæc desumta sunt, admodum obscurus est, et fortasse parum sanus. At id tamen

clare indicat, multo plures tum proscriptos esse, cum et plures essent illi qui proscriberent.

Crev.

superare propositum exemplar studerent; et qui passuri, omnium cruciatuum, quos cuiquam accidisse meminerant, in semetipsos speciem atque dolorem imaginando timendoque exequerentur.

Lactant.  
vi. 12.

Dio.

39. Hoc quoque nomine gravior erat triumvralis proscriptio, quod Sylla tantum inimicos tollebat, aut ex ceteris prædivites. His enim præcipue timenda est omnis rerum conversio, ipsis opibus desideria potentiorum irritantibus. Nunc autem non inimici modo aut divites, sed amicissimi quique, præter et ipsorum et omnium expectationem proscribebantur. Non enim unis tantum de causis stringebantur triumvirorum gladii: sed et privatim invisibant; et multo plures eorum qui dominatum affectantibus ullo modo obstare videbantur. Idcirco quisquis unum horum præcipuis assectatus studiis fuerat, a duobus pro hoste notabatur; et quia duos offendere unus nolebat, etiam ab hoc odium reddebatur pro gratia: ut idem homo et amicissimus cuiquam horum, et inimicus omnium videretur. Et quia invicem se cogitabant pessumdare, non minus spoliare sese mutuo amicis, quam tollere hostes studebant.

Appian.

40. Igitur ut hoc assequerentur, valde illiberali permutatione concedebant invicem necessarios suos ad necem, ut vicissim alterius familiares tollerent: et si quidem par videretur ratio, singuli pro singulis dabantur; interdum et pro uno præpotente tres minore dignitate, aut quatuor. Tria igitur ad summum delicta erant, quæ morte vindicanda iudicabant qui tum rerum potiebantur. Unum, si quis inimicus esset: alterum, si amicus uni aut duobus reliquis collegis: tertium, si magnas opes possideret. Quod enim ad perficienda, quæ animo destinaverant, plurima pecunia erat opus, quemlibet hostium habebant numero, a quo illa teneretur. Cassius enim et Brutus ex Asiæ vectigalibus, vicinorumque regum atque tetrarcharum collatione, magnas atque paratas habebant opes. His Europa restabat, vacua, et continuis exhausta bellis.

Dio.

41. Igitur inter alia sæva et pudenda, puerum quendam virilem togam sumere coegerunt, ut tanquam virum

occiderent. Atilius is fuit, qui, deducantibus eum ex Appian. more amicis, repente inter proscriptos relatus est.<sup>2</sup> Atque ita desolatus fuga servorum atque comitum, cum ne mater quidem eum præ metu recepisset, in montana confugit: mox, fame premente, degressus in planitiem, a plagiario quodam interceptus est (nam id quoque genus per incerta temporum grassari cœperat) et ergastulo inclusus. At ubi puer delicatus inopiam, captivitatem, labores ultra perferre non potuit, cum ipsis compedibus, occasione captata, prorepsit in viam, et cum indicasset se prætereuntibus, occisus est. Alius etiam impubes, dum in ludum commeal, cum pædagogo suo, qui corpus pro puero objecerat, interfectus.

42. Atque hæc talia moveri a quolibet, sed geri sine consensu trium non poterant: ut minime credam excusanti Cæsarem Dioni; quanquam sane postea, cum rerum solus potiretur, benignum et placabilem se exhibuit. Jam Tac. Ann. enim proscriptionibus aut bello sublatum erat, quicquid 1. 2. obstare dominationi ejus potuisset.

43. Equidem hunc adolescentem ipse Dio hactenus pro potentia scelerum non segnem ubique depinxerat: et sunt auctores haud contemnendi, tantoque potioris in hac causa fidei, quanto enixius extollunt in ceteris Octavianum et mirantur, qui scribunt, 'eum restitisse quidem aliquamdiu collegis, ne qua fieret proscriptionis, sed inceptam exercuisse utroque acerbius.' Id sane concesserim, eum non tam indigna perpetrasse sicuti reliquos, sed percussores maxime Flor. iv. 6. Cæsaris fuisse persecutum. Ceterum ea quoque sane multa cædes fuisse dicitur: neque video quomodo eum suspicione appetitarum pecuniarum liberem, et ob eas aliquando laxati cædibus fræni. Sed ne inimicos quidem, Sueton. Aug. 13. præter paternos, ei defuisse constat ex eo quod adversus et 15. ipsum facta sunt senatusconsulta, legiones excitæ, Urbs firmata præsidiis, uti superiore libro vidimus.

44. Sane Tamusie fidem adjovit atque Philopœmenis. Dio. Uxor illa T. Vinii,<sup>f</sup> hic libertus fuit: conditumque in

<sup>2</sup> *Inter conjuratos ascriptus est* edd. ante Crev.

<sup>f</sup> *Philopœmenis . . . Vinii*] Appianus libertum *Philemonem*, pa-

Appian.  
Dio.

arca, quales codicibus aut servandæ pecuniæ adhibentur, in ædes liberti Tanusia transtulit. Hic occultatus est, donec obivisse Vinium homines crediderunt. Tum ludorum publicorum solennitatem captans Tanusia, quos propinquorum ejus quidam edebat, per Octaviam sororem Cæsaris, quæ multis eo tempore saluti fuit, obtinuit, ut solus triumvirorum Cæsar in theatrum veniret; arcamque illatam aperuit, Cæsarique rem indicavit. Ille miratus fidem et ingenium eorum qui commenti rem hanc fuerant, silentioque texerant, impunitatem concessit omnibus: Philopæmenem quin etiam postea equestri dignitate decoravit.

Sueton.  
Aug. 27.

Vell. II. 67.

45. Servati sunt etiam eodem tempore plures proscriptionum ab uxoribus, quarum tum summa comperta fides est, cum libertorum media, servorum aliqua, filiorum nulla adverteretur. Certe Thuria Q. Lucretium, qui postea consul factus est, inter cameram et tectum cubiculi, una conscia ancilla, toto tempore textit. Quanquam et in hoc servorum fuit egregia fides. Quippe vagatus aliquamdiu cum duobus, inopia cogente, succollantibus iisdem, in Urbem revertebatur, pro ægroto ratus latiturum. Deinde cum alter bajulorum fracto crure herum destituisset, innixus alteri pergebat: donec ex eadem porta, ubi pater ejus, Sylla proscribente, captus occisusque fuerat, armatam cohortem procurrere videns, omine simul loci, simul conspectu militum conterritus, in sepulcrum, quod forte in agro erat, se illatebravit.

Val. Max.  
VI. 7.  
Dio, LIV.  
Appian.

46. Ne ibi quidem tutum ei quicquam fuit, furibus eo delatis, qui effodere sepulera consueverant. Sed dum iis se spoliandum servus præbet, effugium ad portam Lucretio fuit: isque expectavit venientem, et, parte data vestium suarum, cum eo perrexit domum: receptusque ab uxore et occultatus, precibus amicorum veniam deinde impetravit.

47. Ligarium autem quandam uxor celaverat. Post ab ancilla, quæ sola rem norat, proditum lugens, caput auferentes milites cum clamore sequebatur, se quoque occidi iubens, quæ celasset virum: 'nam et ex his cæ-

tronum Junium nominat. Sed Suetonius cum Dione consentit. *Crev.*

dibus esse præmio locum.' Cum hi non moverentur, ad tresviros procurrit, eadem ingerens. Ubi et hi dissimularunt, inedia se confecit domi. Sulpicia vero cum diligenter a matre Julia esset asservata, ne Lentulum Cruscellionem in Siciliam sequeretur, ancillari habitu cum duabus ancillis totidemque servis, omnia quam virum relinquere, et vel vitæ discrimen adire maluit; reperitque Messanæ humi stratum, et desiderio uxoris se afflictantem: quanquam dux copiarum a Sex. Pompeio, ad quem profugerat, creatus esset.

Val. Max.  
Appian.

48. Acilium uxor redemit a militibus, omni suo mundo dato: servaruntque illi fidem, atque etiam navem conduxerunt in Siciliam fugituro. Apuleium coëgit sua, ut comitem fugæ ascisceret, indicium minata, si se relicta proficisceretur. Atque comitatus iste profuit, minime proscriptum suspicantibus obviis, qui cum uxore, servis, atque ancillis, publica via tam secure iter faceret. Antium conjugis industria stragulis involutum per bajulos ad mare transtulit, unde trajecit in Siciliam.

49. At C. Antistius Rheginus non vulgari modo servatus est. Missus in cloacam ab uxore, proximam diem fœtore defensus latuit: nocte carbonarii habitu indutum, carbonibus onustum asinum præ se agere jussit, ipsa minime longo intervallo in lectica antecedebat. Cum ventum ad portam esset, accurrit miles quidam, et lecticam curiose scrutatur: celeriterque superveniens Rheginus orat militem, 'ne molestus esse mulieribus pergeret.' Ille, dum contentim tanquam cum carbonario rixatur, agnovit hominem, aitque, 'Perge lætus sospesque, imperator, hoc enim tibi nomen atque hanc fidem etiamnum a me deberi sentio.' Nam sub eo pridem in Syria meruerat.

50. Neque dedignentur optimæ matronæ pari pietate conjungi sibi Coponii uxorem: quanquam illa ceteris infelicio, servatam eo usque pudicitiam, redimendi viri causa, M. Antonio prostituit. Neque minus M. Lepidus gratiæ aut precibus exorabilem se præbuit. Hoc enim connivente centurionum humanitas, fratrem imperatoris sui reverentium, effugium L. Paulo in Græciam dedit;

Sueton.  
Aug. 27.  
Appian. et  
Dio.

Appian.

unde, mortuo<sup>3</sup> M. Bruto, Miletum profectus, hanc exilii edem habuit. Alias enim difficulter evadere proscripti poterant: quia statim tabulis propositis, stationes ad portas aliosque Urbis exitus oppositæ sunt: portus etiam pari diligentia observati: lacus quin etiam et paludes, et quicquid vel effugium præstare posse, vel latebras, videbatur.

51. Igitur et intra Urbem et extra, discurrentibus passim centurionibus, multi trucidabantur: virique modo summa in auctoritate constituti, ad effugiendam necem, habitu aut locis obscœnis occultebantur. Neque percussores tantum timebantur, ut non plus sollicitudinis a familiaribus esset. Alium infensa uxor, alium ingrati liberi habebant anxium: plerique libertos servosve suos, aut debitores, aut vicinos metuebant. Omnium odiis, quacumque occasione cœpissent, tristissima tempora viam ad vindictam patefecerant. Igitur senes summis honoribus usi ad mancipiorum suorum accidebant genua, misericordiam orantes. Neque hoc erat indignissimum, sed quod plerumque nihil tanta humilitas supplicandi proficiebat.

52. Tanto deterior tum erat Romæ, quam bello et ab hoste oppressis esse solet conditio. Nam illi, cum ab externis urgeantur, in fide tamen atque caritate domesticorum acquiescunt: hic vero non scelus modo atque offensas suorum, sed et cupiditatem, et, ne quid mali deesset, timorem quisque metuebat. Quos enim nulla propria ira stimulabat, ii spe ostentati publice præmii, aut diripiendarum opum herilium, abripiabantur: optimum quemque atque modestissimum minæ triumvirorum absterrebant, ne quam suis opem ferre sustinerent.

Corn. Ne.  
pos, Attic.  
11. Oros.  
Appian.

53. Reliqua vero multitudo aut investigabat proscriptos, prodebatque ad necem: aut, occisorum direptis bonis, diruebant domos. Pauci, qui relinquebantur, boni

<sup>3</sup> Pro mortuo in edd. ante Crev. legitur *mox cum*. Ex Appian. correxit Crev.



prudentesque summo cum stupore fatum intuebantur Urbis: cum alias civitates dissensione civium afflictas, concordia restitutas esse didicissent; hanc eorundem hominum discordia vexatam esse, concordia propemodum everti cernerent. Miserabilis enim erat, supra quam cogitari possit, facies, et varia mortis imago: cum alii percussoribus suis repugnarent, tanquam latronibus: alii cervices præberent, gnari ministros hos, non auctores suæ calamitatis esse; multi ne tamen inimicorum arbitrio morerentur, fame, laqueo, præcipitio se conficerent, aut in aquam ignemve jacerent corpora. Multi quoque per errorem, aut privata odia, præter mentem triumvirorum occisi, quorum cadavera facile dignoscantur a proscriptis, quia proscriptorum capita demebantur deportanda ad tresviros.

Dio. Ap-  
pian.

54. Sed et eorum qui cædem evaserant, mira varietas fortunæ fuit. Nonnulli priusquam superare maria possent, naufragio hausti: alios eadem Urbs, quæ tum proscriptos atque fugientes, mox lætiora ad tempora servatos in magistratibus atque imperiis vidit. Tantum rebus humanis inconstantia inest: qua non modo parvæ civitates jactantur; sed illa regina prope rerum Roma, invicta armis, constituta legibus, exornata ingeniis, nullius eorum quæ per homines contentis studiis appetuntur indiga, suis ipsa bouis ad summam suam miseriam abusa est.

55. Eandem tamen paulo post recreavit idem ille Cæsar, a quo tum propemodum extincta est: ne quis aut lætis rebus timere duras, aut tristibus sperare meliora desinat. Quanquam sane minus falluntur, qui deteriora expectant in dies: quando tam facile crescit improbitas, et alioquin hæc est vitæ conditio, ut nocere cuilibet in promptu sit; conservatio rerum atque instauratio, bonis artibus, iisque multis indigeat. Unius pueruli incogitantia male custoditus ignis consumere paucis horis oppidum potest, quale multis annis aliquot hominum millia restituere nequeant. Sed ad res Romanas revertor, præter enarratos antea casus, paucos adhuc relaturus, præ ceteris in utriusque fortunæ exemplum, dignitate hominum, aut raro miroque eventu, notabiles.

56. Sergius apud ipsum Antonium delituit, donec ei consul jam Plancus, Antonio auctore, reditum impetravit. Nam inter summam crudelitatem, multas tum ostendit Antonius clementiæ stricturas. Certe Attico apud P. Volumnium latenti sua manu scripsit, 'ne timeret, statimque ad se veniret. Se eum, et Q. Gellium Canum' (is una latebat, æqualis et familiarissimus Attico) 'de proscriptorum numero exemisse.' Misitque præsidium eis, ne per noctem in periculum aliquod inciderent.

Cornel.  
Nepos, At-  
tic. 10.

Appian.

57. At Salvius tribunus plebis, quanquam, ne hostis judicaretur Antonius, intercesserat, tamen diffidens ob alia, convivium amicis dabat, quasi non diu cum ipsis futurus postea. Et supervenerunt armati, omnibusque præ metu exsiliantibus, quiescere ceteros centurio jussit, Salvium cervices præbere: capillisque prehensum supra mensam traxit, quantum opus erat ut caput præcideretur. Quo correpto abiens, imperavit ceteris, 'teuerent sese quo essent loco quieti, ne similia paterentur.' Ergo etiam post centurionis discessum, in multam noctem, cum relicto tribuni corpore, attonitis et fulminatis similes accubuerunt. Post hunc Minucius prætor, inter habenda comitia, in foro occisus est, cum, audito periculo, in tabernam quandam veste mutata confugisset; indicio lictorum proditus, qui per ineptam pietatem discedere contabantur.

Val. Max.  
ix. 11. et  
Appian.

58. Alterius prætoris, L. Villii Annalis, itemque viri prætorii C. Toranii exitus, nec sine scelere filiorum, nec sine sceleris vindicta commemorari potest. Annalem, dum in Campum cum filio quæsturæ candidato descendit, comites repente deseruerant, proscriptum audientes. Idcirco ad clientis vile tectum in suburbio confugiens servari potuisset, nisi nefarius juvenis rem suspicatus eo deduxisset milites. Atque is auctor spectatorque paternæ necis, cum triumvirorum impia liberalitate paterna bona simulque ædilitatem obtinuisset, vino obrutus, ab iisdem militibus, qui patrem occiderant, orto jurgio interfectus est.

Val. Max.  
et Appian.

59. C. Toranii latebras, ætatem, notasque corporis, quibus agnosci posset, detestabilis filius centurionibus edidit. A quibus repertus senex inducias petiit, 'donec filius ab Antonio,' ejus scutus partes fuerat, 'aliquid impetrasset.' Cui ridentes illi, 'Impetravit,' inquit,

‘sed mortem tuam.’ Hoc audito, iterum petiit brevissimum spatium, filiamque accitam monuit, ‘abstineret hereditate paterna, neve causam præberet fratri, mortem etiam illius ab Antonio impetrandi.’ Atque is postea filius, dilapidato patrimonio, furti damnatus, solum vertit. Horum mortibus admonitus **P. Rupilius Rex**, qui tum præturam gerebat, matura fuga in **M. Bruti** castra se contulit. Horat Sat. 1. 7. et ib. Vet. Interp.

60. Sed vix alterius quam Ciceronis fatum annotatu dignius fuit. Proscriptus ille cum filio, fratre, filio fratris, et amicis atque familiaribus omnibus, pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi se, quam Cæsari Cassium et Brutum posse; primo in Tusculanum fugit. Inde transversis itineribus in Formianum, ut ab Cajeta navim conscensurus, proficiscitur. Unde aliquoties in altum provectum cum modo venti adversi retulissent, modo ipse jactationem navis, cæco volvente fluctu, pati non posset, tædium tandem eum et fugæ et vitæ cepit: corvorum etiam prodigio terrente, qui crocitantés, et capita tundentes funium, in utroque antennæ cornu considerant. Regressusque ad superiorem villam, quæ paulo plus mille passibus a mari abest, ‘Moriar,’ inquit, ‘in patria sæpe servata.’ Appian. Liv. apud Sen. Suasor. 6.

61. Interim appropinquantibus percussoribus, in cubiculum ejus involantes corvi ruperunt somnum, et in conspectu ejus ferrum horologii loco motum excusserunt: laciniamque togæ morsu correptam retinuerunt. Inde excitati servi, quam possent opem hero ferre, quem etiam animantibus ratione non præditi curæ esse credebant, constituerunt: partimque precibus, partim vi sublatum denuo imposuerunt in lecticam, mare petitori. Supervenientibus deinde Herennio centurioni, et tribuno Popillio cum paucis militibus, sive sutor quidam Clodianus cliens, sive Philologus **Q. Ciceronis** libertus, et, ne quid sceleri deesset, eruditus a Marco, semitam ostendit in densas sylvas pertinentem. Plut. Val. Max. 1. 4. Appian. Plut.

62. Tum viso Ciceronis comitatu exclamavit Popillius, ‘Sequimini, qui a tergo estis milites:’ non quia plures adessent, verum ut exterreret Ciceronianos. Satisque Appian. Plut. Liv.

constat, hos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimican-  
 dum; ipsum deponi lecticam, et quiete pati, quod fors  
 iniqua cogeret, jussisse: visisque armatis dixisse, 'Ac-  
 cede, veterane, et, si hoc saltem potes recte facere, incide  
 cervicem.' Trementi deinde, dubitantique, 'Quid si ad  
 me,' inquit, 'primum venissetis?' Ita prominenti ex  
 lectica præbentique immotam cervicem, caput repetito ter  
 ictu præcisum est. Nec satis stolidæ crudelitati militum  
 fuit: manus quoque, scripsisse in Antonium aliquid ex-  
 probrantes, amputarunt.

63. Ita relatum caput ad Antonium, jussuque ejus in-  
 ter duas manus, tantorum operum ministras, in rostris  
 positum, ubi ille consul, ubi sæpe consularis, ubi eo ipso  
 anno adversus Antonium, quanta nulla unquam humana  
 vox cum admiratione eloquentiæ, auditus fuerat. Vix  
 attollentes præ lacrymis oculos homines intueri trucidata  
 membra ejus poterant: ceterorumque cædes privatos lue-  
 tus excitaverunt; hæc una communem. Hoc tam in-  
 fame ministerium C. Popillius Lænas sibi pro beneficio  
 depoposcerat, olim in causa maxime dubia a M. Cicerone  
 defensus.

64. Sed capite viso Ciceronis exclamasse Antonium  
 aiunt, 'nunc peractam esse proscriptionem suam.' Nam  
 continuo post patratam cædem, velut rem lætissimam  
 Popillius et per veredarios terra, et mari per dromones  
 nuntian-dum curaverat: deinde ipse adveniens in forum,  
 caputque tenens manu, sedenti pro tribunali Antonio  
 monstravit quatiens. At ille exultavit præ gaudio sæpius  
 cachinnos revocans: hominique execrando coronam im-  
 posuit, tanquam qui maximum omnium et velut decuma-  
 num hostem suum sustulisset. Tantaque fuit turpissimi  
 latronis improbitas, ut imaginem suam coronatam juxta  
 caput Ciceronis in rostris proponeret: tanta insuper  
 summæ improbitatis apud spurcissimum imperatorem gra-  
 tia, ut decuplum \* ab Antonio præmium reportaret.

65. Hunc exitum sortitus est M. Cicero ante diem VII.

\* *Decuplum*] Ducenta nempe sestertium, id est, marcas ar-  
 et quinquaginta drachmarum genti nostrates 3906. uncias 2.  
 millia, Romana pecunia, decies *Crev.*

Aufid.  
 Bass. apud  
 Sen. Sua-  
 sor. 6.

Liv.

Appian.

Liv.

Plut.

Appian.

Dio.

Corn. Sev.

ap. Sen.

Brutid.

Niger ib.

Liv. ib.

Cremut.

Cord. ib.

Val. Max.

v. 3.

Dio.

Cassiod.

Chron.

Brut. Nig.

Plut. Ap-  
 pian.

Cremut.

Cord.

Plut.

Appian.

Plut. An-  
 ton.

Appian.

Euseb.

Chron.

Dio.

Appian.

Auct. de  
 Caus. Corr.

Eloq. c. 17.

Idus Decembres, ut Tiro libertus ejus memoriae prodidit. Vixit tres et sexaginta annos, ut, si vis abfuisset, ne immatura quidem mors videri possit. Ingenium et operibus et præmiis operum felix: ipse fortunæ diu prosperæ: facies ei decora ad senectutem, et commoda permansit valetudo: tum pax diutina, cujus instructus erat artibus, contigit. Namque prisca severitate judiciis actis, maximorum noxiorum multitudo provenit, quos obstructos patrocínio incolumes plerosque habebat. Jam felicissima consulatus ei sors petendi, et gerendi maximo consilio industriaque. Utinam moderatius secundas res, et fortius adversas ferre potuisset! Namque utræque cum venerant ei, mutari eas non posse rebatur. Inde sunt invidiæ tempestates coortæ graves in eum, certiorque inimicis aggreudiendi fiducia: majore enim similtates appetebat animo, quam gerebat.

66. Igitur in longo tenore felicitatis, magnis interim Liv. ictus vulneribus, exilio, ruina partium pro quibus steterat, filia morte, exitu tam tristi atque acerbo, omnium adversorum nihil, ut viro dignum erat, tulit, præter mortem: quæ vere aestimanti minus indigna videri potuit, quod a victore inimico nil crudelius passus erat, quam quod ejusdem fortunæ compos ipse fecisset. Sed quando mortalium nulli virtus perfecta contigit, qua major pars vitæ atque ingenii stetit, ea judicandum de homine est. Ergo si quis virtutibus vitia pensarit, vir magnus, acer, memorabilis fuit, et in cujus laudes exequendas Cicerone laudatore opus fuerit. Sed ille quidem semel proscriptus ab Antonio, vicissim illum ad perpetuam hominum memoriam victuris monumentorum suorum tabulis proscripsit.

67. Neque reticenda Fulviæ crudelitas est, jam a Clodianis temporibus inimicissimæ Ciceroni. Hæc igitur caput ejus impositum genibus, nam et domi suæ superque mensam spectare hoc Antonius cupiverat, amarulentissime insultans mortuo, conspuit: deinde linguam, a qua scilicet maxime læsam se arbitrabatur, compunxit acubus et calamistro.

68. Nam et hæc furia partes suas inter illam publicam

Euseb.  
Chron.  
Liv.  
Asin. Poll.  
ap. Senec.  
Suasor. 6.

Liv.

Cic. ad  
Brut. Ep.  
t. 15.  
Asin. Poll.  
Liv.

Vell. 11.  
66.  
Plin. vii.  
30. Arell.  
Fusc. ap.  
Sen.  
Dio.

Appian.  
Dio.

- cladem egit egregie ; multique inimicitiarum aut pecuniæ causa, hujus jussu interemti sunt. Cæsetius Rufus senator, vicinum Fulviæ habens ædificium, vendere petenti noluerat. Tum igitur, licet dono dedisset, proscriptus est, caputque ejus allatum Antonio, convivium agitati, cui tum in morem hæc crudelitas venerat, ut capita principum civitatis cœnanti referrentur. Is igitur, diu versata considerataque facie, ‘ Hunc,’ inquit, ‘ ego non noveram :’ suspicansque uxoris esse facinus, referri ad illam caput, illa proponi non in foro ut cetera, sed in ipso illo ædificio, jussit ; ne quærendum quis haberet, cur hic esset interfectus.
69. Similiter et C. Verres proscriptus est, ob negata Antonio Corinthia : et Nonius senator, Strumæ filius, propter opalum gemmam, quam habebat avellanæ magnitudine. Parque horum contumacia, Antonique feritas fuit : neque minus mori decreverunt illi pro his nugis, quam hic occidere. Sapientius illi, quibus vita carior divitiis fuit. Multos enim exemerunt Antonius et Fulvia, plus deferentibus ipsis consecuti, quam sperare ex illorum morte potuissent ; et, ne vacaret in tabulis locus, alios pro his ascripserunt, tanquam vicarios mortis.
70. At L. Cæsarem Julia soror servavit. Ad quam ille cum profugisset, matrem imperatoris sui reverentibus militibus, aliquamdiu tutus fuit. Postea vincente pudorem avaritia, petitus a centurionibus in cubiculum sororis confugit. Atqui illa manibus expansis januam defendens, clamitabat, ‘ Non occiditis L. Cæsarem, priusquam me percusseritis, quæ vestrum imperatorem peperit.’ Sic his tandem abactis, processit in forum Julia : sedentique pro tribunali cum collegis Antonio, ‘ Me ipsam,’ inquit, ‘ indico : quæ L. Cæsarem habeo domi, et habebo, donec simul interficiamur : quando eadem in receptatores constituta pœna est.’ At ille, ‘ Sororem,’ inquit, ‘ meliorem, quam matrem præstas : ab illo me judicari hostem passa, nunc mihi ultimum eunti injuriam obstas.’ Cessit tamen ad extremum, Plancoque negotium dedit de salute L. Cæsaris referendi.
71. Sed et ab ipsis militibus nonnulli servati sunt,

Val. Max.  
ix. 5.  
Appian.

Sen. Ep.  
83.

Val. Max.  
l. io.  
Appian.

Lactant.  
ii. 4.  
Plin.  
xxxiv. 2.  
et xxxvii.  
6.

Dio.

Plut. An-  
ton.  
Dio et  
Appian.

Appian.

quorum tamen benevolentia Largus diu frui non potuit. Cum enim alium quærentes, hunc reperissent; moti hominis infelicitate, qui captus antequam vestigatus esset, in proximam sylvam perfugere jusserunt. Ille igitur in alios incidens, ad priores recurrit, ‘Vos me potius interfecite,’ clamitans, ‘quando nihilominus est pereundum. Vos potius capitis mei præmium accipere verum est, qui me servare voluistis.’

72. Æquior fortuna Virginio fuit, qui suavi eloquio præditus, primum servis suis persuasit, ‘se prodito modicum, immo incertum præmium habituros, cum perpetua turpitudine et metu; servato, præclaram conscientiam, et aliquando famam facti, sed et mercedem longe majorem atque certiore relaturos.’ Ita cum his eodem habitu fugientem nacti milites agnoverunt. Neque hic eum facundia sua, aut felicitas deseruit, quominus et hi sequerentur eum ad mare, pecuniam potius ab incolumi voluntate ipsius accepturi, quam propter occisum per scelus. Sed ubi ventum ad littus est, jam abnavigarat uxor, quæ ex composito eum nummis eo accesserat; abisse jam rata virum. Servus tamen in littore ob hoc relictus, et navem commonstravit, et omnem exposuit rei ordinem. Igitur orante Virginio, ‘expectarent, dum revocaretur uxor, aut in Sicilia acciperent nummos;’ in scapham imposuerunt eum, alaerique remigio pervexerunt in insulam; eumque sibi cum fide exsolvi promissa vidissent, hujus viri comitatum sacramento suo prætulerunt, manseruntque cum eo usque ad pacis tempora.

73. Ipsa quoque triumvirorum discors concordia, dum Dio. alii exosum servare conatur alius, aut contra gratum alii perdere, magnam eo tempore varietatem casuum peperit. Tamque fuerunt incerta omnia, ut alias præmia proditoribus suorum, alias supplicia representarentur.

74. Haterii servus hero prodito nactus libertatem, dum Appian. facultates occisi subhastantur, liberis Haterii bona paterna redimere cupientibus improbus licitator se objecerat. Illi tempora non ausi arguere cum silentio et lacrymis assectabantur nebulonem, donec commota populi indignatio extulit a tribusviris, ut eum rursus proscripti liberis in

servitutum addicerent. Alius conservum suum, pulchro strategemate (quali et Panopioni partam salutem postea memorabimus) vitam heri morte sua redempturum, veterat, demonstrata militibus fallacia. Igitur necatus est dominus: sed populus non destitit obtundere tresviros, donec index ille patibulo, fidelis autem servus libertati vindicaretur.

Val. Max. vi. 8. et Macrob. Sat. i. 11. et Dio, et Appian. et Sen. de Benef. iii. 25. Val. Max. et Macrob. Appian. et Dio.

75. At Urbinium Panopionem in villæ Reatinæ spelunca latitantem, cum infesti milites peterent, unus ex servis ejus, veste cum domino permutata, sumtoque annulo, percussoribus sese objecit, ‘nihil causari’ dictitans, ‘quominus imperatum peragerent.’ Sic ille pro Panopione interfectus, pietatis hoc postea præmium ab domino retulit, ut amplo monumento, factique pulcherrimi testimonium præferente, conderetur. Meneui servus in lecticam domini opertam se coniecit, aliis e familia succollantibus, atque ita interfectus pro hero, evadendi in Siciliam ei spatium præbuit.

Appian. et Dio, et Val. Max. vi. 8 et Macrob. Sat. i. 11.

76. Sed hi quidem beneficiis affecti retulerunt merentibus gratiam. Majus miraculum fuit in stigmatia, qui Antium Restionem noctu fugientem, ut poterat in compe, assecutus, terruit primum aspectu suo; deinde confirmavit, bono jubens esse animo: ‘sibi majorem acceptorum olim beneficiorum, quam hujus injuriæ memoriam esse:’ abstrusumque in speluncam quotidianis operis aluit. Postremo cum suspicantes rem milites supervenirent, exstruxit rogum, et senem forte oblatum occidit, atque in pyram imposuit. Dominum, data interfecti veste, dimisit: ipse induit herilem cum annulo, seque percussoribus obviam tulit. A quibus pro homicida retentus, ‘Restionem,’ inquit, ‘occidi, vicemque crudelitati ejus, a quo sic notatus sum, reddidi.’ Quia verisimilia loquebatur, crediderunt milites, caputque ignobile ferentes frustra contenderunt in Urbem. Antius a servo subductus in Siciliam cum eo transjecit.

Dio et Appian.

77. Simili commento C. Hosidium Getam<sup>h</sup> filius eri-

<sup>h</sup> C. Hosidium Getam] Perperam hoc nomen effertur apud Dionem hoc loco Ὀσιδίων. Pighius, sive Schottus ad annum 791. probat verum fuisse nomen Hosidium. Crev.



puit morti, tanquam mortuo paratis exequiis, crematoque in area domus rogo: nam suspendio fugisse vitam finxerat. Hac arte senex elapsus in prædio recens emto Appian. substitit, ad dissimulandum oris habitum altero obligato oculo, quem deinceps, reddita pace, inutilem habuit, per longam videndi desuetudinem facultate amissa.

78. Et quia de filiorum pietate mentio fieri cæpta est, Oppius patrem decrepitum, et ætatis tædio fugere nolentem sustulit in humeros; elatumque Urbe, modo manu sublevans euntem, modo deficientem imponens cervicibus, in Siciliam transportavit, sine ulla alia molestia: cum sicut Æneæ patrem gestanti viam pietas vel per medios hostes faceret. Arrianus<sup>4</sup> quoque monumento suo similis in filio fidei testimonium inscribendum curavit; ‘Hic situm esse cui proscripto filius non proscriptus, receptator primum, deinde auctor comesque fugæ, atque sic causa salutis fuisset.’

79. Neque reticendus est Q. Cicero Q. F. qui magni Cic. ad Att. vi. 2. et multiplicis ingenii, postremum vitæ actum egregio facinore nobilitavit. Cum enim Q. Pater, dum Asturam comitatur Marcum, de proscriptione sua cognosset, Plat. Cic. et Dio et Appian. subitoque recurrisset ad Urbem, exportandi viatici causa, receptus est a filio et celatus, proscripto et ipso. Igitur prodente familia repertus juvenis, tortusque ut patris indicaret latebras, magno animo pertulit dolorem; donec pater, re intellecta, miratus simul pietatem filii misertusque, prodiit. Tum quoque filius oravit milites, ut se priorem occiderent. At idem postulante patre, diversi eodem tempore utrumque contrucidarunt.

80. Sed Egnatios patrem filiumque complexu coherentes una plaga confecit, militesque, capitibus ablatis, corpora se adhuc complectentia reliquerunt. Balbis duobus tutius visum seorsim fugere utrumque perdidit. Nam pater falso de filii cæde nuntio credens, ultro se obtulit persequentibus; filius interiit naufragio. Idemque fatum Arruntii fuit, cui pater vix persuaserat, ut superesse seni sustineret. Atque illum comitata ad portam infelix ma-

<sup>4</sup> *Arruntius* edd. ante Crev.

ter, neque felicior matrona, rediit ad componendas viri reliquias : neque multo post, audito filii casu, inedia sibi conscivit mortem.

Dio. 81. Inter hos terrores M. Terentius Varro tribunus plebis, ne sibi eveniret quod Helvio Cinnæ nuper, edicto proposito, se causa et agnomine distingui professus est ab eo Varrone, quem sui ævi doctissimum, magnamque militiæ laudem parendo et imperando meritum, forte propter hæc ipsa, tanquam iniquum dominationi, tresviri proscripserant. Sed certatim eum recipere cupientibus amicis, Fufius Calenus vicit, habuitque eum in villa, ubi sæpe ex itinere divertebat Antonius : neque a quoquam ex sua aut Caleni familia indicatus effugit periculum, vitamque et studia ad centesimum ferme annum prorogavit. Bibliothecis tamen suis hac proscriptione direptis, partem desideravit librorum, quos ad eam diem magno numero composuerat.

Val. Max. viii. 7.  
A. Gell. iii. 10.

Dio et Plin. vii. 43.

82. Sed in alio sene humana infirmitas atque ignorantia rerum magno exemplo patuit. Quomodo enim proscriptus a Sylla M. Fidustius senator timere potuisset, ne tanto intervallo ab hominibus, qui tum ne nati quidem omnes erant, proscriberetur ? Sed illi hæc ipsa proscriptionis mortisque causa fuit.

Appian. et Dio. Appian.

83. Contra Valerius Messala proscriptus ab Antonio, postea consul in locum ejus factus est : interim exemptus proscriptioni, non misericordia triumvirorum, sed metu.

Cic. ad Brut. i. 15.

Quippe Messala cum Bruto erat, juvenis probitate, constantia, cura, studio reipublicæ incomparabilis : ad hæc excellenti eloquentia, cum judicio industriaque pari. Edixerunt igitur in hanc formam : ‘ Quando M. Messalam ex propinquis ejus cognovimus ne quidem in Urbe tum fuisse, cum interfectus est Cæsar, exemptus e numero proscriptorum esto.’ Ille tamen uti hac venia contempsit,

Plut. Brut. fin.

Bruti causam amicitiamque preferens. Neque pigeat ceterorum quoque qui traditi sunt notabiles casus pertexere, quorum, sicut et de quibus antea relatam est, pars ante consulatum Lepidi Plancique, pars his consulibus perierunt.

Cic. pro Lig. c. 11.

84. Ligariorum fratrum nota concordia et caritas fuit.

Hi cum aliquamdiu latuissent sub camino, prodi sunt a Appian. servis, alterque statim occisus. At qui effugerat, audito perisse fratrem, de ponte se dejecit in fluvium; diuque luctatus cum piscatoribus, qui servare tanquam forte prolapsum nitebantur, ‘Frustra estis,’ inquit: ‘proscriptus sum, vosque perdere citius possum, quam a vobis servari.’ Cum ne sic quidem fatigaretur illorum humanitas, milites ad custodiam pontis appositum accurrerunt, necaruntque proscriptum.

85. Duo quoque alia fratrum paria referuntur gravi mulctata exitio. In amnem se quidam præcipitaverat: quem inquisivit servorum ejus unus, repertoque post quintum diem, quia nondum confusa omnia oris lineamenta erant, caput præmii spe amputavit. Hujus fratrem alius servus in latrina se occultantem indicavit: percussoresque dedignati descendere, hastis confixum extraxerunt, occideruntque, ut erat, sordidum, ne capite quidem abluto. Alius fratrem comprehendi videns, seque pariter proscriptum ignorans, ‘Me, me,’ inquit, ‘prius interficite.’ Tum centurio, ‘Rem æquam postulas. Nam et tu scriptus es prior.’ Ambosque interfecit ordine.

86. Vidit et scelera conjugum isthæc ætas. Et Septimium quidem uxor adultera, per amicum Antonii, quocum habebat stupri consuetudinem, referendum curavit in proscriptorum tabulas; et ad se refugientem dissimulata conscientia detinuit, donec percussores supervenirent: eademque die celebravit cum adultero nuptias. Salassum (quod Curtiorum cognomentum est) jam elapsus ex Urbe, perplexitas consilii eodem revocavit, sperantem interea potuisse tempestates eas detonare. Sed ubi venit ad ædes suas, venditas didicit a janitore, qui una fuerat transditus; et ab eodem in cellam receptus, uxorem acciri jussit ex illius ædibus. Illa noctem causata spopondit affuturam postridie; affuitque, sed cum percussoribus. Quod ille prospiciens ex summis ædibus, eo enim tadio moræ subierat, de tecto se præcipitem dedit. Fulvius ad mulieris ædes confugiens, quam concubinam suam manumiserat, nuptumque dotatam dederat, oblivionem beneficiorum omnium, solamque memoriam superinductæ uxoris invenit.

Cic. ad  
Fam. vi.  
18.  
Appian.

87. At militarium virorum Staius Samnis, cujus egregia opera sociali bello effulserat, deinde propter egregiam laudem genusque et opes in senatum Romanum ascriptus, octogesimo jam ætatis anno proscriptum se discens, diripiendas opes suas populo familiæque permisit: multa et ipse suis manibus in publicum jaciens. Exinanitam deinde domum clausit, incenditque; rogam sibi efficiens, quo et pars Urbis conflagravit. Capito semiapertis foribus singulos intromisit, confoditque aliquot: irrupentibus deinde multis simul circumventus est.

88. Vetulinus, magna in Rhegiensi agro manu coacta, partim ex proscriptis, partim ex octodecim<sup>5</sup> illis urbibus quæ veteranorum præmiis destinari fremebant, multos intercipiebat centuriones, donec adversus se majore exercitu misso, coactus est in Siciliam se recipere. Nec hic stetit hominis audacia. Redintegavit inde bellum: pluribusque demum præliis victus, filium ceterosque proscriptos Messanam præmisit; ipse in medio freto deprehensus a persequentibus, repugnando in frustra concisus est. Naso a liberto, quem habuerat in deliciis, proditus, militi extorsit gladium, unumque inter omnes proditorem petens, priusquam occumberet, interfecit. Alium a militibus occidi videns servus, qui a conducenda navicula redierat, 'Expecta,' inquit, 'paulisper, domine,' simul centurionem ictu lethali occupans. Deinde suo quoque corpori gladium infigens, 'Accipe solamen,' inquit, 'quantum dare fides mea potuit, domine.'

89. At Lucius quidam duobus libertis, quos putabat fidissimos, auro tradito, quod deferrent ad mare; postquam se delusum intellexit, ipse quæsivit percussores, jugulumque præbuit. Labienum, qui in Syllana proscriptione interfecerat multos, liberti celabant; tormentis etiam pro incolumitate patroni generose spretris. Sed ille videns evadere se non posse, et frustra torqueri suos, pro foribus suæ domus expectavit percussores, sella posita. Cestius ruri latens, minus ex fide suorum animi, quam ex discursatione centurionum timoris concipiens, ut aliquando se molestia liberaret, bustum parari jussit a servis, ut di-

Macrob.  
Sat. i. 11.  
Appian.

<sup>5</sup> Ex duodecim edd. ante Crev.

cere possent, fuisse Cestium; atque in accensum ignem se coniecit.

90. Aponium ad eandem desperationem adegit victus tenuioris impatientia, cum tuto lateret. Igitur ultro se obtulit interficiendum. Jamque fastidium erat sponte expetentium mortem: aiuntque fuisse qui neglectus a percussoribus, cum se satis diu sedens in propatulo frustra praeuisset, suspensio expulerit vitam. At socer Asinii per mare fugiens, tempestatum offensus violentia, desiliit in medios fluctus. Planci fratrem C. Plotium Plancum unguentorum prodidit fragrantia, ne in Salernitana quidem latebra his deliciis carere sustinentem: adeo rationi ferociter amat repugnare prava consuetudo. Tamen adhuc occultabatur: et servi, cum ad indicandum torquerentur a militibus, summa fide et silentio cruciatum perferebant; donec ipse Plotius tam bonos fidosque servos diutius torqueri non ferens, prodiit in medium, et jugulatus est.

Val. Max.  
VI, 8.  
Plin. XIII,  
3.  
Solin. c.  
48.  
Val. Max.

91. Sisinius, cum proscriptum se negaret, nomen suum legere jussus, juxta tabulam est interfectus. Æmilius suae sortis nescius, cum alium quendam peti cerneret, quisnam iste proscriptus esset, interrogabat. Cui centurio, ‘Proscriptus est et iste, et tu:’ simulque occupavit ambos. Cilo et Decius, cum egressi curia, se quoque in mortifera illa tabula legi didicissent, ad portam fugiebant: sed ipsa trepidatione proditis centuriones manus intulerunt.

Appian.

92. Sicilius, cujus unius calculo absolutus nuper Brutus fuerat, facti ejus, quo alias multum erat gloriatus, immemor, sandapilæ, qua forte mortuus efferebatur, subiecit humeros. Ea res admonuit custodes portæ, cum plures solito vespillones conspicerentur, ut exeuterent sandapilam, ne forte pro mortuo vivus efferreretur. Tum reliqui numerum audientes argui, negarunt hunc esse sui ordinis: itaque agnitus vita et capite caruit. Sed Varus a liberto proditus, per montana et aspera loca usque in paludes Minturnensium se subduxerat; cum ab his, qui latrones perquirebant, erutus, et pro latrone damnatus tacuit. Sed ubi ad indicandos socios tormenta adhiberi vidit, ‘De-

Supra, c. 4.  
Appian.

nuntio vobis,' inquit, ' Minturnenses, ne paulo ante proconsulem populi Romani, nunc, quod rerum in praesentia potentibus pluris est, proscriptum torqueatis.' Non habebatur fides. Sed altercantibus supervenit centurio quidam, et capite Vari demto, composuit litem.

Dio et  
Appian.

Corn. Nep.  
Attic. c. 11.

Appian. et  
Dio.

93. At qui evadere ex Italia potuerunt, ad Brutum atque Cassium se conferebant, aut ad Cornificium in Africam. Etiam Atticus, qui maximas in Epiro possessiones habebat, eo appulsos recipi haberique jusserat liberaliter. Sed plerisque Sex. Pompeius saluti fuit, vicinam Siciliam obtinens.

94. Atque is sane quam bonam operam his temporibus praestitit Romanae nobilitati. Quippe Italiae assidens, Romae et per ceteras civitates proponenda curabat scripta, ' Pompeium duplum ejus mercedis, quae in proscriptos esset constituta, daturum servatoribus. Eos porro qui ad se confugissent, auxilio, pecuniaque, et honoribus adjuturum.' Lembi etiam ejus, ac onerariae naves, itemque triremes oberrabant circum Italiae littora; quae signum darent latentibus, exciperent defenderentque venientes. Ipse transvectos excipiebat obvius, vestem, suppellectilem, et cetera liberaliter suppeditabat: idoneum quemque praeficiebat legionibus, cohortibus, navibus. Sed neque prodidit eos postea, nullo cum tribusviris inito foedere, quo proscriptorum salus non contineretur.

Appian.

95. Neque piget insigniora quaedam exempla ponere, quo inter haec tam tristia laetorum quoque casuum permixta commemoratione lectoris animus redintegretur. Hirtius cum fideli servorum manu circumibat per agros ergastula solvens, et colligens fugientes. Cum his primo villas atque vicos expugnabat, mox majora oppida. Postremo, Bruttiorum gente redacta in potestatem, bello petendus fuit. Tum demum ad Pompeium transjecit cum suis. At Sentius Saturninus Vetulio,<sup>1</sup> cum virtute animi calliditatem conjunxit: arreptisque praetoriis insignibus, cum servis in lictorum, apparitorum, servorumque publi-

Val. Max.  
vii. 3. et  
Appian.

<sup>1</sup> *Sentius Saturninus Vetulio*] Hic ab Appiano *Pomponius* vocatur. *Crev.*

corum habitum compositis exiit porta; conscensoque vehiculo publico, prætorem se ferens, et ad Pompeium de pace mitti, deducente Italia, cum Puteolos venisset, quasi publico munere fungeretur, summa securitate, correptis publicis triremibus, in Siciliam profectus est. Apuleius Appian. et Arruntius centuriones mentiti, cum servis militariter adornatis, cursu se extulerunt porta, tanquam alios prosequerentur. Deinde coactis, sicut de Hirtio diximus, quos potuerant, armis signisque ad speciem exercitus instructi, partitis copiis ad fretum contenderunt. Sed accidit forte, ut eodem in colle quondam pernoctantes, dum missos adversus se Roma milites credunt, mutuo cum metu se contuerentur: mox prima luce infestis armis concurrerent. Donec agniti, laboresque suos et pervicaciam fortunæ miserati, diversis navibus alter ad Pompeium, alter ad Brutum evaserunt.

96. Pari vaframento servatus est Ventidius, sed liberti sui ingenio et fide, qui patronum, simul atque proscriptum cognovit, continuo vinxerat, quasi tradendum percussoribus: sed noctu persuasis servis, eum armata familia tanquam centurionem miles secutus est.<sup>6</sup> Perveneruntque feliciter in Siciliam, cum sæpe in eodem diversorio cum veris centurionibus Ventidium quærentibus pernoctassent.

97. M. Volusius ædilis plebis recepta nuper superstitione Isidis ad salutem abusus est. Linea enim stola cum persona canicipiti ab amico Isiaco sumpta, per itinera viasque publicas stipem petens, evasit. Rebilum audacia servavit, et Themistoclis imitatio. Nauclerum enim, qui pecuniam ab eo petebat, ni prodi mallet, eodem commento terruit, se denuntians indicaturum, quod accepta pecunia proscriptum veheret. Sic a territo pervectus ad Pompeium est incolumis. Appius opes suas famulis dividens, cum his in Siciliam navigabat. Ibi tempestate exorta, pecuniæ inbiantes, jusserunt eum in scapham tutiorem descendere. Et favit ei fortuna, simulatumque auxilium veram ei incolumitatem præstitit, in scapha transportato, cum interea navem fluctus absorbuissent.

Val. Max.  
vii. 3. et  
Appian.  
Dio.  
Appian. et  
Val. Max.  
Thucyd. i.  
Appian.

6 *Servatus est* edd. ante Crev.

98. Et hos quidem servavit fuga. Nonnulli per inculta camporum, aut etiam in sepulcris, vel ipsa Urbe latitantes, pacatiora expectare tempora potuerunt. Quorum Marcus quidam, suis in ædibus fide servorum occultatus, inde, pace restituta, velut ab exilio in publicum prodiit. Sittius etiam municipum suorum benevolentia Cales pro exilio habuit: primus et forte solus ad ea tempora hominum relegatus in patriam. Nam illi prædivitem virum et pro copia sua munificum custodiverunt armati, servis minando, prohibendo ingressu oppidi milites, donec, legatis ad tresviros missis, quod diximus, impetrarent.

99. Alium metus coëgit ad felicem audaciam. Quippe a liberto in sepulcrum abstrusus, quia ferre loci speciem nequibat, in conductam quandam sordidam habitationem immigravit. Deinde, quia miles quidam juxta divertebat, periculum timens, capite raso, quod libertinis erat solitum, ludum aperuit publice, nullique suspectus totum illud minacissimum tempus citra periculum exegit.

Dio et  
Appian.

100. Has inter calamitates nihil erat calamitosius, quam quod ne flere quidem occisos erat licitum: quin ultro læti esse omnes jubebantur edicto, propter consulum designatorum triumphos, et imminentes novi anni ferias. Nam

A. D. iv. Kalendas Januarias L. Plancus triumphavit ex Gallia, Rhætis devictis: et mox A. D. pridie Kalendas ex Hispania M. Lepidus. Plancus ædem Saturni fecit ex manubiis. Et quamvis, imperata lætitia, hos in Capitolium cives militesque prosequerentur, nec tamen aut illorum tacita execratio, aut horum apertissima convicia defuerunt. Certe servatus ad memoriam nostram versus est, inter triumphos istos usurpatus: 'de Germanis, non de Gallis duo triumphant consules:' quod, ut supra memoravimus, ille Plotium fratrem, hic Paullum, in proscriptorum numerum retulissent.

Fasti Capit.  
Vet. In-  
script. ap.  
Pigh.  
Appian.

Vell. II. 67.

Tab. Col-  
lot. ap.  
Pigh.  
Dio.  
Vell. II. 65.  
Val. Max.  
VI. 9.  
Liv. VII.  
42.

101. Hoc tempore consulatum P. Ventidius Bassus, ex pacto triumvirorum, cum C. Carrinate per aliquot dies gessit, abdicante Cæsare, et collega ejus mortuo Q. Pedio. Neque moram afferebat, quod tum maxime prætor erat Ventidius. Nihil enim fiebant leges, quarum Genucia cautum erat, ne quis duos magistratus uno anno gereret.



102. *Ventidio* etiam majorem invidiam excitabat fortunæ prioris humilitas: aiuntque per Urbis vias vulgo proscriptos fuisse versiculos, quibus omnes augures harspicesque excirentur ad recens portentum, quod is qui mulos fricare solebat, consul factus esset. Quippe *Ventidium* bello sociali ductum in triumpho Cn. Pompeii memoravimus. Inde, juvena inope in caliga militari tolerata, mulos atque vehicula præbenda euntibus in provincias magistratibus conduxit; indeque convicio inimicorum appellatus est mulio. Sed quia Cæsari tum in illo ministerio, tum subinde majoribus admotus, satisfecerat, receptus in amicitiam, senatorque, et mox tribunus plebis creatus, ac deinde prætor designatus est. Eodem anno, quia frequentibus legatis exhauriebantur hæreditates, C. Salonius tribunus plebis legem tulisse dicitur, ‘ne cui plus dodrante<sup>k</sup> legare testamento liceret; quadrante utique hæredibus servato.’

103. Sed major cura omnium de honoribus fuit, quibus tresviri placarentur. His igitur et alia decreta, quæ olim ob servatas civitates dabantur; et coronæ civicæ, postquam atrocitate temporum videri meritum cœpit, non occidere. Neque vero culpandi videbantur sibi tresviri, quod multos tollerent, sed pro magno habendum, quod nonnullos relinquerent: et publice solebant profiteri, ‘se neque Syllæ aut Marii secuturos asperitatem, ne odium sibi pararent; neque Cæsaris clementiam, ne contentui, et ex contemptu insidiis obnoxii fierent.’

104. Tales igitur in sanguine civium cum fuissent, non

<sup>k</sup> C. Salonius ... legem tulisse dicitur, ne cui plus dodrante] Primo dedimus dodrante pro besse, flagitante evidenti ratione. Si enim quarta pars hæredibus relinquitur, profecto non bessem tantum, id est duos trientes, sed dodrantem, id est, tres quadrantes, in legata impendere licet. Secundo de hac lege, quæ solo Mariani Scoti testimonio nititur, dubitationem nobis movit vir in jure Romano versatissimus: nec ille nobis sine causa suspicari visus est nomen *Salonii*, facili ob

affinitatem literarum lapsu, hic a Mariano temere positum esse pro *Falcidii* nomine, ejus extat lex notissima ac celeberrima, idem prorsus sciscens ac jubens, quod hæc Salonia. Suspicionem ejus firmat et auget ipsa temporum vicinitas. P. enim Falcidius legem de legatis tulisse memoratur infra CXXVII. 28. quarto abhinc anno. Nec probabile est duas leges prorsus similes tam brevi temporum intervallo latas esse. Crez.

A. Gell.  
xv. 4.

Supra,  
LXXVI. 5.  
Plin. VII.  
43.

A. Gell.  
Cic. ad  
Fam. x. 18.  
A. Gell.

Dio, XLIII.  
fin.  
A. Gell.  
Marianus  
Scot.

Dio, XLVII.  
Plin. XVI.  
4. et XXXI.  
6.  
Dio.

- erat magna postulanda in patrimoniis abstinentia. Certe dotem interfectorum uxoribus, decimam bonorum liberis, si mares essent, si feminae, vicesimam erant polliciti. Sed praestabantur haec oppido paucis: plerisque concessa per legem extorquebantur calumnia. Neque vero bona reliquorum tuta dominis ulla ex parte erant. Civium proborum quietorumque, quorundam etiam qui studiorum causa aberant, bona vendebantur, nihil suspicantibus dominis.
- Romae et per universam Italiam mercedem habitationum annuam exegerunt: qui proprias aedes incolerent, ab his semissis ejus quanti locari possent postulabatur. Sic et praediorum dividebantur redditus. Praeterea constituebantur cujusque modi generis vectigalia: depositaeque pecuniae, etiam apud Vestales, auferebantur.
105. Totae quinetiam urbes affligebantur militum hybernis, et praestandis sine pretio cibariis: sed multo magis eripiendis earum agris, qui videlicet publicati erant; hostibusque judicatis, qui praestitutum ante diem iis non excessissent. Jam enim in antecessum, quo promtiores ad reliqua bellorum exercitus forent, repraesentare praemia incipiebant, polliciti per se deducturos quas decressent colonias. In his, praeter eas quae supra recensitae sunt, Aquinum, Allifae, Arretium, Interamna, Ligures Bæbiani et Corneliani, lege triumvirali deductae coloniae reperiuntur: quibus accessisse postea videntur Cremona et Mantua.
106. Ita conciliatis manipularibus, duces ac tribunos possessionibus proscriptorum alliciebant, gratis aut vili pretio addicentes; aut honores interfectorum atque sacerdotia transferentes in ipsos. Atque hoc ipsis assequi erat perfacile. Ne enim a quibus nolent subhastata emerentur, vetuerunt ad hastam accedere nihil comparaturos, mortem interminati. Venerunt igitur tanto pauciores: et postquam hi pessime accepti sunt, et immenso coacti quaedam emere, nemo deinceps, praeter triumvirorum satellites, quicquam licitatus est. At Ventidius ante consulatum etiam pontifex creatus est; et in ejus locum praetura cui-

Plut. Ant.  
Dio.

Corn. Nep.  
Att. 12.

Dio.

Plut.

Dio.

Front. de  
Colon.

Serv. in  
Virg. Ecl.  
1. et 1X.

Dio.

A. Gell.  
xv. 4. Dio.

dam ædiliū concessa. Ceteris etiam prætoribus, quintum ante diem quam abituri magistratu erant, dati successores sunt, illis in provincias dimissis.

107. Ita cum appareret nihil non ex lubricitate triumvirorum agi, quanquam invidiosis damnatisque 'regum' atque 'dictatorum' nominibus abstinerent; tanta concitata est animorum commutatio, ut qui nuper intolerabilis visus fuerat planeque ferreus superioris Cæsaris dominatus, nunc, instituta cum presentibus comparatione, merum aurum videretur. Sed religiosissimi principes, cum Urbem vacuarent hominibus indidem natis, locupletare peregre accitis Diis voluerunt: templumque Serapidi ac Isidi, post sæpius repudiata eorum sacra, decretum est. Hæc eo anno domi, et in Italia gesta.

Dio, XL.  
p. 91. et  
XLII. p.  
128.

108. Nec pauciora interim Brutus in Græcia, Cassius in Syria, Cornificius in Africa, et in Sicilia Pompeius gesserunt: quanquam illa sane concisius apud auctores referuntur. Brutus, accepto senatusconsulto, quo sibi decretum imperium erat, pacataque Græciæ et Illyrici parte, Cæsarem (a quo tum adhuc oppugnari Antonium putabat) per epistolas monuit, 'perseveraret in incepto, et, quoniam communem hostem haberent, secum rediret in gratiam.' Interea, quod desiderari se sciebat in senatu, ad transjiciendum se comparabat. Sed ubi mutatum Cæsarem, omniaque ad bellum spectare cognovit; hoc agere contento studio cœpit, ut vi repellere vim facturos posset.

Appian.

Dio, XLVII.

109. Igitur Macedoniae rebus optime constitutis, recurrit ad componendam seditionem, quam interim in exercitu C. Antonius commoverat, clam appellando duces militesque et ad defectionem sollicitando. Sed mature cohibitus est a Bruto, ademptisque insignibus prætoris, in libera custodia habitus Apolloniæ. Sed ille, non repressa per hoc, verum aucta audacia, magis etiam ad se pertrahere exercitum annisus est: tantumque profecit, ut in legione quarta seditio nasceretur, resque veniret ad manus, et nonnulli ad liberandum custodia Antonium pergerent. Id consilium Bruto literæ quædam interceptæ prodiderunt, correptusque Antonius, et pro ægroto in currum opertum

Plut.  
Brut. et  
Dio.

Cic. ad  
Brut. 1. 2.  
Plut. et  
Dio.

- conjectus est, ut exportaretur oppido, atque in navi asservaretur. Igitur milites, Antonio non reperto, Brutum timentes in colle quodam haud procul Apollonia consederunt, missis qui Brutum ad se venire juberent. At ille milites ad imperatorem accedere verius esse respondit: Dio. ignovitque deprecantibus, paucis interfectis aut ab exercitu remotis seditionis auctoribus. Statimque ita sunt conversæ militum mentes, ut interficerent relegatos,<sup>1</sup> his culpam omnem imputantes; quæstoremque atque legatos Antonii ad necem deposcerent. Certum erat Bruto, nihil statuere in quemvis civem durius quam necessum esset. Igitur hos quidem in naves impositos tanquam submersurus, in tutiora loca transtulit.
- Cic. ad Brut. 1. 2. 3. et 4. Dio. Plut. 110. Interim, audita morte Ciceronis et ceterorum, ‘dolere se quidem morte amicissimi viri’ dicebat, ‘sed magis causa mortis erubescere.’ Semper enim eum, ne quid Cæsari crederet, diligentissime monuerat. Accusabat et superstites, qui pati et videre sustinerent, quæ vel auditu intoleranda forent libertatis et patriæ amantibus.
- Dio. Ipse autem, ne his rumoribus iterum ad defectionem milites sollicitarentur, Apolloniæ atque Antonii custodia C. Clodio relicta; in superiorem Macedoniam transduxit exercitum, inde in Asiam transmissurus: ubi longius abducti ab Italia, neque transfugendi occasionem, neque etiam eorum quæ domi fierent notitiam, adipiscerentur.

<sup>1</sup> *Relegatos*] Sic vertit Dionis interpres Græcum verbum τῶν ἀποπεμφθέντων. Intellige eos qui modo remoti ab exercitu fuerant. *Crev.*

# SUPPLEMENTUM

## LIBRI CXXI.

### HISTORIARUM

#### T. LIVII PATAVINI.

---

1. **I**NTER hæc Syriam Q. Cæcilius Bassus, privatus ille quidem, sed animi consiliique non egens, Sex. Cæsari cum vita et duabus legionibus ereptam obtinebat. Nec prohibere dictator Cæsar potuerat, Africano tum bello, deinde aliis intervenientibus. Et duces contra se missos facile Bassus repellebat, Apamea constituta arce belli: circa quam opimus ager alendo exercitui sufficebat omnia, et vicini reguli multi, levitate insita, et odio Cæsaris, in commilitium pertrahantur. Inter quos et Jamblichus fuit, Emessenæ gentis regulus, Lysiadisque et Chalcidis tyranni. His opibus, aliquot Romanorum ducum, legionibus et equitatu magno instructorum, vim sustinuit.

Cic. Phil.  
xi. 13.  
Dio, XLVII.  
Appian.  
Civ. IV.  
Strab. xvi.  
p. 752.  
Dio et  
Appian.  
Strabo.

Joseph.  
Antiq. xiv.  
17. et de  
B. Jud. 1.  
8.  
Dio.

2. C. primum Antistius obsederat eum Apameæ: deinde cum æquo Marte aliquamdiu certatum fuisset, velut tacitis induciis direnti, utrinque ad comparanda auxilia, bello interim omisso, se contulerunt. Antistio et finitimi, quotquot Cæsari studebant, mittebant auxilia, et ex Judæa procurator gentis Antipater, cujus filium Herodem, e judicio capitali ad se confugientem in honore habuerat Sextus, Samariæque et Cavae Syriæ præfecerat. His deinde ab Roma missæ copiæ accesserunt. Sed Alehandonius Arabs Rhambæorum rex, infidi semper animi,

Joseph.

Dio.  
Strab. Dio.

cum ab utrisque vocatus esset, medio inter Apameam et Antistii castra loco consedit, et mercede se militaturum professus, plura danti Basso accessit: bonamque ei operam, quod areu perite utebantur Arabes, præstitit.

Cic. ad Att. xiv. 9. 3. Nec ideo minus ad Apameæ obsidionem Antistius redierat, magna cum spe boni eventus: donec accessiti a Basso Parthi, maximis copiis duce Pacoro affuerunt. Hi Antistium repulisse contenti, multis ejus occisis militibus, propter hyemem (nam in exitu December erat) nulla alia re gesta, domum redierunt.

Dio. 4. Ab hoc tempore res Cæcili Bassi satis firmæ fuere, robustusque exercitus, et ex victoria plenus animi: ut etiam patribus, Italicarum rerum perturbatione anxii, solatio esset. Ceterum quia Cæsaris confirmata acta fuerant, quanquam eo jam peremto, L. Staius Murcus<sup>a</sup> ex prætura Syriam provinciam habiturus, cum tribus legionibus bellum intulit Basso, supervenitque Q. Marcius Crispus prætorius et ipse cum legionibus totidem ex Bithynia. Ita duobus magnis Romanis exercitibus et equitatu firmo circumsessa Apamea, defendebatur tamen intrepide, donec in Syriam C. Cassius venit, Trebonianis militibus instructus, quos a Dolabella P. Lentulus transduxerat, et pecunia ab eodem Lentulo: nam is Trebonii quæstor fuerat.

Cic. ad Fam. xii. 14. et 15. 5. Ad hunc omnia propere concesserunt, sive propter senatusconsultum, quo parere ei omnes eæ provinciæ exercitusque jubebantur; sive propter ipsius virtutem, famamque, et amicitias. Quippe commemorare adversus singulos multa sua merita atque officia poterat: et, ubi hæc deerant, reipublicæ salus erat obtentui.

Joseph. Vell. liv. Epit. Appian. Dio. 6. Scire ipsos, quam ex præclara et potenti subito in miserrimam conditionem res Romana incidisset, ambitione paucorum, qui sublata libertate, communibus com-

<sup>a</sup> L. Staius Murcus] Murcus a Cæsare ipso adhuc vivo missus fuerat, ut colligitur ex Appiano, successor Sex. Julio Cæsari, teste Josepho. Prætor nimirum fuit eo anno qui præcessit mortem Cæsaris; Syriam obtinuit anno sequente. Ceterum scribimus L. Staius, cum Cicerone, Phil. xi. 12. Cæsare, iii. de Bell. Civ. Dione, XLVII. non L. Staius, quomodo hic prius ex quibusdam Vellii editionibus legebatur. Cree.

modis debitas curas, suam ad dominationem universas transtulissent. Esse vero tantam in hominum animis regnandi dulcedinem, ut ne Cæsaris quidem exitu perterriti, paria concupiscant. Sic Antonium, degustato sub Cæsare imperio, sic Octavianum, hæreditate avunculi et ipso nomine incitatum, patriam, amicos, famam, salutem denique ipsam cupiditatibus suis posthabere. Nam Dolabellam quidem immani audacia atque crudelitate latronem, factis ipsis omnia ab senatu populoque Romano recens concordiae causa constituta violasse: C. Trebonium Asiae proconsulem occidisse: nihil ad se pertinentem occupasse provinciam: nunc etiam in procinctu esse, ut decretam C. Cassio Syriam eripiat.

Cic. Phil.  
XI. 2.

7. ‘Se vero non ita cognitum aut domi populo Romano, aut foris sociorum cuiquam esse, ut conjunctam cum publico periculo injuriam ferat. Sibi certe, ipso illo Dolabella consentiente, ipso illo Antonio, decretam Syriam esse. Hanc se provinciam et debere obtinere, et posse. Neque hanc modo concessam sibi, sed in vicinas omnes datum ab senatu imperium esse. Neque tam adhuc evuisse sanctissimum hoc nomen, ut non ubique venerationi sit gentibus. Igitur et has copias, quibus utatur, parare isto senatusconsulto instructum celeriter potuisse: et habere certum, multos circum sponte vocantium populos regesque sibi futuros auxilio. Sed malle se Romani imperii salutem Romanis maxime copiis ducibusque defendere: atque adeo abominari illam fortunam, ut externis potissimum præsiidiis inuiti necessum sit publicæ libertatis assertores.

8. ‘Igitur se a Murco Crispoque imperatoribus, itemque a Cæcilio Basso petere, ut, positis inimicitiis, ad concordiam redeant, et ad communem omnium salutem secum administrare rempublicam occipiant. Frustra inter se pugnare, quibus esse nulla salus, præterquam in publica, possit. Jam et Octavianum sentire cum senatu, neque lenius hujus, quam consulum armis Antonium premi. Ne sibi jam aut pro Cæsare bellandum, aut contra ipsum putent, quando partes eas suo ad rempublicam reditu filius ipse Cæsaris sustulerit.’

Cic. ad  
Fam. XII.  
11.

Vell. Dio.  
Appian.  
Cic. ad  
Fam. xii.  
12.  
Dio.

9. His atque similibus causis inducti Múrcus atque Marcius Cassio tradiderunt copias; et Bassum misere cupientem retinere suos milites, reliquerunt ipsi, seque ad C. Cassium transtulerunt. Ille omnes eadem in castra contraxit. Quo tempore magnus repente imber extitisse traditur, et irrumpentes in castra portis omnibus apri<sup>1</sup> confudisse ac conturbasse pleraque: neque defuisse, qui celerem Cassio et potentiam et interitum prædici opinarentur.

Joseph.  
Antiq. xiv.  
17. et de  
B. Jud. i.  
9.

10. At Cassius, his copiis auctus, omnia circum terrebatur imperiis; gravesque exigendo pecuniarum summas, civitatibus terribilis imminabat. Tum et quatuor oppida Judææ, propter non soluta stipendia, venierunt: Gophna, et Lydda, et cum Emmaunthe Tamna. Sed et Malichum ex Judæorum principibus interfecturus erat Cassius, nisi pro eo regulus gentis Hyrcanus centum talenta<sup>b</sup> misisset.

Dio. Appian.  
Cic. Phil.  
xi. 12. et  
13.  
Dio. Appian.

Profectus enim erat in Palæstinam Cassius, uti venientem ex Ægypto legatum Dolabellæ A. Allienum occuparet. Is Alexandria legionum quatuor instar reducebat, reliquias Pompeianæ Crassianæque cladis; aut ex iis cohortibus, quas apud Cleopatram reliquerat Cæsar. Neque ausus adversus octo legiones contendere, cum exercitu in Cassii partes transiit. Hæc ante Nonas Martias acta perscripsit in Urbem Cassius ex castris, quæ in oppido Galilææ Tarichæa posuerat.

Cic. ad  
Fam. xii.  
11. et 12.

Dio.

Appian.

Cic. ad  
Fam. xii.  
12. et 13.

11. Post mensem deinde, Dolabellam in Ciliciam venire audiens, dimissis sine injuria Basso Crispoque, et si qui præterea manere gravabantur, classisque præfectura Murco tradita, eodem instituit ducere, auctus etiam equitum sagittariorum aliquo numero, qui ex Parthis, quam apud gentem fama erat clarissimus, ad eum venerant. Tum cognito classem Dolabellæ esse in Cilicia, ipsum isse Laodiceam, eodem eum omnibus copiis est profectus.

Appian.

12. Quippe Dolabella post interfectum Trebonium, tri-

<sup>1</sup> *Aprus* edd. ante Crev.

<sup>b</sup> *Centum talenta*] *Marcas* argenti nostrates 9375. Crev.



butis Asiae civitatum, classem a Rhodiis Lyciisque, atque e Pamphylia et Cilicibus, opera L. Lucilii Figuli,<sup>c</sup> mercede conduxerat: Syriamque Figulus navibus, Dolabella pedestri itinere cum legionibus duabus petebant. Animos Tarsus et Laodicea dabant, hæc inter insignes Syriæ civitates, illa Ciliciæ caput. Sed classis ad Corycum<sup>2</sup> clauso portu se tenuit, cum cam Q. Cassius<sup>d</sup> secutus esset; deinde hoc ad castra Cassii profecto, Turulius quæstor cum navibus, quas anno superiore Tullius Cimber in Bithynia compararat, cursum præcluderet.

13. At Dolabella Tarsensium, deinde Laodicenorum juventute centuriata, exercitus instar fecit: dejectaque parte muri, castra oppido conjunxit; postquam præsidio Cassii apud Ægeas, Ciliciæ civitatem, dejecto, ab Antiochiæ oppugnatione cum detrimento rejectus aliquoties, deinde desertus in itinere a plerisque militibus Asiaticis fuerat. Laodicea, in peninsula sita, præclaras a terra munitiones, a mari portum optimum habebat. Et cum ager frugum viniq[ue] feracissimus esset, commodam sane stationem atque securam Dolabellæ præstare videbatur. Sed Cassius cum decem legionibus, et cohortibus auxiliariis viginti, et quatuor millium equitatu suggestus, os Laodiceni portus obstruere<sup>e</sup> satagebat, non sacris, non religiosis parcens, quominus ex suburbanis ædificiis saxa materiamque comportaret.

<sup>2</sup> In edd. ante Crev. legitur *ad Corcyram*, quod mutavit Crev. ex Cassii Ep. ad Cic. XII. ad Fam. 13.



<sup>c</sup> L. Lucilii Figuli] Hunc Appianus vocat simpliciter L. Figulum. In epistola Cassii Q. ad Ciceronem dicitur Lucilius præfuisse classi Dolabellæ. Hinc Freinshemius effecit L. Lucilium Figulum. Quod ne pro certo amplectamur, id moræ est, quod Figulus, notante Manutio, non Luciliorum cognomen est, sed Marciorum et Nigidiorum. Crev.

<sup>d</sup> Q. Cassius] Epistola hujus Cassii ad Ciceronem inseribitur Cassius Q. quod Manutius, et post eum plerique interpretes,

exponunt Cassius quæstor; alterius nempe Cassii proconsulis. Itaque dubium est utrum Quinti prænomen gesserit. Inclinat tamen animus, ut cum Freinshemio sentiamus; cum non inusitatum apud Romanos fuerit prænomen nomini postponere. Crev.

<sup>e</sup> Os Laodiceni portus obstruere] Non hæc mens est Appiani; sed isthmum qui Laodiceam continenti littori iungebat duo stadia latus, extructo aggere, interseptum esse a Cassio. Crev.

Dio.  
Tac. Ann.  
XIII. 8.  
Dio.  
Cic. ad  
Fam. XII.  
14. et 15.  
Appian.  
Strabo,  
XVI. p.  
751.  
Appian.  
Cic. ad  
Fam. XII.  
13.  
Appian.

Cic. 14. Per hæc res angustæ fiebant Dolabellæ, jamque triticum penes eum ternis tetradrachmis<sup>f</sup> erat. Sed erant tamen adhuc solatio Laodicenæ naves, quas Cassiana moles<sup>g</sup> non satis exitu prohibebat. Mox et classis Dolabellæ supervenit. Qua confisus transmittit Aradum, pecunias et naves inde quoque coactus. Sed deprehensus cum paucis, periculum ægre vitavit fuga. Igitur Cassius, missis in Phœniciam Lyciamque et Rhodios, qui classem adducerent, nec adjutus, præterquam a Sidoniis, commisit tamen prælium, quo plures utrimque demersæ naves sunt, quinque una cum remigibus et classiariis Dolabella captas abduxit.

Appian.  
Cic.  
Appian.

Dio.  
Appian.

15. Ergo Cassius tum ad eosdem iterum, a quibus erat contemptus, tum ad reginam Cleopatram misit. Et Tyrii quidem Aradiique cum eo numero navium, quem conficere potuerant, affuerunt: parque studium Serapionis fuit, qui Cleopatras prætor in Cypro, regina inconsulta, Cassium juvit. Nam illa propter familiaritatem Cæsaris dictatoris Dolabellæ favebat; et hujus in gratiam passa erat abduci legiones ab Alieno: classemque paratam habebat, quam ei summitteret, sed ea ventis retinebatur. Pecuniam tamen grandem subministraverat. Cassio autem ne auxilium mitteret, famem pestilentiamque excusabat, quo simul utroque malo Ægyptus premeretur.

Cic. ad  
Fam. xii.  
15.

16. Rhodiorum Lyciorumque perplexius responsum fuit: 'Semper Romanam magnitudinem colere solitis nihil accidere tristius potuisse, quam quod Romanæ civitatis principes inter se collidi mutuis discordiis sentiant; nec sciri possit, utra partium justius senatus populi que Romani auctoritatem præferat. Iisdem enim vocabulis utrosque niti, nec alia nunc afferri a Cassio, quam quæ Dolabella prius asseverasset. Scire se nuper admodum, M. Marcello, Ser. Sulpicio consulibus, renovatum esse fœdus, quo eosdem cum senatu populoque Romano hostes sibi futuros jurassent. Sed ejusdem nimirum populi jussu Dolabellæ Syriam datam cognosse, cujus senatus eandem

<sup>f</sup> Ternis tetradrachmis] Sescuncia argenti nostrate. *Crev.*

<sup>g</sup> Cassiana moles] Vid. not. ad c. proxime præcedens. *Crev.*

Syriam Cassio dederit. Sane Dolabellam hostem ab senatu judicatum dici: sed ab eodem senatu, prioribus decretis abolitis, Cassium et qui cum eo sentiant hostium numero esse.

17. ‘ Non debere Romanos irasci externis civitatibus, si non satis dijudicent utrorum sit causa justior: cum inter ipsos ea de re constet nihil, armisque decidi necessum sit omnia. Nihil se potuisse aut rebus ipsis æquius, aut in nomen Romanum reverentius statuere, quam ut neutris partibus auxilium præstent ad civilia bella, seque ita gerant, ut nemo habeat adversum ipsos odii causam. Idque sibi necessarium esse propter agros, quos in continenti habeant Rhodii; qui facilius a quolibet hoste vastari queant, quam defendi vel a potentissimis sociis.

18. ‘ Audire se hoc ipsum consilium ipsis probari, qui semper existimati sint multum valere prudentia. Sane Cic. Phil. xi. 13. Dejotarum regem, cum semper fuerit Pompeianis partibus addictissimus, et ab adversis gravia damna acceperit, auxilium Cassio non mittere. Idemque ab aliis regibus Dio. Ap- pian. atque civitatibus fieri, quos nulla alia causa attineri arbitrentur, quam quia, quid sibi faciendum sit inter hæc incerta rei Romanæ fata, nesciant.

19. ‘ Neque vero recte sibi objici, quod naves Dolabellæ dedissent. Simili enim conditione et Cassio fuisse daturos, et cuilibet, dum ne hostium in numero esset. Non enim ad bellum ei concessas, sed deducendi tantum gratia: neque se scire, si his ad bellum abutatur; neque si sciant, esse probaturos. Legationes ad Dolabellam missas Cic. ad Fam. xii. 15. crimini sibi dari mirum esse,<sup>3</sup> nisi forte ad proconsulem populi Romani, denique modo consulem, legatos mitti fuerit nefas. Neque arbitrii sui, neque modestiæ esse, quos a populo Romano mitti oporteat in provincias, acquirere. Sibi putare colendos, quicumque mittantur. Aut igitur operam det Cassius, ut, quidnam voluntatis in re qualibet senatus populusque Romanus habeat, intelligi possit, aut rem tantam dijudicare nescientibus ne irascatur.’ Hæc Cic. ad Fam. xii. 14. et 15. ideo minus habebant ponderis, quod ab inimico animo

profecta putabantur, quia tunc maximos magistratus iidem gerebant Rhodi, qui ante aliquot annos Pompeium ceterosque fugientes oppido et portu non receperant.

Cic. ad Fam. xii. 13. Appian. Dio. 20. Sed Cassius jam classem luculentam, præfecto Sextilio Rufo, habebat: et a tribus aliis, quas Q. Cassius, Turulius, Patiscus, ducebant, adjuvabatur. Ergo non dubitavit denuo cum Dolabella confluere, quanquam huic Ægyptiæ naves accesserant. Sed tum quidem dubio

Appian. Marte pugnatum. Paulo post a Cassianis hac arte parata est victoria.

Cic. ad Fam. xii. 14. et 15. 21. In Lycia Sex. Marius et C. Titius legati Dolabellæ classem habuerant rostratarum, cum onerariis magnis navibus centum: hoc, Dolabellæ consilio, ut pulsus Syria, copiis in naves impositis, Italiam peteret. Sed a Lentulo quæstore Asiæ disjecta classis, onerariæque ad unam omnes captæ sunt. Cum igitur hoc genere navium abundare Cassius cœpisset, Statio Murco quasdam earum,

Dio. Frontin. Strat. iv. 7. 14. Appian. Dio. haud magni ad alia usus, attribuit; quas incensas opportuno vento in classem hostium mitteret. Ille feliciter executus consilium, et in prælio victor fuit, et in portum invectus navibus, exitum Dolabellæ penitus interclusit.

Appian. Dio. Appian. 22. Jam et a terra perfectis operibus aries admovebatur: et, nequiequam eruptione tentata, repulsus intra mœnia hostis erat. Sed resistebatur adhuc, et, ne corrumpi nocturnæ excubiæ possent, M. Octavius Marsus pervigili cura impediabat. Igitur qui interdium in stationibus erant, quieti se tradente Marso,<sup>4</sup> fecerunt proditionem, Quinto

Appian. v. p. 673. Appian. iv. quodam auctore, et per diversa parva ostia, quæ in muris ad subitas eruptiones veterum industria reliquerat, intromissus hostis est. Urbe capta, cum Dolabella suum exemplum metueret, ne, quod in Trebonio fecerat, ipse pa-

Vell. ii. 69. Appian. Dio. teretur, servo suo præbuit cervicem, caput afferre iubens Cassio, suæ salutis præmium. Ille superesse tam bono hero gravatus, cum illum jugulasset, se quoque eodem ferro interemit. Sed et M. Octavius sua manu invenit necem. Corpora sepeliri jussit Cassius, quanquam Trebonium inhumatum abjecerant. Q. Dellium, qui pactus

Senec. Suasor. I.

4 Ita ex App. emend. Crev. pro *Murco* in edd. priorr.

erat salutem, si occidisset Dolabellam, tanquam impleta conditione, inter suos habuit.

23. At Laodiceos, publica sacraque pecunia ablata, gravibusque impositis tributis, ad extremam miseriam redigit: cum et bellum multas ejus oppidi partes afflisset, et nobilissimum quemque supplicio peremisset victoria. Ceteris tamen abstinuit injuriam, militesque Dolabellæ, quanquam erant ab senatu hostes judicati, in sacramentum accepit, pœna remissa: neque postea etiam, cum mul-  
Appian. et Strabo, xvi. p. 752.  
Dio.  
 torum insidiis peteretur, quenquam eo nomine interfici passus est.

24. Sed inter cetera Dolabellæ spolia nobilem equum fuisse ferunt, singularis cujusdam et pulchritudinis et fati. Hunc se vidisse C. Bassus tradidit, Argis, ubi natus erat, ex genere illo decantato, uti constanter est creditum, Diomedis equorum, quos, occiso domino, Herculem deduxisse Argos fama ferebat; haud credibili pulchritudine, et vigore, omnibusque aliis equorum laudibus longe præstantem. Hunc Dolabella nuper, cum fama ejus adductus Argos venisset, grandi summa emerat. Sed observatum est, omnes illius equi dominos cum familia fortunisque omnibus misere disperisse. Nam primus omnium Cu. Sejus, unde et 'Sejanus equus' appellatus est, a M. Antonio capitali supplicio affectus fuerat. Et modo P. Dolabella gravi exitio erat consumtus. Sed postea quoque et Cassius interiit, et ipse M. Antonius, inter Cassianam eladem hoc equo potitus. Sed ad institutum revertor.

A. Gell. III. 9.

25. Occiso Dolabella, multi reguli tyrannique Laodiceam cum muneribus et coronis ad Cassium accurrerunt. Quos inter ab Hierosolymis Hyrcanus venerat, Herodem adducens et Malichum, qui patrem Herodis intercepisse veneno putabatur. Ideirco cum venia Cassii Herodes eum in conspectu regis sui per aliquot centuriones Romanos contrucidandum curavit. At Cassius, constitutis Syriae rebus, præfectoque cum una legione fratris filio, quos sibi fidos putabat homines civitatibus tyrannos im-  
Joseph. de B. Jud. I. 9. et Antiq. XIV. 20.  
Appian.

Joseph.  
Antiq.  
xiv. 21.  
Dio et  
Appian.

nens, quo in numero Marion Tyrius fuit, in Ciliciam proficisci statuit, inde Cleopatram, ob missa Dolabellæ auxilia, petiturus : postquam obiter Tarsenses propter favorem adversarum partium mulctasset.

26. Nam illi divisi in factiones, et unaquaque nomen civitatis obtendente suis consultis ausisque, primo Cassium, mox Dolabellam coronaverant : deinde Cimbrum Tullium, ad opem Cassio ferendam properantem, arcere transitu Tauri statuerant : mox pacti cum eo, simul pauciores habere opinione copias viderunt, excluserant oppido, neque commeatu juverant. Ille prævertendum ad majora ratus, ommissa oppugnatione Tarsi, contendit in Syriam. Interea Tarsenses, occupato quod Cimber opposuerat castello, vicinos, eoque semper invisos infestoque, Adanenses bello petierunt, Cassianos esse improperantes. Ergo, vivente adhuc Dolabella, L. Sextilium Rufum Cassius misit, a quo victi venerunt in deditionem. Cassius mille quingenta talenta<sup>h</sup> victis imperavit. Ea pecunia cum acerbe exigeretur, Tarsenses, venditis omnibus publicis templorumque ornamentis, mox etiam ingenua corpora coacti sunt addicere : multique horum servitutis tædio sibi consciverunt mortem. Huic fortunæ Cassius superveniens, misertus est hominum, et reliqua civitati condonavit.

Dio.

27. Hæc ubi Romæ sunt audita, tresviri, ne suarum partium homines concidere animis paterentur, Tarsensibus publice collaudatis, operam daturos ostenderunt, uti eadem eorum sua liberalitate ocyssime sublevarent. Iidem et Cleopatram laudaverunt ob summissa Dolabellæ auxilia, permiseruntque uti filio Ptolemæo, quem tanquam ex Casare susceptum, ne ipso quidem Casare prohibente, Cæsariem vocare solebat, regis Ægypti appellationem tribueret.

Sueton.  
Cæs. 52.  
Dio.

Appian.

28. Sub eadem tempora Cassium quoque irrupere parantem in Ægyptum, M. Bruti literæ revocarunt, triumvirorum apparatus contra se et consilia nuntiantes.

Plut. Brut.

Neque vero se parandæ seorsim potentiae causa, sed ut

<sup>h</sup> Mille quingenta talenta] Marcus argenti Parisienses 140625.  
Crev.

contra tyrannos exercitum contraherent, Italia relicta  
 longinquas regiones petivisse. Memores igitur propositi,  
 non debere longius evagari ab Italia, sed eo convertere  
 cogitationes, quemadmodum patriæ civibusque suis pos-  
 sint esse præsidio. Igitur et Parthos equites, quorum Appian.  
 opera erat usus, cum legatis et muneribus remisit ad re-  
 gem, majora simul auxilia petens, quæ, perditis demum  
 rebus, affuerunt. Interim equites a Cassio præmissi in  
 Cappadociam, Ariobarzanem, tanquam insidiatorem im- Dio et  
 peratoris sui, occiderunt, magnaque cum pecunia et cetero Appian.  
 regis instrumento ad Cassium reversi sunt. Dum ea ge-  
 runtur, M. Brutus mortibus tot clarissimorum virorum, Plut.  
 sed præcipue D. Bruti et M. Ciceronis, irritatus, ad vin-  
 dicandam tum propinqui sui, tum amicissimi viri necem,  
 scripsit Q. Hortensio, ut C. Antonium, quem haecenus  
 summa cura defenderat, interficeret. Sunt qui necatum Dio.  
 a C. Clodio Antonium tradant, timente ne per summissos  
 a Marco fratre custodia eriperetur. Sed jussu Bruti Liv. Epit.  
 fuisse satis constat, itemque ministerium Hortensii : quan- Plut. An-  
 do et hoc mortuo jam Bruto M. Antonius exprobravit, et ton. et  
 Hortensium velut inferias fratri dedit. Bruto.

# SUPPLEMENTUM

LIBRI CXXII.

HISTORIARUM

T. LIVII PATAVINI.

---

---

1. CIVILES discordiæ bellis externis eo quoque nomine pestilentiorese deprehenduntur, quod hic hostes et alienigenas timeas, tuorum fide ac benevolentia te consoleris; ibi nihil ne quidem ab intimis, nedum quibuslibet amicis, tutum est. L. Gellius Poplicola L. F. M. Messalæ frater, qui antiqua familiaritate Bruto erat conjunctissimus, et eodem apud Cassium loco fratrem esse sciebat, M. Bruto insidiatus, et, pro cetera viri elementia, ob eadem illa quæ exasperare pœnam debuerant, dimissus est. Ea quoque lenitas profuisse viro creditur, ut plures ad ejus amicitiam se applicarent.

Liv. Epit.  
Dio, XLVII.

Plut. Brut. 2. Ideirco et classem hand pœnitendam colligere in Bithynia et apud Cyzicum potuit; et, pedestri itinere provincias obiens, constituit res civitatum, litibusque regulatorum operam dedit, ea tum moderatione ac mansuetudine, tum etiam æquitate, ut et inter se omnes, et sibi amicos fidosque efficeret. Tum et Dejotarus accessit partibus, licet longa senectute morosior, qui nuper etiam Cassium auxilia petentem spreverat. Atque erat in hoc haudquaquam leve præsidium, opibus et auctoritate prævalido. Nam et adempta nuper a C. Cæsare, eade ejus cognita, suo Marte recuperaverat: et Dolabellam, fines

Cic. Phil.  
II. 37.



suos ingredi volentem, junctis cum Tullio Cimbro copiis profugarat: et filium habebat, ipsum quoque regem appellatum ab senatu, egregiæ spei atque indolis adolescentem. Cic. ad Brut. l. 6. Cic. Phil. xi. 13.

3. Enimvero Brutum, rebus in Asia ex voto succedentibus, M. Antonii conatus in Europam revocarunt. Cujus licet spes in exercitu seditionem serendi, interemto fratre Caio, in irritum reciderant; tamen verendum Bruto erat, ne qui per absentiam suam similes alii motus orirentur. Igitur in reditu per Thraciam, regionem quam sine liberis decedens Sadales populo Romano reliquerat, recepit. Inde in Bessos fecit expeditionem, ut simul maleficia horum ulcisceretur, et sibi nomen imperatoris pararet, ornamento atque utilitati futurum ad bellum, quod sibi adversus Cæsarem et Antonium post gerendum esse videbat. Et initia quidem belli adversus feram et pugnam gentem paulo duriora fuerunt: sed egregia Rhascupolidis opera victorem Brutum, votique compotem fecit. Dio. Liv. Epit. Dio.

4. Atque is, ut causam suam latius commendaret, pecuniam signari hinc imagine sua jusserat, inde pileo, libertatis indice, et duobus pugionibus, quibus se atque Cassium in libertatem <sup>1</sup> asseruisse Romanum populum, sublato domino, significaret, tempore quoque rei gestæ sic ascripto, EID. MART. Appian. Dio. Pigh. ad Ann. 711.

5. Omnes jam trans mare provincias in potestate Brutus atque Cassius habebant: neque tantummodo suppetebat otium communicandis consiliis, sed etiam necessitatem imponebat paratus prope, et mox in Græciam transmissurus hostis. Igitur Cassius e Cilicia, Brutus e Macedonia, profecti, Smyrnæ ad ordinanda futuri belli consilia coierunt, iis pedestribus navalibusque copiis, et apparatu pecuniæ, ut minime impares ad decernendum de Romano imperio viderentur. Pari honore et erat, et haberi volebat Cassius; sed detulit ei Brutus, ut crebrius ad eum ventitaret, tanquam ætate majorem, et corpore hand æque validum. Liv. Epit. Dio. Liv. Epit. Plut. Brut. Appian. Civ. l. iv. Plut.

6. Neque discessum a prioribus animis erat, quin et Dio.

1 Carent edd. ante Crev. verbis *in libertatem*.

tueri causam suam conarentur, et non nisi concordibus tantam subeundam molem scirent: apparebatque nihil esse melius, quam ut in Macedoniam cum omnibus copiis proficiscerentur, propulsaturi hostem, aut cessantem in Italia quæsituri; penes quem jam esse legiones circiter quadraginta cognoverant. Sed Cassio placebat 'Rhodios prius Lyciosque in ordinem cogi, validos classibus, adversos animis, et, si contra Cæsarem et Antonium res parum procederet, terga invasuros. At nunc, priusquam majoribus rebus distineantur, facile hos auctoritate aut vi cogi in ordinem posse.' At Brutus opus sibi pecunia esse dictitabat: 'nam ad parandam classem insumtum quod habuisset.' Nec deerant inter amicos Cassii qui dandam negarent, cum aliena invidia paratis ambitiose abusuro. Sed vicit æquior sententia, ac, jubente Cassio, ex omni præsentē copia trientem Brutus accepit.

Appian.  
et Dio.

Plut.

Liv. Epit.  
Dio.

7. Tum et M. Messalæ egregio juveni Poplicolam fratrem communi consilio condonarunt; qui venia nihilo factus melior, insidias Cassio paraverat. Sed indicium ejus rei Polla detulit, Poplicolæ mater, utrique consulere cupiens, et Cassio salutem paratura, filio veniam. Sic ille iterum absolutus, ne tum quidem retulit benefactoribus gratiam, quin ab his ad Cæsarem et Antonium per fugeret.

Dio.  
Plut. Ap-  
pian.

8. His ita ordinatis, partiti sunt inter sese, ut Brutus Lycios, Cassius Rhodum oppugnaret. Igitur gnarus cum populo rei nauticæ peritissimo rem fore, Myndum deducit classem ornatam instructamque, ac ibi remiges exercuit. Eo venerunt ab Rhodiis legati, 'neque contemni civitatem' petentes, 'quæ semper ultra sit injurias suas: neque fieri aliquid contra fœdera, quibus diserte cautum sit, ne alteruter populus ab altero bello et armis petatur. Quod si forte ob auxilia non missa succenseat, ituros Romam oratores senatus consulendi gratia: illo auctore gnaviter et benigne missuros.' Responsum est, 'verborum præterisse tempora: nunc finiendas armis controversias esse. Fœdus, quod allegent Rhodii, prius violatum ab ipsis esse, Dolabellæ partes secutis. Sed et eodem fœdere de mittendis auxiliis perscriptum esse. Ipsos a Cassio ro-

gatos illudere senatus obtentu, quem sciant oppressum per tyrannos patriæ, dissipatum atque dispersum per provincias. Sed brevi pœnas duros et illos, et illorum socios Rhodios, ni confestim imperata faciant.?

9. Hæc relata diversimode affecerunt civitatem inter se contrariis studiis opinionibusque divisam. Prudentiores, et quibus res erat, bellum Romanum haud secus atque certum exitum expavescere: vulgus per se stolidum, et periculorum ante experientiam appetens, Alexandri Mnascæque concionibus inflari, veteres civitatis laudes resonantium, 'et quanto majori numero navium petita a Mithridate, a Demetrio, regibus, invicta stetisset.' Ad hæc conspectu suæ classis erigebantur. Nam ex omni copia navium tres et triginta delectas deduxerant. Igitur cum forte creandis magistratibus comitia haberentur, Alexander factus Prytanis, quæ præcipua tum erat dignitas, Mnaseas classi præfectus est.

10. Iterum tamen ad Cassium mitti Archelaum placuit, quo magistro Cassius olim Græcis literis operam Rhodi dederat. Atque is, pro veteri familiaritate apprehensa Cassii dextra, 'Dii vero,' inquit, 'meliorem tibi mentem, C. Cassi, quam ut Græcam urbem excindas, Græcæ nationis amator; aut liberam, assertor libertatis. Sed neque Dorici nominis dignitatem contemseris, oblitus pulcherrimarum artium, quas partim Rhodi, partim etiam Romæ didicisti: Rhodi quidem, contra reges pro legibus, quarum quoque te vindicem præfers, egregia gesta; Romæ, magna erga Romanum nomen civitatis nostræ merita, eximiamque fidem, quam et Antiochi bello vobis, et multis aliis locis temporibusque Rhodii præstitimus. Et hæc quidem summam, ut in rebus notis, et adversus hominem eruditum, de dignitate generis, et originis nostræ, de intemerata hunc usque in diem libertate, de meritis, atque perpetuo erga populum Romanum studio ac prolixissima voluntate, dicta sunt.

Strabo,  
xiv. p. 653.  
Appian.

11. 'Privatim vero tecum plura esse debuerunt amicitiae benevolentiaque vincula, C. Cassi: quæ nequaquam sine probro abruperis. Rhodi educatus es, Rhodi institutus: in illa urbe ægrotus remedia valetudini, peregrinus

Dio.  
Appian.

hospitium, rudis magistros et scholam meam reperisti. Non potes harum rerum omnium, quæ mentio totam in vitam solet esse jucundissima bonis, ulla ex parte recordari, quin Rhodi memoria subeat, atque tantorum commodorum hanc tibi largitricem fuisse recogites. Atqui nostram quidem amicitiam nunc quoque tanti esse puto, ut spem mihi magnam præbeat, mea quoque causa benigniorem te Rhodiis fore; neque commissurum ut hæc ætate duarum rerum tristissimarum expectatione conficiar, ne forte aut Rhodii omnes deleamur, aut vincatur Cassius meus. Illud vero omen Dii Deæque omnes prohibessint!

12. 'Et quando me Deorum admonuit hæc mentio, precibus meis me consilium etiam addere, non ægre feres. Deorum maxime gratiam parandam esse magna et præclara molientibus semper admonui. Nunc vero etiam singulariter, pro libertate Romani nominis tanta cœptantem hortor atque oro, ut ante omnia summam tibi horum habendam esse rationem putes. His auctoribus, nihil non prospere cedit: his adversantibus, parum erit in quantilibet præsiidiis spei. Ceterum ante paucos hos annos, cum ex auctoritate Cæsaris fœdus nobiscum renovatum est, jurati dextras accepistis dedistisque. Ea fides, ea fœderum religio summæ hominibus curæ esse debet, et qui apud immortales Deos adipisci gratiam postulant, et qui retinere bonam inter homines famam: ut de utilitate jam taceam, quæ servantes pactorum atque fœderum ultro sequitur. Nam et cum his cupidissime jungunt amicitiam prudentes; et hæc deserere, quantumlibet necessitate pressi, verecundantur. At quorum suspecta aut credita levitas est, eos et ab aliis falli nec admiratur quisquam, nec irascitur. Hæc autem cum etiam inter infensissimos hostes obtinere debeant, quanto magis præstanda sunt amicis, hospitibus, alumnis? Non possum plura præ lacrymis loqui. Sed neque verborum magis hoc quam pietatis opus est: et si hæc contemnere poteris, supervacua omnis est oratio: necque enim moveare, tametsi plurima et gravissima proferantur.'

13. Hæc largo cum fletu prolocutus senior, adeo commovit Cassium, ut præ verecundia colorem mutaret.

Educta tamen ex Archelai manibus dextra : ‘ Si persuadere Rhodiis noluisti ut abstinerent injuriam a nobis, mihi suadere non debes ut acceptam ulcisci supersedeam. Sin vero hæc agentem audire neglexerunt, pœnas ab his expetam, a quibus contentus es. Ubi vero erant illi Rhodii, gens studiosa libertatis, amicitiae tenax, hospites, magistri et educatores mei, cum nuper auxilia petentem rejecerunt? At Dolabellæ miserunt naves, qui nec educatus ab his, nec eruditus est, et libertatem conabatur opprimere, quam ego et Brutus cum aliis principibus defendimus.

14. ‘ Neque vero prodest Rhodiis hic color, quasi misceri nolint civilibus Romanorum armis. Essent civilia, si nos quoque faceremus partes, et nostram ad potentiam res trahere conaremur. Nunc ubi aperto bello hinc republicam stare, inde tyrannos intelligitis; frustra positus a nobis oratisque libertatem, pro qua nobiscum propugnare contaminari. Adeone vos tot clari viri, amici plerique hospitesque, a quibus defensi semper, a quibus ornati estis, nihil commovent, indicta causa condemnati, proscripti, exuti bonis, ejecti patria, vita ac luce depulsi, ut succurrere nolitis populo Romano, cujus societatem atque amicitiam jactare non desinitis?

15. ‘ Sed enim senatus prius vobis exploranda voluntas est. Scilicet ejus, quem præclare scitis vi obsessum oppressumque sententiam suam non audere profiteri. Quod si vero discere vobis curæ sit, quid liber et suæ potestatis senatus censeat, senatusconsultum introspicite, quo mihi Brutoque opem ferre socii amicique omnes jubentur. Tu vero, si quid unquam a Rhodiis profectum est in Romanos officii, diligenter meministi: præmia, quæ vobis abundantissime sunt reddita, præteris. Quid autem vobis prodesse possunt benefacta majorum, si dissimiles his esse pergitis? Juverunt illi rem Romanam. At vos deseritis, cum maxime opus bonis fidelibusque sociis habeat republica. An non, siquidem Dorienses censi magnum est, subvenire pulcherrimo imperio, nunc sub iniquorum civium maleficiis laboranti, vos oportuit; et vel hinc ordiri amicitiam, etiamsi nulla vobis antiquitas cum nomine

Strabo,  
xiv. p. 653.  
Appian.

Romano fuisset? Vos autem ita vos geritis, tanquam adhuc a Telchinibus incoletetur insula; ne forte oblitum Rhodiæ historiæ putes. Sed ista quidem mitto.

16. 'At quia provocatis ad fœdus quod auctore Cæsare, qui et dominationis fuit auctor, factum est; an non eo ipso continetur, Romanum Rhodiumque populos, uti cuius opus esset, invicem auxiliari debere? Quin igitur adestis hoc tempore summo in periculo constitutis? En adsum C. Cassius, Romanus certe, nec civis modo, sed, si qua senatusconsultis fides est, imperator; et ex lege fœderis auxilia postulo. Easdem vobis fœderis leges M. Brutus, easdem Sex. Pompeius ingerunt, præfectus a senatu maritimæ rei. Accedunt senatorum preces, qui ad me, et Brutum, et, hunc quem dixi, Pompeium ex Urbe confugerunt. Tot et talibus viris suppetias ire negabitis, qui ex formula fœderis ad auxilium vel uni cuius Romano ferendum tenemini? Sin vero hos tantummodo qui nunc Romam urbem obtinent, Romanorum loco; nos pro exulibus et peregrinis habetis: at vos Romana fœdera objicere nobis desinite. Serventur ea inter quos scilicet convenerunt. Interim, Rhodii, nisi sponte imperata facietis, ab his exulibus atque peregrinis justo pioque bello petemini.'

Dio.

Appian.

17. His ab Archelao Rhodi expositis, Alexander et Mnaseas, cum illa, quam prædiximus, classe, Myndum adnavigarunt, tanquam hac audaciæ ostentatione Romanos territuri: compedesque magno numero monstrarunt eminus, tanquam captivos plurimos in potestate mox habituri: hinc, quia portu se Romana tenebat classis, Gnidum petierunt.

18. Postridie, cum pari contemtu Rhodii adessent, L. Staius Murcus contra eduxit naves; certatumque est acriter, patrias utrisque artes gnaviter adhibentibus. Quippe Rhodios nemo tum æquabat nauticæ rei peritia: Romani contra lacertis et robore nitabantur. Hos numerus et magnitudo navium adjuvabat, quæ neque rostrorum ictibus cedebant temere, et ferreis injectis manibus, cito redegerant hostes a discursando ad statariam pugnâ. Igitur, duabus Rhodiorum navibus depressis,

tribus cum ipso remigio captis, ceteræ male mulctatæ Rhodum refugerunt. Hanc pugnam ex promontorio spectavit Cassius, neque moratus diutius, quam ad reficiendas naves opus erat, Loryma petiit, Rhodiorum castellum oppositum insulæ. Inde pedestres copias onerariis navibus transiecit, ducibus Fannio et Lentulo. Ipse Cassius in naves se contulit, ut terra marique Rhodus oppugnaretur.

OROS. VI.  
18.

19. Neque defuit his audacia iterum tentandæ pugnae, quanquam semel jam superati, cum multo paucioribus navigiis adversus octoginta rostratas dimicarent. Sed tum quoque victi sunt, duabusque navibus amissis ad urbem compulsi, cujus mœnia mox armatis compleverunt, undique propugnantes. Nam et a mari turres plicatiles navibus advectæ erigebantur. Hoc terrore, quod in civitate sanum erat, colloquia cum Fannio Lentuloque de pace habebant; cum subito conspectus est in oppido Cassius, neque scalis superato muro, neque ulla externa vi adhibita. Reclusas ab amicis ejus et educatoribus portulas, quæ multæ in mœnibus erant, creditur, timentibus, ne vi capta Rhodus omnino dirueretur.

Appian.

Dio. Ap-  
pian.

20. Sed ipse tanquam sine exceptione victor, licet 'regem et dominum' appellantibus, 'neque regem se neque dominum esse, sed interfectorem regis atque domini,' respondisset, hasta sub tribunali proposita concessit: interdicto severe militibus, 'ne quis corporibus aut rebus Rhodiorum injiceret manum.' At ipse quinquaginta nominatim citatos, ex auctoribus belli Rhodiis, duci ad supplicium jussit: quinque et viginti, quos negabant comparere, damnavit exilio: pecuniam publicam omnem ad se comportari præcepit, ne sacra quidem, et donariis Deum abstinens: orantibusque Rhodiis, ne cunctis numinum simulacris spoliarentur, 'Solem a se relinquere' respondit: intactum enim nihil præter curram ejus Dei siverat. Sed ea vox ominosa paulo post est habita, tanquam celeriter luce cariturum præsentientis.

Plut. Brut.

Appian.

Dio.  
Euseb.  
Chron.  
Val. Max.  
1. 5.  
Dio.  
Val. Max.

21. Sed et edictum proposuit, 'uti quod quisque privatim auri argentei possideret, intra dictam diem proferret,' morte celantibus denunciata, indicibus promisso

Plut. Ap-  
pian.

- præmio: servis libertatem, liberis decimas constituerat. Multi tamen occultandis rebus suis perstiterunt, plura minari Cassium, quam facturus esset, existimantes. Ceterum ubi ex edicto pœnas mercedemque decerni viderunt, prorogari diem postulantes, ex puteis et foveis, ubi rerum pretiosissima condiderant, tantam opum vim attulerunt, ut octo millia talentorum<sup>a</sup> inde confecta referantur. Neque his contentus, quingenta insuper talenta imperavit civitati, præsidioque imposito, L. Varum ibi reliquit.
- Plut. Appian. Vell. II. 69. Appian. 22. His rebus alacer Cassius, ausum enim immanis operis celerrime confecerat, Asiæ quoque tributum ingens imperavit, decuplum ejus, quod pendere quotannis consuevisset: idque statim exegit. Dum in his occupatus est, valida classis ab Ægypto navigare ad hostes nuntiatur, mittente Cleopatra; quam et amicitia illarum partium, et recens a Cassio metus, ut potius ei negotium alibi faceretur, acerbis stimulis impulerat. Itaque Murex cum sexaginta navibus, et fortissima legione, atque aliquo numero sagittariorum, occurrere ad Tænarium Peloponnesi promontorium jussit, ut illius maris transitum opportuna statione custodiret: ei quoque peninsulæ non satis æquus, quam incursionibus, et abducta, quanta poterat, præda vexaverat.
- Plut. 23. Multo ubique lenior Brutus, sub eadem tempora Lycios conferre pecuniam et dare milites jusserat. Sed illi, Naucræte quodam impellente populum, objecerunt arma, tumulosque nonnullos arcendi transitus causa inderunt. In hos dum cibum capiunt impetu facto, Brutus per equites suos interfecit ad sexcentos; simulque cum fugientibus irrupit castra. Tum ad castella et oppida circumlato bello, plerisque deditioe potitus, præsidarios sine pretio dimisit incolumes.
- Dio. Plut. 24. At illi non tam delimiti beneficio, quam infensi ob illata damna, Xanthum se contulerunt hostilibus animis, quod oppidum tota Lycia maximum, summa ope ad re-
- Strabo XIV. p. 665. Appian.

<sup>a</sup> Octo millia talentorum] Marcæ Quingenta talenta. Marcas 46875. cæ argenti nostrates 750000. Crev.



sistendum se parabat. Suburbii enim dirutis, ne receptaculum hosti, neve materiem ad opera præberet, fossam circum urbem duxerant pedum in altitudinem quinquaginta, et pro portione latam; cujus e margine in adventantes jacula et sagittas torquebant, tanquam profundo flumine et vadari nescio diremti. At Brutus, quamvis e longinquo petenda erat materia, tam fuit in oppugnatione diligens, ut, qui multorum mensium futurus credebatur labor, paucis diebus conficeretur. Partitus enim copias in diurnam nocturnamque operam, ut parte dimidia pugnantem, reliqui interquiescerent, penetravit ad mœnia portasque: et, quia recentes subiude fessis succedebant, oppidanos, quibus haudquaquam eadem erat copia, ad extremum discrimen adduxit.

25. Repugnabant illi tamen, donec pinnæ turresque steterunt: sed ubi sunt ab his destituti, una reliqua spes atque contentio fuit, si quam fugiendi reperire viam possent. Annis præterfluebat urbem, eodem atque illa nomine: sub hoc quidam urinando conabantur evadere. Sed excepti sunt retibus, sub aqua in transversum tensis, quibus appensa in summo tintinnabula, ut quis inciderat, capturam significabant.

26. Postremo omnium eruptio placuit. Quod ubi Brutus nuntiis, aut rebus ipsis proditum est, reduxit a portis milites, ut spatium concederet. Id Xanthii negligentiam interpretati, noctu eruperunt cum ignibus, quos injicerent machinis. Vehemens inde certamen ortum. Sed Bruti milites, facto per incendium impetu, nudum Xanthiorum agmen, neque enim præter faces et tela quicquam extulerant, disjicere, multis interentis, quia metu ne simul irrumperet hostis, clausum oppidum fuerat.

27. Et hos quidem hunc ad modum oclusa porta, reliquos aperta prodidit. Namque sub meridiem eruperunt iterum, incensisque machinis, oppidum repetierunt, libero relicto, propter priorem casum, aditu. Igitur, confertim irrupentibus Romanis, oppidum capiebatur, nisi repente funibus ruptis cataracta decidisset. Duo millia ferme intraverant. Ii cum premerentur a Xanthiis, neque subducere sine funibus gravem portam, neque con-

cidere tectam ferro possent,<sup>b</sup> multis amissis, in ædem Sarpedonis penetrarunt, ejusque munimento se tuebantur.

28. Sed anxius de his Brutus omnia tentando diversis aditibus invenit viam. Alii, scalis incendio amissis, subito fabricabant novas: alii antennas<sup>c</sup> admoventes mœnibus, per eas surrepebant: nonnulli uncos restibus ejaculantes in murum, ubi forte quis adhæserat, attollebantur. Cœnoandenses, vicini Xanthiis, et plerumque discordes, notitia locorum, per abruptas rupes enitebantur, Romanis etiam quibusdam sequentibus. Sed laboriosus ascensus fuit, multique, fallente vestigio, in præceps lapsi perierunt. Eodem tempore quidam eorum qui muros transcenderant, portulam quandam aperuerunt, ante quam vallum erat exstructum præacutis sudibus. Super eas audacissimus quisque transcendentium, sublevatus a commilitonibus, evadebat; donec numero jam multi portam, quæ intus ferro non erat munita, diffringere cœperunt. Accendebantur enim periculo suorum, invadi hos a Lyciis arguente clamore. Igitur cum intus forisque idem plurimi summo conatu agerent, effracta porta dissiluit: ad quod spectaculum ingens sublatus clamor gestæ rei pugnantibus indicium fecit, diremitque certamen.

29. Interim ignis a machinis ad propinqua mœnia devolutus, pinnas et, his conjuncta, ædificia comprehendit. Idecirco Brutus perniciem oppidi timens, extinguere a militibus flammam jussit. Sed hæc ab oppidanis ultro augebatur, picem, sarmenta, quicquid alendo igni reperiebatur, cupide injicientibus. Bruti potius hanc patriam esse putares, cum deleteretur a suis, ab hoc defenderetur. Ille et

<sup>b</sup> *Neque concidere tectam ferro possent*] Atqui illa porta intus ferro tecta non erat, ut observatur e. seq. Sed nec Appianus, quem hic auctorem sequitur Freinshemius, portam concidi potuisse negat ab iis Romanis qui in urbem penetraverant, sed ab iis qui cum foris essent, suis urbe inclusis auxilium ferre saggebant. Hos ergo porta ex-

trinsecus ferro munita arcebat. *Crev.*

<sup>c</sup> *Antennas*] Quas nempe e navibus sustulerant, ut, iis ad murum admotis, tanquam admittentibus quibusdam in altum eniterentur. Sic exponit Lipsius Græcum vocabulum *κεφαλαι*, quod interpres Appiani vertit *cervos*, non satis ad rem præsentem accommodate. *Crev.*

Lips. Po-  
liorc. 11.  
Dial. 2.  
Appian.

Plut.

in urbe, et, quia propter tumultum incendiumque nihil profici poterat, egressus porta, murosque circumvehens, tendebat ad Xanthios manus, 'sibi parcerent, seque et oppidum servarent.'

30. At illi fatali rabie tela incendium extinguentibus ingerebant. Postremo, clausis domibus, se parentesque et liberos occiderunt. Alii, nec firmior tantum ætas, sed parvi pueri atque puellæ, insiliebant in ignem, aut in præceps demittebant corpora: pars jugulum præbentes paternis ensibus, in libertatem asseri postulabant. Relatum etiam ad Brutum est, mulierem conspici pendentem ex laqueo, quæ parvulum infantem e collo suo suspendisset, altera manu adhuc teneret facem ardentem inflammandarum ædium gratia raptam. Id videre non sustinuit Brutus; sed illacrymans, præmium pronuntiarum iussit in milites, si quis Xanthium conservasset. Sed illi, jugulatis suis omnibus, et in rogos conjectis, super incensam lignorum struem se transfodere malebant. Igitur summa Bruti cura vix ad templa quædam servanda profuit. Homines quidem ingenui centum quinquaginta superfuisse traduntur, molliores ceteris, et amantiore vitæ.

31. Sic Xanthii perierunt pro libertate, majores æmulati, quorum par pervicacia autea quoque patriam civium manibus perdidit. Ab Harpago certe oppugnati, regis Cyri præfecto, ne Persicam servitutem paterentur, incendio et ruinis oppidi se tumularunt. Idemque iterum accidisse Appianus tradit, Alexandri bello Persico. Sed Arrianus et Diodorus, quibus credere malis, ille Xanthios venisse deditione in fidem scribit; Diodorus, Lyeiis quidem, sed Marmarensibus nescio quibus, eandem ferociam exitumque fuisse.

32. Xantho capta, Brutus ad Patara descendit, quod oppidum videri navale Xanthiorum poterat. Sed vim admovere contabatur, eandem in his recordiam metuens, quam expertus in Xanthiis esset. Idcirco prius captivos in conspectum eorum adduxit, hortaturos, ut sua elade admoniti saniora consilia capesserent. Quin et nonnullos necessariis suis dono dedit. Cum nihil responderetur, concessa ad deliberandum reliqua parte diei, adduxit copias.

Dio. 33. Postridie rursus affuit, et quam proxime muros constituta catasta, captivos in conspectu oppidanorum cœpit vendere: et ne sic quidem motis Patarensibus, ceteros omnes sine pretio dimisit. Erant in eo numero fœminæ quædam Patarensium: quæ ubi viris atque propinquis suis lenitatem atque moderationem Bruti diligenter exposuerunt, eo res adducta est, ut qui modo extrema maluerant, aperirent portas, seque et sua omnia in fidem potestatemque Bruti contraderent.

Plut. Appian. 34. Atque ille neminis aut supplicium aut fugam jussit: sed, recepta quæ in publico erat pecunia, edictum simile Cassiano proposuit, de conferendo a privatis auro argenteoque. Forte quidam a servo proditus aurum abdidisse, ad Brutum ducebatur. Eum ut eriperet mater, cum clamore sequebatur, 'innocenti negotium exhiberi, se criminis ejus ream esse.' Tum conversus ad eam servus, quanquam interrogatus non esset, coarguere mendacium cœpit, et aurum a domino celatum asseverare. Hæc ubi renuntiata Bruto sunt, juvenis patientia, matronæ pietate collaudata, abire cum auro suo incolumes, servum improbum in crucem tolli jussit.

Dio. Appian. Plut. Appian. Plut. Pomp. et Brut. 35. Inter hæc, missus cum parte classis Lentulus, Andriaca, quod navale Myrensiū est, rupta, quæ portum claudebat, catena, cepit, Myrensiū prætorē simul deprehensō. Et hunc dimitti Brutus jussit: eoque pacto Myra quoque recepit in deditionem: ubi, similiter exacta pecunia, Lentulus ad imperatorem rediit. At ille, recepta omni Lycia, communique Lyciorum non amplius centum quinquaginta talentis<sup>d</sup> imperatis, classem eorum Abydi præstolari jussit, quo et ipse pedestres copias erat adducturus, ut inde Sestum transmitteret. Prius tamen deflectit in Ioniam, instituti sui tenax, et ubique justitiæ atque moderationis edens præclara specimina. Sed nihil fuit hominibus supplicio Theodoti gratius, quem, propter Pompeium Magnum hoc auctore interfectum, communiter omnes erant perosi. Hunc igitur, dum ceteri puniuntur a Cæsare, fuga creptum ex Ægypto, et per Asiam vagabundum, corripit Brutus, excruciatumque necari jussit.

<sup>d</sup> Centum quinquaginta talentis] Marcis argenti nostratibus 14062, unciis 4. *Crev.*

36. Inter hæc, et Cassius Rhodo subacta in continen- Dio.  
tem redierat. Hunc accessivit Brutus Sardes, venienti- Plut.Brut.  
que cum amicis occurrit. Magna ejus diei species fuit,  
cum tanti exercitus starent in armis, et propter res bene  
gestas, utrumque pariter imperatorem concordibus voci-  
bus salutarent. Sed ipsi statim a via, colloquendi causa, Dio.Plut.  
diverterunt in conclave quoddam, semotis arbitris. Nam,  
ut inter viros tanta potentia subnixos, multisque ducibus  
et amicis stipatos, suspiciones ortæ erant.

37. His ultro citroque proferendis, in contestationes et  
objurgationes ibatur, fletumque audire erat, et vehemen-  
tiores interim voces: ut magno in metu pro foribus amici  
utriusque essent, quibus, ne injussu ingrederentur, acriter  
interdictum erat. Sed ad extremum M. Favonius,  
M. Catonis ineptus imitator, quanquam prohibentibus  
ministris irrupens, recitatis Homeri versibus,<sup>e</sup> quibus  
Nestor 'parere sibi natu minores' jubet, Cassio risum,  
Bruto iram movit; isque exesse jussit inscitum canem, et  
adulterinum canem, Græcis verbis hunc in sensum con-  
viciatus.

38. Tamen ille finis altercationis imperatoribus fuit:  
et ad cœnam Cassii Brutus amicique ejus comparue-  
runt. Tum et Favonius affuit, et cum supremum in  
lectum rejiceretur a Bruto, neitiquam invitatum testan-  
te, magna contentione corporis contra repellentes usus,  
in medio se reposuit.

39. Postridie virum prætorium L. Pellam, postulanti-  
bus repetundarum Sardonis, damnavit Brutus publice:  
momorditque ea res Cassium, quia non ita pridem ipse  
duos ex amicorum cohorte paris criminis compertos, pri-  
vatim admonuisse contentus, palam absolverat. Objecit  
igitur hoc Bruto, atque amicis utendum monuit indulgen-  
tius, ni deseri velint. Contra Brutus Idus Martias testa-  
batur: 'neque ideo intererunt Cæsarem, quod ipse per  
se læderet singulos, sed quia hoc agentium robur præsidi-  
umque esset. Quod si ita sit agendum, tolerari Cæsarem  
præstitisse. Tunc enim,' inquit, 'una vobis herere pot-

<sup>e</sup> *Homeri versibus*] Immo, Ho- πῖθεσθ' ἄμφω δὲ νεωτέρω ἐστὸν  
merico versu, Iliad, l. 1. Ἄλλὰ ἐμείο. Crev.

erat ignaviae nota : nunc si eadem committamus, cum tot laboribus ac periculis injustitiae crimen sustinebimus.' Hinc apparet animus Bruti, et quid in nece Caesaris spectaverit. Alia Cassio mens erat, qui acer et belli peritus, sed asper ira, potentiam magis et metum, quam aequam omnibus libertatem querebat. Idem inter familiares solutus erat risu et dicax.

40. Contra Brutum vulgo carum, amicis dilectum, optimo cuique admirationi, ne hostibus quidem invisum fuisse tradunt : quia mire lenis, magnanimus, irae, voluptati, avaritiae inexpugnabilis, verum atque honestum indeclinabili constantia sectabatur. Igitur etiam ex Antonio multos audivisse ferunt, eum dicere consuevisse, 'solum Brutum virtutis et honesti specie motum ad inferendam Caesari necem ; ceteris omnibus alia proposita fuisse.' Sed neque vulgo dubitabatur, unum hunc bono animo descendisse ad civilia arma. 'Nam neque Pompeio victori<sup>2</sup> mansuram fuisse modestiam, quin ille consulis, aut dictatoris, aut cujus alius magistratus nomine, perpetuam dominationem retineret : et hunc ipsum Cassium, nihilo Carbonibus et Mariis et Cinnis meliorem,<sup>f</sup> saepe ab honesto ad utilitatem flecti, neque communem salutem magis, quam privatae potentiae rationes respicere.'

Tac. Hist.  
II. 38.  
Plut.

41. At Brutum animo quam opibus nisum fuisse, vel ipsius epistolae doceant, vicino jam discrimine compositae. Nam ad Atticum scribit, 'nunc equidem esse res suas in pulcherrimo statu. Nam aut victoria libertatem populo Romano comparaturum, aut morte sua confirmaturum sibi. Et cetera quidem in incerto ; unum haud dubiae veritatis esse, aut victurum se liberum, aut moriturum. M. Antonium autem meritis vecordiae poenas pendere, qui cum censi cum Catonibus Brutisque et Cassiis potuisset, Octavianum vilis accessio esse maluisset, quem et

2 Victore edd. ante Crev.

<sup>f</sup> Cassium, nihilo Carbonibus et Mariis et Cinnis meliorem] Haec non ex sua mente disputat Plutarchus. Ipse enim, eo loco ubi de initiis conjunctionis in Caesarem agit, in eadem Bruti vita, eorum opinionem refellit qui Cassium non tyrannidis, sed Caesaris odio motum fuisse memoraverant. Crev.

ab se præsens maneret periculum, et, si hoc vitasset, aliud expectaret ab ipso Octaviano gravius.' Et in his quidem Brutus atque Cassius erant.

42. Romam<sup>g</sup> miserandum in modum vexare non desistebant tresviri. Novus etenim annus,<sup>h</sup> quo M. Æmilius Lepidus iterum, ex fœdere triumvirali, L. Munatius Plancus, pridem a Cæsare designatus, consulatum gesserunt, novam proscriptionem attulit, non quidem in capita, sed in fortunas civium: \* eamque ut mitiorem per se, ita latius patentem, cum ab hac injuria ne infirmior quidem sexus immunis fuerit. Tributa jam partim ex longa vetustatis desuetudine relata fuerant, partim nova constituta. Edictum fuerat, quantum quisque pecuniæ ex agrorum modo, ex servorum numero, conferret. Sed et hæc, et proscriptorum bona, quoniam qua violentia rapiiebantur, eadem profundebantur libidine, aut licentia militari diripiebantur, tantum aberant ab eo ut tresviros explerent, ut illi in concione ad populum testati sint, sibi ad bellum sumtus octies millies<sup>i</sup> etiamnum opus esse. Itaque, cum in omnes partes versarent animum, pecuniasque sibi undeunde extricandas statuerent, tandem ad inauditum autea consilium decurrerunt, ut tabula proposita mille et quadringentiarum mulierum, quæ ditissimæ haberentur, nomina proscriberent, juberentque eas profiteri bona, et inde in sumtus belli conferre quantum ipsi edixissent: gravi imposita pœna, si quæ quid celaret aut mala fide æstimeret; et præmiis in indices, sive liberos, sive servos, pronuntiatis.

43. Illæ autem, nova re atque atroci percitæ, non tamen sibi defuerunt. Sed, in malis licet, decoris matro-

<sup>g</sup> Romam] Hic quædam omiserat Freinshemius memoratu digna, quæ supplenda nobis esse duximus, et suo loco inserenda. Hoc igitur caput et octo sequentia a nobis adjecta sunt. Omissa autem hæc esse a Freinshemio per incogitantiam, non consulto neglecta, patet ex eo quod mentionem harum rerum facit in oratione Cassii ad milites, l. seq. c. 20. Crer.

<sup>h</sup> Novus . . . annus] Forsitan aliqua pars rerum gestarum Cassii et Bruti, quæ hoc et superiore libro memorantur, in hunc annum excessit, quo M. Lepidus iterum cum Planco consul fuit. Sed nulla satis certa nota earum tempora apud veteres scriptores distincta reperimus. Crer.

\* A. U. C. 710. A. C. 42.

<sup>i</sup> Octies millies] Marcus argenti nostrates 3125000. Crer.

Dio.

Supra,  
cxxx. 19.Supra,  
cxvi. 83.  
Dio.

Appian.

Dio. Ap-  
pian.

Dio.  
Appian.

nalis memores, primo adeundas sibi existimaverunt propinquas triumvirorum mulieres. Ac sororem quidem Cæsaris Octaviam, (nam mater Attia paulo ante obierat,) et matrem Antonii Juliam, propitias faventesque nactæ sunt. Sed ab impotenti muliere Fulvia, Antonii conjuge, repulsæ, non tulerunt ignominiam: ac statim in forum ad ipsos tresviros progressæ, discedente, præ verecundia majestatis earum, populo, atque etiam satellitibus, illatas sibi injurias in hunc modum, Hortensia verba faciente, conquestæ sunt:

44. ‘ Quod fœminas decebat vobiscum expostulaturas, primo ad propinquas vestras confugimus. Quod vero non decebat, a Fulvia passæ, et rejectæ ab ea, in forum ad vos accedere invitæ cogimur. Quid tandem fiet? Ademistis nobis parentes, et filios, et maritos, et fratres, quod eos vobis iniquos fuisse arguebatis. Si igitur bona quoque nobis eripueritis, ad indecoram nos et generi nostro, et moribus, et ipsi etiam sexui vivendi conditionem adigitis. Si nobis, itidem ut viris, hostilis in vos animi crimen impingitis, nostra quoque capita proscribite. Sin neminem ex vobis hostem fœminæ judicavimus, neque ædes vestras evertimus, neque aut exercitus abduximus a vobis, aut in vos immisimus, nec denique vobis impedimento fuimus, quominus concupitos honores et imperia teneretis, quo tandem jure in pœnarum partem expertes culpæ vocamur? Cur tributis gravamur, quibus vobiscum de honoribus, aut imperiis, magistratibusve, aut de republica denique, quam invadere per tot mala, tot cædes, ardetis, nullum est nec potest esse certamen?

45. ‘ Instant nimirum bella! Quando autem bella defuerunt? In quæ tamen nunquam mulieres conferre coactæ sunt, ab omnibus gentibus eam quam ipsis natura tribuit immunitatem adeptæ. Matres olim nostræ, cum, Pœnis prementibus, non de imperio magis quam de salute communis patria certaret, supra conditionem sexus republicam opibus suis juyerunt; at volentes, nec ullis coactæ imperiis; at non ex rusticis urbanisve prædiis, non ex dotalibus pecuniis, sine quibus non est ingenuam vitam degere, sed ex solo muliebri mundo: at non æstimatis



bonis, non sub indicum delatorumve calumniis, nulla denique aut vi aut necessitate, sed per voluntariam plane liberamque collationem. Vos quid imperio, quid patriæ timetis? Si, quod Dii omen avertant! aut Parthi, aut Galli huic Urbi infesti minarentur, non nobis maternorum exemplorum indoles deesset. Ad civilia bella absit ut opes conferamus, aut ad mutuas vobis cædes auxilio simus. Nec bello Pompeiano ulla exactiones tulimus: non Marius nobis, non Cinna hoc oneris injunxerunt; non denique Sylla, oppressor reipublicæ, quam vos scilicet constituitis.<sup>7</sup>

46. Hæc dicente Hortensia, indignabantur tresviri, si, cum viri tacerent, fœminæ eo provererentur audaciæ, ut palam in foro concionarentur, et rationem a se reposcerent, et viris operam sibi in bello navantibus, ipsæ ne pecunias quidem contributorent. Itaque summoveri eas per liectores jusserunt. Verum exortus clamor circumstantis multitudinis et cohibuit liectores, et tresviros ipsos coëgit molliore responso populi indignationem deprecari, totamque rem in posterum diem rejicere.

47. Nec tamen incepto abstiterunt, omni jam pridem pudore per scelorum assuetudinem exuto: numerum tantum imminuerunt, et pro mille et quadringentis, quadringentas solas proscripserunt: simulque edictum est de viris, ut quicumque supra quadringenta millia<sup>k</sup> possideret, civis, peregrinus, libertus, sacerdos, cujuscunque gentis, nemine excepto, bona profiteretur, iisdem pœnis, si quis contra faceret, præmiisque in indices pronuntiatis; atque ex facultatibus suis quinquagesimam tribusviris partem fœnori commodaret, ac præterea unius anni reditus<sup>l</sup> ad bellum conferret. Dio decimas ab omnibus locupletibus, et quidem, proscriptis eorum in tabula nominibus, exactas esse scribit, atque ita ut decimæ imperarentur verbo, re autem ipsa vix decimæ possessoribus relinquerentur. Cum enim ipsi æstimare bona sua juberentur, variis postea calumniis, quasi non bona fide professi, eo usque vexabantur

Dio.

<sup>k</sup> *Quadringenta millie*] Sester-tium. Marcas argenti nostrates 1562. uncias 4. *Crev.*


<sup>l</sup> *Reditus*] Vox Græca *φόρον* potest quoque exponi *tributum*. *Crev.*

donec omnia amitterent. Postremo servos ad remum vel dare de suis, vel, si non idoneos haberent, emere coacti sunt. Senatoribus quoque curatio viarum ea lege imposita, ut hoc etiam onus suis sumtibus sustinerent: adeo ut urbani omnes exuti facultatibus, soli militares viri immensum in modum opibus aucti fuerint.

48. Neque enim illis aut stipendia, aut imperatorum præmia sufficiebant, aut pro cædibus proscriptorum numeratæ pecuniæ, aut denique occisorum bona ipsis vilissimo pretio ad triumviralem hastam addicta. Cum enim intelligerent sibi obnoxios esse duces suos, qui raptam armis dominationem nullo modo poterant, nisi armorum ope, retinere, nullum aut insolentiæ, aut aviditati ponebant modum, indignioraque ultro, quam quæ jubebantur, in miseros cives exempla edebant. Interficiebant enim non prosriptos, et diripiebant eorum ædes quibus nihil molestiæ exhiberi voluerant tresviri. Ab ipsis quoque proscriptorum petebant domos, aut agros, aut villas, aut census universum; aut adoptari volebant a senibus orbis, quibus amplæ possessiones essent. Postremo eo protervia et impudentia militaris processit, ut repertus fuerit qui auderet ab ipso Cæsare, Attiæ matris, quæ tum mortua et publico funere elata fuerat, bona poscere.

49. Quæ licentia cum jam iis quoque gravis esset, qui eam excitaverant et aluerant, negotium dederunt tresviri uni e consulibus, ut in eos animadverteret qui cædes et rapinas, ultra quam ipsis imperatum fuerat, exercuissent. At ille non ausus milites attingere, servos quosdam, qui militibus immixti pari cum iis cultu multa peccaverant, comprehensos suspendi jussit. In illa colluvie rerum, virgo Vestalis quædam sub noctem a cæna rediens domum, cum, quæ esset ignoraretur, vim passa fuerat. Ex hac unius Vestalis injuria quæsitus est sacerdotio ipsi honos ac præsidium, datumque Vestalibus ut singulis lictoribus uterentur.

50. Inter tot atrociam, cum tot clarissimorum civium sanguine Cæsaris manibus tresviri litarent, divinos quoque in eum honores omnes variis decretis congesserunt: quæ, extorta per vim, et impia adulatione propudiosa, ne fasti-




The first part of the report is devoted to a general  
 description of the country and its resources. It  
 is followed by a detailed account of the  
 various industries and occupations of the  
 people. The third part of the report  
 contains a list of the principal towns and  
 villages of the country. The fourth part  
 contains a list of the principal rivers and  
 streams of the country. The fifth part  
 contains a list of the principal mountains and  
 hills of the country. The sixth part  
 contains a list of the principal lakes and  
 ponds of the country. The seventh part  
 contains a list of the principal forests of  
 the country. The eighth part contains a  
 list of the principal minerals of the  
 country. The ninth part contains a list  
 of the principal animals of the country.  
 The tenth part contains a list of the  
 principal plants of the country. The  
 eleventh part contains a list of the  
 principal birds of the country. The  
 twelfth part contains a list of the  
 principal insects of the country. The  
 thirteenth part contains a list of the  
 principal fishes of the country. The  
 fourteenth part contains a list of the  
 principal reptiles of the country. The  
 fifteenth part contains a list of the  
 principal mammals of the country. The  
 sixteenth part contains a list of the  
 principal birds of the country. The  
 seventeenth part contains a list of the  
 principal insects of the country. The  
 eighteenth part contains a list of the  
 principal fishes of the country. The  
 nineteenth part contains a list of the  
 principal reptiles of the country. The  
 twentieth part contains a list of the  
 principal mammals of the country.

The second part of the report is devoted to a  
 description of the various industries and  
 occupations of the people. It is followed  
 by a list of the principal towns and  
 villages of the country. The third part  
 contains a list of the principal rivers and  
 streams of the country. The fourth part  
 contains a list of the principal mountains and  
 hills of the country. The fifth part  
 contains a list of the principal lakes and  
 ponds of the country. The sixth part  
 contains a list of the principal forests of  
 the country. The seventh part contains a  
 list of the principal minerals of the  
 country. The eighth part contains a list  
 of the principal animals of the country.  
 The ninth part contains a list of the  
 principal plants of the country. The  
 tenth part contains a list of the  
 principal birds of the country. The  
 eleventh part contains a list of the  
 principal insects of the country. The  
 twelfth part contains a list of the  
 principal fishes of the country. The  
 thirteenth part contains a list of the  
 principal reptiles of the country. The  
 fourteenth part contains a list of the  
 principal mammals of the country.







THE H. H. HUBBARD LIBRARY FACILITY



AA 000 404 853 4

THE H. H. HUBBARD LIBRARY FACILITY



L 007 625 845 8

FOR THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA  
LIBRARY FACILITY  
UNIVERSITY OF CALIFORNIA  
LIBRARY FACILITY

